

Oct 26. a.

en

Holt

48 1965

Morris

M 10. 432

5.54

GERARDI IOANNIS VOSSII

HARMONIAE
EVANGELICÆ

D E

PASSIONE, MORTE,

Resurrectione, ac Ascensione Iesu Christi,

Servatoris nostri,

L I B R I T R E S,



AMSTELODAMI,

Apud Ludovicum & Danielem Elzevrios.

MDCCLVI



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

<http://www.archive.org/details/gerardiioannisvo00voss>



Præstantissimo Consultissimoque Viro
 DOMINO
FABIANO PHILLIPS,
 A R M I G E R O,
 Amico suo singulari,
 FRANCISCVS IVNIVS , F. F.

QVOTIESCUNQUE cum animo recolo illam communium curarum societatem quæ nos multis abhinc annis arctissima familiaritate in Britannia vesta conjunxit , memoriam quoque meam statim sentio excitari ad recordationem eorum quæ mihi benigne semper fecisti. Immensa tua beneficia suavissime diligentissimeque in hominem peregrinum congesta pluribus hic verbis exaggerarem, si minus occurreret quid aures tuæ pati possint quam quid fidei virtutibusque tuis debeat. Licet vero usque adeo rarum modestiæ tuæ indixeris temperamentum , ut in consiliis factisque tuis nec nimium nec parum videantur locum

habere , serioque omnem collatorum in amicos be-
neficiorum memoriam mentionemque averseris ;
vincam tamen pernecessario mihi cultu cogitatio-
nes tuas , quandoquidem non tuo me arbitratu , sed
meo , gratum esse oportet. Mitto itaque munuscu-
lum nunquam hactenus tibi expectatum , minus ex-
petitum ; neque de promtum ex nostris nugis , quas
tu tamen aliquo in loco habere solebas , sed ex po-
stumis scriptis G.I. Vossii, affinis quondam mihi con-
junctissimi , & tibi totique adeo Britanniæ vestræ in
magna semper æstimatione habitu. Argumentum
libri minime tibi displiciturum confido , cum erudi-
tio tua & peculiaris quidam amor veritatis ex æquo
se ad omnia doctrinæ (præsertim tamen piæ) genera
extendat. Ingenuæ quidem confiteor, uberiorem tuis
in me immerentem beneficiis gratiam deberi : ac
majus aliquod amicitiæ nostræ pignus in grati animi
testimonium lubens obtulisse, nisi à verecundia tua
sola mediocritate munusculi impetrari posse judica-
rem, ne hanc qualemcunque testificationem tuorum
in me meritorum invitatus admittas.

HAGÆ COMITIS.
C I S I O C L V I .

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM.

L I B E R . I.

In quo de iis agitur, quæ antecesseré Passionem Dominicam, atque ad eam præpararunt: Ac PRIORI quidem hac PARTE de iis, quæ proxime contigere ante hebdomadem magnam.

CAP. I. DE invidia Iudeorum erga Christum, orta ex Lazari resuscitatione à morte: & primo Synedrii decreto de tollendo Christo. Pag. 1

II. De Christo, Ephrem egresso, mortem suam discipulis prædicente. Qua occasione filii Zebedæi latentem animi ambitionem prodiderunt. 8

III. De aliis, quæ evenere in itinere illo Hierosolymitano: Ut sunt conversio Zachæi, narratio parabolæ de decem minis, visus Bar-Timœ, & alteri, restitutus: præcipueque de Christo à femina inuncto ad pollincturam suam: quod factum videtur pridie Dominicæ Palmarum. 13

L I B . I . P A R S A L T E R A .

De iis, quæ in hebdomade magna ante passionem Dominicam contigerunt.

CAP. IV. De glorioſo Christi ingressu in Hierusalem, & aliis, quæ contigerunt hebdomadis magna feria prima, quæ dicitur Dominicæ palmarum. 30

V. De iis, quæ contigere Christo Hierosolymam non tam ingrediente, quam ingresso, & aliis quibusdam, quæ Euangelista Ioannes subiungit. 36

VI. De maledictione ficus, & ejectione ementium ac vendentium è templo: quæ contigerunt hebdomadis magna feria secunda. 46

VII. De variis sermonibus à Christo habitis feria tertia: ac præcipue tribus parabolis: duorum filiorum, vinea locata, & nuptiis filiiregii. 48

VIII. De captiosis tribus questionibus à Pharisæis Christo propositis. una de penititione censu: altera de resurrectione mortuorum: ultima de mandatis legis. Deque questione Pharisæis proposita à Christo, cuius filius foret Messias. 54

IX. De sermone Christi in templo, postquam ab eo recesserant Pharisæi. Quo partim

E L E N C H V S

- partim priorum officium tradit : partim Pharisæos describit : partim quoque
iis, Iudeisque aliis, Dei judicium denuntiat. 58
- X. De sermone Christi extra templum : quo prædictitur, tum eversio templi,
& Hierosolymorum : tum adventus filii hominis, & signa ejus. Item tres
adseruntur parabolæ : una de iniquo judice: altera de decem virginibus; ter-
tia de distributis talentis. Denique à Christo exponitur modus judicandi in
novissimo die. 66
- XI. De Christo passionem suam iterum prædicente; Deque consultatione Syn-
edrii contra Christum ; & pacto Iudeæ de tradendo Domino. Quæ evenere
hebdomadis magnæ feria quarta, sive biduo ante Pascha. 82
- XII. Prius agitur de præparatione agni Paschalis, quæ facta est feria quin-
cta, sive pridie Paschatis, tempore diurno. Vbi hæc quatuor obiter conside-
rantur. I. Ut discipuli Christum consuluerint, apud quem Pascha vellet
præparari. II. Ut Christus eos signum edocuerit, unde hominem cognoscerent.
III. Ut ab eo deduci sint in domum, ubi celebrandum Pascha. IV. Ut cu-
ratis rebus à discipulis, Christus ipse sera die advenerit. His de diurno tem-
pore breviter enarratis, fuse agitur de comedione agni Paschalis, quæ fuit
de nocte ejusdem feriæ : sed initio feriæ sextæ, secundum Iudeos, diem à
Solis occasu auspicantes. Ceterum hocce capite universè attendimus ma-
ctationem agni. Ac primo actu, tum de victimâ, ac ejus conditionibus, tum
de sacerdote, tum de loco & tempore sacrificii. Hinc de assitione agni dis-
quirimus. Denique de comedione ejus cum panibus azymis, & herbis ama-
ris. 90
- XIII. Accessum ad propriæ postremi Paschatis Dominicæ: videlicet ubi,
quando, quo situ, & quibus cum illud celebrarit Christus. 105
- XIV. De iis, quæ dixit ac fecit Christus à cœna paschali, antequam insi-
tueret Cœnam Eucharisticam. Vbi partim de Christo pedes lavante discipu-
lis, partim de eo, per exhibitionem panis intincti, monstrante proditorem
suum. 109
- XV. De institutione Eucharistiae; item de tribus, super quibus, post Cœna in-
stitutionem, Christo cum discipulis sermo fuit. 119
- XVI. De longo sermone, quem ab institutione Cœna habuit Christus cum
discipulis, dum mensa accumberetur; ut refertur Ioan. cap. xv. Deque hy-
mno, quem cum Apostolis dixit, priusquam egrederetur. 127
- XVII. De alterius longi sermonis Christi, seu in cœnaculo interstantes, seu
in via inter eundum habitu, parte priori, que refertur Ioannis cap. xv. 140
- XVIII. De sermonis ejusdem, sive in cœnaculo, sive in via habitu, parte
altera, que refertur Ioan. cap. xv. 150
- XIX. De

C A P I T V M.

XIX. De oratione Christi ad Patrem, qua refertur Ioannis cap. xvii. 161

XX. Deprecibus, quas Christus, in monte Olivarum, in summo animi mœ-
rore, & angore, ob imminentem passionem, ad Deum fudit; deque solatio,
quod per angelum accepit, priusquam se sponte sua sisteret proditori. 171

L I B E R I I.

Qui est de passione, morte, ac sepultura.

- | | |
|---|-----|
| C A P. I. De apprehensione Christi, prima ejus passionis parte. | 182 |
| II. De altera Passionis parte, qua consistit in Christi accusatione, damnatio-
ne, illusione. Adnexum his de Petro Christum abnegante. | 192 |
| III. De tertia Passionis parte, sive iis qua perpessus est Christus in concilio
matutino. Cui adnexum de Iuda pœnitentia, & misera morte. | 200 |
| IV. De quarta Passionis parte, sive iis, qua perpessus est Iesus, prius in adi-
bus Pilati, deinde & Herodis. | 220 |
| V. De parte Passionis quincta. Ad quam pertinet ista: quod, reductus ad
Pilatum, variorum ageretur criminum reus, etiam demudaretur, cædere-
tur flagellis, indueretur purpura, coronaretur spinis, rideretur, conspue-
retur, percuteretur alapis, & arundine; atque ita tractatus ostenderetur
populo, & adjudicaretur morti. | 227 |
| VI. De sexta Passionis parte: sive de iis, qua perpessus est Christus, cum è
domo Pilati ad supplicii locum raperetur. | 247 |
| VII. Accessum ad septimam Passionis partem. De qua hoc loco memoratur,
quomodo in monte Calvaria, ubi myrratum poculum gustasset, vestibus sit
exutus, ac cruci affixus. Vbi tum de crucifixionis tempore actum, tum de
crucis forma, partibus, ac clavis: hinc expositum, quam mundi partem
spectat Christus in cruce pendens, & qui ritus Ecclesie inde originem tra-
xerint: denique cur Deus maluerit filium cruci affigi, quam alio mortisge-
nere necari. | 260 |
| VIII. De iis, qua Christo fecere alii, dum in cruce pendens vixit. | 293 |
| IX. De iis, qua dixit Christus in cruce pendens. Deque ejus morte. | 308 |
| X. Quæ Deus, Christo in cruce pendente, fecerit ad glorificandum filium. | 320 |
| XI. De iis agitur, qua contigere, dum Christus in cruce mortuus peperdit:
nempe ab eo tempore, quo expiravit, usque illud donec fuit depositus de cru-
ce. Inque eo tempore quatuor explanantur. Primum de quatuor prodigiis
in Scriptura expositis: tum duobus aliis, qua ab aliis videas superaddi. De-
inde | |

ELENCHVS CAPITVM.

unde de consecut <i>a</i> hominum indignatione ob occisum Christum. Postea de postulato Indorum, ut Christo frangerentur crura, ac postea deponeretur de cruce. Denique de milite transfigente Christi latus; unde aqua, & sanguis exierunt.	323
XII. De Christi sepultura, & corporis custodia.	340
XIII. De descensu Christi ad inferos.	352
XIV. De nocturno Tempore, quod Resurrectionem Christi proxime antecessit. Vbi & de Pervigilio Pascha.	359

L I B E R III.

In quo agitur de Iesu Christi resurrectione &
adscensu in Cœlos.

CAP. I. De Resurrectionis tempore & modo; deque monumentorum aperi-	361
tione.	
II. De testibus cœlestibus resurrectionis.	366
III. De terrestribus testibus resurrectionis.	370
IV. De novena apparitione Christi Servatoris.	380
V. De non <i>a</i> , & ultim <i>a</i> , apparitione Servatoris; deque adscensione in cœlos, & mox consequtis.	418
VI. De fructibus adscensionis Dominicæ.	423

F I N I S.



GERAR-

GERARDI IOANNIS VOSSII
HARMONIAE
EVANGELICÆ

D E

DOMINICA PASSIONE,
Morte, Resurrectione, ac Ascensione,

LIBER PRIMVS:

In quo de iis agitur, quæ antecessere Passionem Dominicam, atque ad eam præpararunt: Ac PRIORI quidem hac PARTE de iis, quæ proxime contigere ante hebdomadem magnam.

C A P. I.

De invidia Iudæorum erga Christum, orta ex Lazari resuscitatione à morte: & primo Synedrii decreto de tollendo Christo.

1. *S.*  *Vn historia eorum, quæ dixit, fecit, ac passus est Christus, partim ad propheticum ejus munus, partim ad sacerdotale, partim etiam ad regium pertineat; quorum duo priora fusc ab Euangelistis explicantur, tertium magis traditur in Actis Apostolicis: seorsum quidem actum est nobis de muneris Prophetico, quo retulimus, tum prædicationem Euangelii, tum confirmationem ejus per miracula. Nunc ut sanctum hoc prosequar institutum, loquar de opere sacerdotii, quo nos Christus redemit, ac reconciliavit Patri. Vbi primo*

A

agam

agam de iis , quæ proxime antececerunt Passionem Christi , atque eo eam præpararunt. Deinde visurus sum de ipsa Passione , sive de Christo capto , & condemnato , & per- passionibus consecutis , usque ad mortem , & sepulturam ejus. Denique considerabo resurrectionem Christi , quadra- ginta dierum moram in terris , & adscensum in cœlos.

Præparationum , de quibus hoc primo libro dicam , aliae sunt inimicorum sese præparantium ad capiendum , tollendum- que Christum: aliae ipsius Christi : eaque duplices : vel enim Christus discipulos iis præparabat adversus scandalum à passione Dominica : vel sese præparabat ad passionem forti- ter ferendam. In quibus enarrandis temporis potius , quo quidque gestum , ordinem sequar , quam ut digeram omnia secundum capita tria , ad quæ revocari universa diceba- mus. Hoc pacto enim nexus rerum & harmonia Euangeli- starum melius dilucebit.

Ordinar igitur à symedri decreto , quando audita Lazari post quatriduanum excessum resuscitatione , cognitoque inde Iesum majori in honore esse apud populum , ex Caiaphæ senten- tia decretum fecit de Christo è medio tollendo .

Refert historiam Ioannes cap. xi. Vbi prius exponitur de Lazari resuscitatione. Hinc de orta inde invidia Pontificum , ac Phariseorum , consultantium propterea de Christo necando. Tum de secessu Christi , ad periculum à Phariseis vitandum. Miraculum re- suscitationis , & grande erat , & certum. Non poterant præstigia videri , quia Lazarus in speluncula fuerat repositus , & lapis ingens os speluncae occluserat. Iam quatriduum erat , quod obierat : unde & à sepulcro arcebat Iesum Martha , ne fætore offendetur. Va- cillans ipsius Marthæ fides mortis veritatem arguebat. Ad vocem Christi Lazarus prorepsit è sepulcro , caput sudario obtectus , inanibus pedibusque fasciis vincitus. Facta hæc populo circumstante , ad vocem Christi , non quasi ea vocis esset vis , sed loquenteris virtus. Magna autem voce usus , ut magnitudini operis responderet. Nec miraculum facturus orabat Deum ; sed gratias agebat , exauditionis certus.

certus. Voluit Deus tantum miraculum paucis contingere diebus ante mortem Christi; partim quidem, ut fidem Apostolorum, aliorumque fidelium, adversus scandalum ex futura cruce firmaret; partim etiam, ut hoc impiis occasio foret acceleranda Iesu mortis. Et sane non simplex erat miraculum, sed miraculum in miraculo. Miraculum unum erat, quod jam oculis revivisceret. Alterum quod manibus pedibusque vincitus, gratia miraculose quasi addente alas, tunulo exsiliaret, inque pedibus consisteret. Sic enim verba Evangelistæ cepit Euthymius, & multo ante eum S. Basilius homil. de gratiarum act. *

O νεκρὸς ἐγω ποιεῖτο, καὶ οὐδεὶς εμβύθεται πεπάντητο. Θαυματουργὸς εὐαγγελίος, νεκρός αὐτὸς τὸν πόδας, καὶ μὴ κωλύεσθαι τοὺς τέλειον.

Mortuus à morte reviviscit: ligatus quoque ambulat. Admirare miraculum in miraculo: pedes fasciis habebat vincitos; neque interim à motu prohibebatur. Sed esto, ut sese jam commovente Lazaro prius ei vincula fuerint ab aliquo adstantium soluta, quam exsurgeret, utcumque de eo taceat Scriptura: nonne sat miraculi erat, dies ante quatuor mortuo, & jam oleni, vitam reddi? Inclytum id in miraculum solus narrat Ioannes. Cujus rei nonnulli rationem reddere sunt conati. Mihi imprimis hæc placet conjectura illustris viri, Hugonis Grotii. Cum sua scriberent Matthæus, Marcus, Lucas, superstes etiamnum erat Lazarus: eoque periculum illi creassent, si historiam istam signassent literarum monumentis. Quippe vixit Lazarus post resurrectionem annis xxx; ut acceperimus ex Epiphanio; qui sine dubio è priorum traditione istoc hauserat. De periculo, quod inde Lazaro posset creari, argumento fuerint illa ipsius Ioannis verba cap. xii. 10. 11: *Consultarunt autem primarii sacerdotes, ut Lazarum etiam trucidarent: quia multi ex Iudeis propter eum abibant et credabant in Iesum.* At Ioanne scribente, Lazaro periculum erat nullum, quia is jam defunctus foret.

Subjicit vero idem Evangelista xi, 45, 46, quomodo multi eorum, qui miraculum conspexissent, crediderint in Iesum: at aliqui maligni rem istam nunciarint Pharisæis. Qui propterea, ut deinceps refertur, Synedrium convocarunt †. Pro Synedriū Thalnū-^{† Ioh.} distæ dicunt Sanedrim, voce non origine Hebræa, sed Græca, II. 47. quippe ex Συνέδριον vocabulo corrupta. Cujusmodi multæ Iudeis, ex quo Græcis, puta Alexandro Magno, & Syromacedonibus, ac Ptolemaëis, paruerunt. Ex Maimonide vero, & Hebraeorum aliis, videmus, triplex Hierosolymis συνέδριον fuisse: primum ad

* Pag. 360.
editionis
Parisiæ
Soniæ anno
1618.

portam montis sancti, alterum ad portam atriū, tertium in conclavi ē cæso lapide, sive parte templi, quæ Gazith dicebatur. Ordo autem hic judiciorum fuit, ut quæstio quidem à judicio primo devolveretur ad secundum, à secundo item ad tertium; at non contra. Etiam judices ex consensu primo adscribi gaudebant secundo, ut honoratori: ex secundo item tertio, quod dicebatur Synedrium magnum, & interdum per ἀνποματιαν simpliciter Synedrium. Atque ad hunc judiciorum ordinem attendit Christus, cum Matth. v. 22. ait, teneri cum τῷ ιερῷ, qui fratri temere irascatur: sed teneri ὡρεδεῖων, qui dixerit ei φύει: at teneri geenna ignis, qui ei dixerit, stulte. Vbi per νέον intelligitur synedrium minus: at ὡρεδείς vox capienda de fynedrio magno. Prima secundaque curia singulæ erant judicum xxiiii: sed confessus magnus fuit judicum lxxi. Atque hoc Act. v. 21. dicitur γέρστια ἢ ὑῶν ἱσχυλά. Lucæ autem xxii, 66, πρεσβυτέρους ἐλασ. Quomodo & Senatores ipsi tum πρεσβύτεροι vocabantur, ut Matth. xxvi, 12, & 41. & xxviii, 12. & Marc. xv, 1. tum πρεσβύτεροι ἐλασ, ut Matth. xxvi, 1. Ac similiter nō nominati tum ἀρχοντες^d, ut Luc. xxiiii, 13, & 35: tum ἀρχοντες^e ἐλασ^e, Act. iv, 8. & Luc. xxiv, 20. Flavius Iosephus πρεσβυτέρος^f appellat. In hoc judicio magno agebatur de rebus gravissimis, quæque non possent expediri ab unius civitatis synedrio, ut de regie, falso propheta, tribu, vel civitate quapiam. Hoc consilium non intelligitur à Ioanne, cum x, 47. ait, pontifices, & Phariseos, Postquam cūlent certiores facti de Lazaro suscitato, atque ut multi propterea crederent Christo, coegerint concilium. Nam ut ex iis liquet, quæ proxime dicebamus, non erat ὡρεδειον magnum, nisi cui etiam interessent seniores sive principes populi. At hoc solum dicitur congregatum à Pontificibus, & Phariseis: de senioribus populi silentium esse videmus. Estque hoc primum conciliorum, quæ convocata fuere propter Christum. Numero hæc mininium erant quatuor: quorum duo consultarunt de Christo capiendo: duo de capto. Ex prioribus duobus unum est, de quo nunc agimus: atque hoc coactum fuit ante hebdomadem magnam: ac datum tum mandatum, ut si quis nosset Christum, indicium faceret, quoprehendi posset. Alterum autem coactum est hebdomadis magnæ feria quarta: quando Iudas transfigit cum judicibus de Christo prodendo. Duo reliqua concilia habita ejusdem hebdomadis feria sexta: prius quidem ea nocte, qua proditus est Christus: alterum autem

^a Senatus

filiorum

Iſraēl.

^b Senatus

populi.

^c Seniores.^d Principes.^e Principes

populi.

^f Primates,

vel prima-

tum populi

obtinentes.

tem mane consecuto. Quæ tempora à multis videoas confundi: cum ea manifeste distinxerit Matthæus, ut suo loco ostendam.

Miretur fortasse aliquis, dicere Ioannem, consilium esse convocatum à Principibus sacerdotum. Nam Græce est $\Delta\chi\rho\pi\epsilon\tau\varsigma$. Sed $\Delta\chi\rho\pi\epsilon\tau\varsigma$ vocabantur principes xxiv. classium sacerdotalium. Nisi quod nomen hoc, præter Pontificem Max. tribui etiam soleat illis, qui aliquando Pontifices M. fuissent. Siquidem ipsis temporibus subinde mutari solebant Pontifices Maximi. Vnde est, quod dicatur Caiaphas ejusce anni fuisse Pontifex M.

In hocce Concilio videndum, cur convenerit, & quæ in eo concilio sint acta. De causa ex parte jam dictum. Nempe occasionem præbuit miraculum suscitati Lazari. Simul miracula alia; ut quod Christus claudis gressum, cæcis restitueret visum. Hinc metus illis, de quo mox dicam. Hinc quoque irarum causæ. At quæ hic Christi culpa, quod hominibus benefaceret? Nonne is in Urbe erat servandus, qui tot homines servaret? Imo quantis erat honoribus afficiendus, quibus beneficiis retinendus, ut foret, ad quem in rebus adversis recurrerent! At nunc consilium ineunt de illo, qui Lazaro dererat vitam, vita privando. Quid, inquit, agemus, si homo * hic * *Ioan. 11* (ita contentim vocabant) porro signa perget edere? Siquidem 47. omnes de eo opinionem concipient, esse Regem Israëli promissum; quem si Iudæi, Cæsare relieto, sequi volent, omnia ingens in discrimen venient, brevique Romanæ aderunt legiones, quæ & urbem, & gentem, internecione deleant. Videmus, quam stultè componant rationes suas. Si Christum receperint, nihil illis periculi inde erat; quia Christus non affectabat regnum terrestre: qui, ut poëta Hispanus ait, regna daret cælestia. Nunc, dum metuunt, ne, Christum nisi tollant, perdantur à Romanis, contrà eum tollendo in hanc miseriā inciderunt. Nempe, ut est Proverb. x: *Quod timet impius, veniet super eum.* Dūi enim volunt conservare vitam terranam, eam amittunt, ac pariter æternam. Ad sermonem istum, quem retuli, Caiaphas sic secundum mundi sapientiam dicere: *Satis esse, ut pereat unus,* (puta vel innocens) *quam unitas.* Sive, ut verba potius Euangelistæ † retineam: *Vos nihil scitis, nec cogitatis conducere † *Ioan. cap. nobis, ut unus homo moriatur pro populo, (h.e. populi salute) & tota gens non 11. vers. pereat.** Nempe publici boni prætextu tolli volebat Iesum, ut, quod 49. 50. dicerent, periculum fugerent. Exempli hoc statuunt prudentiæ illius, quæ *τεσσαρην* vocatur. Nam qui tradunt rationem admini-

strandæ Reip., tradunt duplia esse officia viri prudentis; alia vocant prima, alia secunda: prima pene omnes agnoscunt semper habere locum in vita privata: sed negant de publica: quia quandoque hic serviendum sit τῆς θεᾶς, sive instituto Reip. cuius bono omnia oporteat metiri: eoque si quod in se honestum foret, sed noxiū sit Reip., officium esse hominis politici id facere, quod atile est. Hoc vocant *officium secundum*: vel *secundum honestum*, quia in publicis consiliis, si bonum Reip. sinat, ante omnia curandum sit, ne transilianiū limites honesti: sed siquid dannosum foret Reip., officii sit nostri, agere id quod in se sit turpe; sed quia publico utile, naturam exuit priorem; cum inhonestum ulterius dici non possit, postquam id exigit salus publica: ut quæ suprema lex sit. Cicero talia vocat *officia ex tempore*: Græci, ut dixi, prudentiam φρεστηλω, quia consilium sit capiendum non ex eo quod in se honestum, sed quod φρεστης temporis, sive necessitas, exprimit. Sic Aristides in vita privata adeo justitiam sectabatur, ut inde Iusti retulerit cognomentum. Sed, ut Theophrastus ait, idem in Reip. negotiis non pauca agebat injusta: quia judicabat necessitatem hoc eo tempore exposcere; eoque quod injustum alioqui foret inhonestum, fieri honestum, quia alterum perderet Reimp., hoc vero ei admodum esset salutare. Similis videtur fuisse mens Caiaphæ, qui princeps erat totius Synedrii. Ille igitur non jubet considerare, sitne Iesu propheta an minus, multisne benefaciat, ac quidem miraculose: sed illud solum, quid expediat populo Iudaico. At Iesu salutem judicabat esse interitum populi: ac contra ejus mortem populi salutem. Statuit igitur, satius esse ut pereat Iesu, quam populus. Dixeris, hæc si sint, nihil Caiaphain dixisse, vel fecisse indignum principi prudenti, & salutem populi amante. Sed aliter est. Esto, ut vera sint quæ de duplice honesto, dupli itemi prudentia dicebamus. Non tamen hic locum habent, quia confundit Caiaphas regem spiritualem, & mundanum. A rege spirituali nihil sibi metuissent Romani: eoque nec ab eo periculum erat Iudæorum Statui. Ex quibus liquet, quid de paralogismo Caiaphæ sit statuendum. Et tamen ab hoc homine mundano magis, quam spirituali, intelligenti, præclare illud dicitur, uni Christo pro populo esse moriendum. Videlicet Deus ita Pontificis, principatum populi sustinentis, (qualiu[m] non lingua[m] modo, sed vel somnia, magis Deo cura[e] esse solent, ut non ex Scripturis modo, sed gentium etiam scriptoribus, clu-

elucet) Deus inquam ita direxit Pontificis linguam, ut licet male sentiret, bonum tamen etsi non bene diceret: cumque crudeliter appeteret innocentis necem, redēmptionis idem misterium prædiceret. Quippe, ut Euangelista ipse interpretatur, Iesus vere mortuus est pro tota gente; nec Iudæa solum, sed nationibus toto orbe dispersis, quo omnes in se credentes in unum colligeret ovile. Atque hoc est quod ait Ambrosius in Psalm. cxviii, ferni. xv: *Sinistro quidem dicebat animo: verum tamen gratia Spiritus Sancti usq[ue] est ore illius ad prædicendum futurum: tametsi impollutum ejus cor non attigerit.* Verbis Caiaphæ fidem habuere οἱ συμβολαῖς; eoque inox à Syndrio decretum fit de necando Christo. Vnde sic Euangelista: *Ab illo ergo die consultabant una, ut trucidarent eum.* Quæ ipsa ratio satis visa est idonea, cur inde potissimum Passionis historiam ordiremur, iis etiam comprehensis, quæ ad illam præpararunt.

Porro non fugiebat Iesum, quale foret, quod adversum se fancivissent. Propterea se subduxit, inque Ephraim, secessit, sive Ephreim malis: ut est apud vulgatum interpretem: neimpe αὐ in γ̄ converso, quo modo ex Ierusalaim etiam est Ierusalem. Et sane Syrus etiam Ephrem legit: ut apud quem sit Ephrim. Solet enim pro γ̄ reponere: quo modo & pro Cephas, habet Ciphas, pro amen, ammin. Civitatem hanc Ephrem in desertis statuit B. Hieronymus de locis Hebraicis. Eo vero se recepit cum discipulis; non tam metu, quam quia sciret, ne cum advenisse horam suam. Simul exemplo suo discipulos docuit: non esse peccatum furorem sceleratorum latendo potius devitare, quam, se offerendo, magis accendere: ut Augustinus Tractatu xl ix. in Ioannem. In quo non audiendus Tertullianus lib. de fuga in persecutione. Habet hic locum illud Amos v. 13: *In illo tempore prudenter cebit, quia tempus malum est.* Scenatus vero Iudæorum, haut aliter ac in atroci solet facinore fieri, jussit, ut si quis sciret ubi Iesus delitesceret, eam rem ad se deferret. Atque haec prima est præparatio inimicorum Christi, quæ mortem ejus antecesserit.

C A P. I I.

De Christo , Ephrem egresso , mortem suam discipulis prædicente. Qua occasione filii Zebedæi latentem animi ambitionem prodiderunt.

1. §. **A** Litera præparatio fuit , quâ Christus ex civitate Ephrem Hierosolymam tendens discipulorum animos in via adversus imminentis crucis scandalum præmu-nivit. Nam quod antea bis jam egerat , tertio facit , discipulis prædicendo , quæ foret perpessurus Hierosolymis.

Paullo hæc plenius diducam. Postquam Christus imminere horam vidit, qua pro mundi salute mori oporteret: è latebris Ephraimi cum discipulis rediens Hierosolymam tetendit. Id ob Paschæ celebritatem agere videbatur: sed verior erat ratio , ut se ipsum , qui paschali agno haec tenus esset significatus , ibidem offerret immolan-dum. Mirabantur discipuli , non magis reformidare hoc iter , qui sciret , quale decretum adversus se proceres fecissent. Nihilominus præeuntem sequebantur ; quod caritatis fuit: sed secuti sunt cum timore; quod erat imperfectionis humanæ. In itinere eo Christus , cùm arcana quædam vellet discipulis de' morte suâ indicare , egit cum iis , non quidem præsente turba , quam satius tum erat ista igno-rare , ne prædictione mortis odia Iudæorum in se magis concita-ret. Sed , quod prudentiæ erat , *νατ' ιδεων* , h.e. discipulis seorsum adsumitis , quos testes habere voluit præscientiæ suæ. Iam antea qui-dem semel , iterumque , prædixerat iis passionem suam ; sed tum actum generatim ; nunc explicatius , perfectiusque.

2. §. Sic enim est Matth. xx. 17. 18: Et adscendens Iesus Hierosolymam adsumisit duodecim discipulos secreto , & ait illis: Ecce adscendimus Hierosoly-mam , & filius hominis tradetur principibus Sacer-dotum , & Scribis , & condemnabunt eum morte , & tradent eum Gentibus , ad illudendum , & flagel-landum , & crucifigendum , & tertia die resurget. De supplicio mortis , & resurrectione postea dicetur. Nunc solum

solum loquar de traditione. In qua videndum , tum à quibus, tum quibus tradendus. Tradendus quidem à Deo, & sese ; sed ut redimeretur genus humanum : à diabolo item , sed ne redimeretur. Verum proprie hic intelligimus , tum Iudam , à quo traditus ob avaritiam , tum Iudeos, qui tradidere ob invidiam. Possis & à Pilato traditum dicere , puta ob timorem , ne non videretur Cœsar is asticus.

Traditum se iri ab uno Apostolorum , Christus hoc loco non dicit, ultimæ illud Cœnæ reservans. Aliter si egisset, rixæ potuerant oriri inter Apostolos.

3. §. Quibus vero tradendus ? A Iuda quidem principibus sacerdotum, scribis , ac senioribus : qui pietate, & doctrina , antistare aliis debebant. Ab his verò sistentibus Pilato , & ministris ejus.

Quos signat Christus cum se ait * gentibus tradendum , ab iis sc * Matth. illusum iri , & flagellandum , cruci etiam affigendum , & occiden- 20. 19. dum. Ac ne sola hæc animos eorum nimium dejicerent , postea ad Marc. 10. solandum eos subjungit , tertia se die resurrecturum. De quorum 33. singulis postea.

4. §. Sed discipuli hæc non percepérunt : quia terrenum fore Christi regnum alte adeo animis imbiberant.

Capiebant quidem verba ista , ac propterea amore Christi valde dolebant : non tamen intelligere poterant, quomodo hæc satis convenienter cum gloria illa exspectatione Messiae.

5. §. Mater igitur filiorum Zebedæi , cum audiret Christum brevi à se auferendum , ab eo liberis suis primas petiit sedes in regno Messiae.

Mater illa Salome erat: quæ ex Zebedæo pepererat Iacobum majorem sive senioren , & Ioannem Euangelistam. Fiducia vero poscendi inde erat , quod Christum perpetuo sectaretur, & cum Petro suos etiam filios magis familiares Christo videret. Sciebat , Dominum antea promisisse Apostolis, ubi ipse in throno maiestatis suæ consideret , sessueros & ipsos super sedes xii. Hactenus Christum

stum pro capite agnoverant, ut capite alio haut opus foret. Deinceps dispar iis ratio fore videbatur. Mature igitur consulere Salome voluit liberis suis.

6. *¶ Quare necesse habuit Iesus, docere Salomonem, ac liberos; in regno suo, non ambitioso, sed demissō animo, ad summa pertingi. Quo & illorum voluit fastum retundere, & ex facto eorum provenientem aliorum indignationem reprimere.*

Ac primo quidem respondit Christus, nescire eos, cuiusmodi foret, quod peterent; hoc est, quid esset, in Christi regno proximum illi adsidere. Mundano enim hoc modo intelligebant: eoque maxime familiaribus, ac dilectis, concedi posse arbitrabantur. Illis honos videbatur, quod onus erat futurum. Nam & in Ecclesia locum habebat, quod de Rep. est apud Varronem: *Honus est honestus, qui sustinet Rempublicam.*

Imo magis in Ecclesiasticis muneribus, quam civilibus, verum id putandum. Nam, ut Apostolus* ait, *Siquis episcopatum desiderat, bonum desiderat opus, hoc est, non dignitatem, sed laborem; non delicias, sed opus; per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.*

7. *¶ Christus igitur, ut eos ab tam absurdā opinione revocaret, rogavit, an possent calicem bibere, quem ipse esset bibiturus.*

Vbi calicem bibere, Hebræorum more, significat, supplicium subire, quod ipse erat perpessurus. Tralatio unde est, non usquequaque convenit. Sunt qui arbitrentur, peti eam à calice medicorum, quo sua miscent pharmaca. Hæc enim ingrata esse palato, & turbare corpus solent. Sed enim qui loca attenderit, ubi Scriptura calicis sive poculi ejusmodi meminerit, facile videbit, tralationem peti à calice ineptiante, qui homines sic reddit impotes sui, ut nec caput, nec pedes officium faciant, sese ludibrio omnium expellant, fœda etiam multa, & gravissimis pœnis digna designant: ut mittam vomitus, capitis dolorem, & morbos varios, quos afferre ebrietas solet. Quid enim apertius verbis Psal. lxxv. 9? *Nam poculum in manu Domini, & vinum turbidum est, & plenum mixtione, ex quo fun-*

* 1 Tim.
3. 1.

fundit: verumtamen feces ejus, quas expresserunt, bibent omnes impii terræ. Similiter Ierem. xxv. 15: Sume poculum istud vini, excandescientiam istam (vel poculum excandescientiæ) è manu mea: & bibendum dato istud omnibus gentibus, ad quas ego mitto te. Ut bibant, & concutiantur, utque insaniant propter gladium, quem ego missurus sum inter eas. Lamentat. IV. 21: O filia Edom, — etiam ad te transibit poculum, inebriabit te, & nudabis te. Ezech. xxiii. 31: In via sororis tuae ambulas, ideo traditum poculum ejus in manum tuam. Sic ait Dominus Deus: Poculum sororis tuae bibes profundum, & latum, & capacissimum; ad risum, & subsannationem ebrietate, & mero repleberis. — Bibes illud, & exsuges. Habacuc ii. 15. 16: Væ potum præbenti proximo suo, adhibenti utrem tuum, & etiam inebrianti, ut intuearis nuditatem eorum. Saturaris ignominia prægloria. Bibe tu quoque, & retege præputium: & divertet ad te poculum dexteræ Domini, & vomitus ignominiosus ad gloriam tuam. Nec aliter capiendus est locus Apocalypsi xvi. 11. 6. Satis hæc ostendunt, tralationem esse arcessitam à calice inebriante: non vero intelligi amarum absinthi laticem, vel pocula tetramedentum: ut Lucretius loquitur lib. i, & iv. Nec tamen existimandum, calicis, vel poculi vocabulum semper accipi in malam partem. Est enim cum suinatur in bonam. ut Psal. xv. 3. Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. Et Psal. xxii. 5: Et calix meus inebrians, quam præclarus est! Quibus locis intelligitur poculum non ebrietatis, sed hilaritatis. Ut tralatio sit à patribus familiæ, cuique adsignantibus, quantum bibere debeat: uti & facere solent συμποσίας, sive inodimperatores, vel reges convivii: qui talorum jactu creabantur: unde apud Horatium lib. i od. iv, Nec regna vini sortiere talis. Sed raro omnino hic hilaritatis calix intelligitur in Scripturis: saepè autem ille ebrietatis, sive afflictionis. Ut & Psal. x, sive xi, 6: Ignis, sulfur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Ac similiter Iesa. li. 17. Itemi Apocalyp. xviii. 6: Reddite ei, sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate ei duplum, secundum opera ejus: in pocolo, quod propinavit, propinate ei duplum. Nec multum abit loquendi forma apud Comicum Casina act. v. sc. 11:

Vt senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet. —

Similisque locutio Belgarum, Ghp sult van't eppen sop hebben. Ex quibus omnibus satis liquet, sententiam verborum Christi ad Zebedæi filios hanc esse: Tantumne virium est vobis, ut pares sitis illis perferendis, quæ patienda inihi erunt ex paterno decreto.

8. §. Porro ex iisdem quesivit Dominus , Aut potestis baptismo , quo ego baptizor , baptizari ? Vbi itidem per baptismum signat passionem .

Nempe quia βαπτίζειν etiam est affligere , tralatione ab iis desumpta , qui calamitatibus , quasi undis , merguntur , & tanquam gurgite , sæpe etiam absorbentur . Sic suni videoas Psal . xviii . 17 , & xxxii . 6 .

9. §. Discipulis illis tanta erat ambitio , ut parum pensculantes , quantum esset , quod rogarentur , continuo responderent , Possumus . Christus in temerario responso amplexus est promtitudinem illam patiendi pro Christo . Quare noluit eos , ut merebantur , acrioribus verbis castigare . Respondit vero duo . Vnum est , sic sane fore , ut & ipsi calicem eum biberent , eodemque baptismate baptizarentur : hoc est , ut gravia subirent mala pro veritate celesti : quod ex Iacobi nece docemur Act . xi : ac de Ioanne cognoscimus ex ejus exilio in Patmo , & aliis adversis , quæ perpessus fuit .

Imo & martyrio decepsisse , sententia fuit Chrysostomi ; eumque , more suo , sequentis Theophylacti : sed dissentient alii veterum : præsertim Tertullianus & Origenes : qui sua occubuisse morte voluerunt .

10. §. Altera responsi pars est in istis verbis , Sedere ad dextram , & sinistram meam , non est meum dare , nisi iis , quibus paratum est à Patre meo .

Vulgatus , & Erasmus ita cepere , quasi neget Christus , suum esse id dare : sed & hic sumitur pro ei υπέρ : quomodo & ubi Matthæus , sive ejus interpres , xvii , 8 , habet εἰς υπέρ , ibi Marcus ix , 8 , αὐτῷ usurpat . Ut solum neget , suum esse alius dare , quam quibus paratum à Patre . Eos potius Petrum , & Paulum , suisse , non absurdè aliquis dixerit .

11. §. Tanta duorum fratrum ambitio bilem concivit discipulorum aliis , simili ambitione laborantibus . Sed horum etiam ambitionem solitâlenitate Christus pertulit . Interim

ut & illos modestie commoneret, docuit eos, viam ad primatum non esse ambitionem, sed humilitatem. Quippe negat, sicuti comparatum esse in regno terreno, similiter se habere in cœlesti. In hoc eum consequi primatum, qui omnium esse minimus volet: minimo haberi loco, qui cupiat esse maximus. Atque hoc suo confirmat exemplo, quod non venisset, ut sibi ministraretur; sed, ut ministrando omnibus, omnium utilitati inserviret: immo & vitam suam λύτρον daret pro multis.

Vbi multos aliqui putant dici pro omnibus: quomodo ad Rom. v. dicuntur, per unius inobedientiam multos estis constitutos peccatores. Sed magis verisimile est, particulam ut significare non affectum, sed effectum: non voluntatem antecedentem, sed consequentem: eoque non omnes signari ex omnibus: nempe non è Iudeis solum, sed etiam gentibus. quomodo Ioannes x. 52. 53. ait, fore, ut Iesus pro gente (Iudea) moreretur: nec tantum pro ea gente; sed etiam ut filios Dei dispersos cogeret in unum. Ac similiter Esai. l. i. i. dicitur Christus cognitione sui justificaturus multos: ac postea de eodem ait, ipse peccatum multorum tulit. Similiterque sumitur Matth. xxvi. 28, & Hebr. ix. 28.

C A P . III .

De aliis, quæ evenere in itinere illo Hierosolymitano: Ut sunt conversio Zachæi, narratio parabolæ de decem minis, visus Bar-Timæo, & alteri, restitutus: præcipue de Christo à femina inuncto ad pollinctorum suam: quod factum videtur pridie Dominicæ Palmarum.

1. §. **E**tiam alia nobis ab Euangelistis memorantur, quæ contigerint in itinere, quod Hierosolymam instituerat Christus cum discipulis. Ex his primum est, quod Hierickontem venit, atque ibi Zachæum, publicanum principem, converxit.

Hierichus vetus fuerat eversa à Iosua; ut est Ios. vi: sed Hiel de Bethel instauravit; ut est i sive **III** Reg. **xvi**. Ac nobilitata est miraculo Eliæ; de quo **II**, sive **IV** Reg. cap. **II**. De hac Hierichonte nunc est sermo. Verum denuo est eversa cum Hierosolyma à Romanis obsideretur; itemque instaurata. De utroque testis Hieronymus libro de locis Hebraicis. Brocardus * ait, suo tempore solum octo domus habuisse: ut vix pagi nomen mereretur. Vixit autem ille circa annum **C I C C L X**. Hanc urbem ingressus Jesus conspexit Zachæum, hominem Iudæum, ut vel nomen fidem fecerit, publicanorum principem opulentum, insidentem arbori, cui nomen *συνομοεχία*, vel *συνόμοος*, aut *συνάμινθος*, Latinis *ficus* *Ægyptia*, quæ frondibus morum, fructus sapore ficum referret. Eam conscenderat, quia Christum averet conspicere, ac pusillæ adeò foret staturæ, ut hoc in turbâ tam frequenti facere non posset. Christus, qui corda hominum inspicit, delectatus tanto ejus viri desiderio; de arbore eum descendere jussit, ac quidem, licet non invitatus, (quale nihil ab eo factum alibi legimus) prior ait, se velle in ejus ædibus divertere. Sciebat, optare hoc Zachæum; sed præ pudore non esse ausum rogare. Ille descendit latus; gnarus, non se beneficium conferre; sed accipere. Verum malevoli culpare, quod diverteret apud peccatorem: h. c. Iudæum quidem, sed publicanum, quales quandoque Iudæi: quippe qui & in Iudæa interdum ordinis essent equestris; ut constat ex Flavii Josephi lib. **II**. de bello Iudaico. Ab equitibus autem vestigalia solere conduci, satis notum intelligenti mores Romanos. Sed male eum peccatoribus accensebant, qui peccatorum pœnitudine duceretur. Sanè sponte pauperibus addicebat dimidium bonorum, quadruplum autem iis, quos fortasse defraudasset: Quomodo locutus est legis Mosaicæ non ignarus: quæ Exodi **xxi**. **I**. jubet quadruplum ab eo restitui, qui pecudem, extra bovem, furatus foret. Quam pulchram vero gratiam hospiti suo rependerit Iesus, arguunt hæc ejus verba: *Hodie salus huic domui contigit, eo quod & ipse sit filius Abrahæ.* Erat quidem antea filius Abrahæ secundum carnem: sed nunc secundum spiritum filius factus à Christo, qui, uti sequitur, venit querere, & salvum facere quod perierat.

2. §. Alterum est, quod narravit parabolam de itinere hominis nobilis, priusquam in terras longè distitas abiret, de-

cem

* In Descriptione Terræ Sanctæ.

cem servis talenta totidem largientis , ac prout rem iis fēcissent , ita p̄mūm , vel p̄nam , cuique destinantis : ut est Lucae xix. 11 , & 16 sequentibus.

Occasionem parabolæ indicant verba ista: *Hac illis audientibus , adiiciens parabolam dixit. Antecesserat proximè , Venit filius hominis querere , & servare , quod perierat. Ea verba (uti & prophetias de regno Christi Ies. ix. 7. & Ierem. xxiiii. 5. 6. & alibi) sic capiebant discipuli , quasi iam iret Hierosolyma , ut auspicaretur regnum sibi gloriosum , populo salutare , quod terrenum fore arbitrabantur. Et quam altè hic error obsederit mentes , argumento sunt , quod etiam ab resurrectione dicерent , Nos autem sperabamus , eum ēse , qui redēturus esset Israēlem. Vt igitur hanc opinionem eorum animis evellet ; parabolam refert , qua ostendat , non in vicina Hierosolyma se regnum accepturum , sed in terra longinqua : nec se à Iudeis recipiendum ut Regem ; sed ab iis rejectum iri: dumque ipse in regno abest externo , non otiandum iis , sed negotiandum strenue ; donec tandem veniat in regnum suum dominus , ac fideles ministros adsumat regni confortes , segnes verò ac rebelles puniat. Hoc spirituale Christi regnum cœpit a resurrectione ejus: ut indicant illa Lucæ xxiv: Oportuit pati Christum , & ita intrare ingloriam suam. Videlicet passione ac morte suâ debuit prius acquirere sibi regnum. Revelatur verò hoc verbum prædicatione Euangelii per mundum universum. Ne igitur turbarentur discipulorum animi , si non continuo regnum suum inchoaret ; præmunire voluit animos eorum hac parabola . Nunc enim id opus imprimis ei qui gloriose ingressurus erat Hierosolyma : ac putare poterant , ingressum istiusmodi fore initium regni ejus , quod terrenum fore arbitrabantur. Itaque & parabolæ isti videas hæc præstructa verba: Et his dictis præcedebat ascendens Hierosolyma.*

In parabola hac tria tempora attendimus. Primum illud , ante viri nobilis abitum. Deinde alterum , dum abest. Tertium post redditum . In primo tempore considerantur persona , factum , & causa. Persona est homo quidam nobilis : hoc est , Christus. Factum est geminum : prius est decretum de itinere suscipiendo in terras longinquas , h. e. extra hunc mundum. Cuius causa additur , ut regnum sibi acquires , ac deinde reverteretur. Signat verò acquisitionem regni spiritualis , ac gloriosi , per passionem ac mortem suam. Factum alterum est , quod ante discessum suum advocarit de-

cem servos suos, singulis minam dederit, atque eas juss erit negotiari, donec rediret. Vbi per servos præcipue capiendi sunt Euangelii ministri: quibus dona contulit spiritualia, ut iis alias lucrifacient Christo. Nec expostulat dominus cum eo qui tantum quinas lucratus erat minas, gnarus, ut in negotiatione terrestri, ita in spirituali, usu venire, ut dispar sit occasio lucrifaciendi. Nec sapiens quisquam exigit ultra, quam quis potuit.

In absentia nobilis primò attenditur factum civium: deinde servorum. Cives tumultuatis sunt aduersus nobilem, ac misere ad eum legatos, qui significarent, nolle se eum imperare: quasi dicerent, non esse quod de reditu cogitaret, cum cives imperium ejus respuant. Per cives intelliguntur Iudei, qui rejecerunt Christum.

Servorum unus, absente domino, mina una lucrat us est minas decem; alter quinas; tertius minam in sudario abscondit, atque otiosam reliquit. Quibus significatur dispar usus donorum spirituum, quæ Deus contulit homini.

Tertium tempus est de iis, quæ à reditu contigere. Ac partim ad servos, partim ad cives pertinet. Ac primo refertur, ut arcessiverit duos servos frugi: ac illum, qui se decem minas lucratum diceret, ubi prius collaudasset, denis civitatibus præfecerit: illum itidem, qui lucrifecerait minas quinque, remuneratus sit præfectura totidem opidorum. Quibus significatur, ut multiplex est usus donorum Dei, ita diversa esse præmia; puta quia variæ sint mansiones in cœlis. Sequitur deinde, ut dominus etiam rationem exegerit à servo nequam: qui arcessitus, atque interrogatus, respondit, præscissè se domini sui mores, quamque austerus foret, & lucri appetens; quippe qui ab homine exigeret, quæ non dedisset: iis similis, qui incitere volunt, ubi non seminarunt: eoque se satius existimasse, si minam ejus non exponeret negotiationis periculo: sed sudario involveret, ac domino reverso integrum restitueret.

Itaque hic occurrit, tum status absolutus, tum assuuntivus. Absoluto utitur servus, cum ait, recte à se factum; quia omne id accipiat dominus, quod suum est; coque nulla ei fiat injuria. Assumptivo autem, quæ *αντίθεσις* dicitur, quia siquid culpæ sit, ea penes ipsum sit dominum. *Αντέγνωμα* appellant. Hic servus est typus omnium eorum, qui culpam volunt rejicere in Deum qui, fidem exigit, nec credendi contulerit potestatem: bona opera requirat, cum non dederit bonam voluntatem: sed ineluctabili fato caussa sit

actuum malorum, eorumque inevitabilium: quasi non tales conscientia sua redarguat, quæ abunde testatur, quam multa faciliter etiam negotio agere vel omittere potuissent, in naturalibus principio naturæ; in spiritualibus, per eam gratiæ mensuram, quam accepissent. Huic servo iratus Dominus, tum ob illius inertiam, tum quod ab eo accusaretur, respondit, se propriis eum verbis convincere: si enim tam severum esse scierit, hoc ipso debuisse non ad ignaviam excitari, sed industriam: quippe si præ avaritia soleret aliena etiam sibi vindicare, quanto magis lucrum reposceret ex suis? Debuisse igitur minam committere trapezitis, quo vel ab ipso vel à mensario, eam reposceret cum lucro. Iussit deinde minam, quam haberet auferri, ac illi dari, qui denas esset lucratus: quia majoribus dignus est, qui minoribus bene sit usus. Quo pertinet illud: *Habenti dabitur, & ab non habente auferetur illud etiam quod habet.* Iis partim significatur, quām graviter Deus in eos sit animadversurus, qui dona in se divinitus collata non converterint ad Dei gloriam, & proximi salutem: partim etiam, bene usis gratiâ minori datum iri majorem. Scitè de priori B. Hieronymus epistolâ ad Hieronymum: *Va illi, qui acceptum talentum (minam convenientius verbis Euangelii dixisset, quia fudarii meminit) in sudario ligans, ceteris lucra facientibus, id tantum quod acceperat reservavit: illico indignantis Domini clamore ferietur.* Et mox: *Dum enim tu ignavus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti.* Etiam de hac usuræ exactione agit Gregorius Magnus homil. xv i in Euangeliū: *Ponamus ante oculos nostros illum tantæ distinctionis diem, quo judex verus veniet, & rationem cum servis suis, quibus talenta (vel minas) credidit, ponet. Ecce in maiestate terribili, inter Angelorum & Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine, electorum omnium, & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque, quid sit operatus.* Ibi Petrus cum Iudea conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducent. Ibi Andreas post se Achaim, ibi Ioannes Asiam, Thomas Indianam, in conspectum sui judicis, conversam ducet. Ibi omnes Dominicī gregis arietes cum animarum lucis apparebunt; qui sanctis suis predicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante aeterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus; qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus; qui pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro debebamus ostendere, non habemus. Atque hæc de trium servorum examine, atque eorundem præmio, vel poena. Cum

verò decem fuerint servi , cogitare possumus, septem alios suas minas vel amisisse , vel absūmisſe : quales sine dubio graviores etiam pœnas dabunt , quam qui minam suam reservārat otiosam. Possimus etiam cogitare , voluisse Dominum de tribus duntaxat loqui , quia vellet ex his de cæteris fieri judicium. Nam pro industria , vel ignavia quemque vel præmium accepisse , vel pœnas dedisse. Verum in parabolis nihil attinet minutatum insistere singulis.

Existimat aliquis , parabolam istam non esse hujus loci , ut quæ eadem sit ac illa de talentis : quæ , ut ex Matthæo constat , dicta est pridie , quam tradetur. Nec multa esse similia negari potest. Diversas tamen esse diversum indicat tempus . Nam præterquam , quod hæc dicta sit die Dominicō , Palmaruni puta ; priusquam ascenderet asinam ; altera autem feriâ tertiarâ , sive die Martis ; præterquam etiam , quod hæc sit de minis , altera de talentis , quorum quodque Hebræis est centuni minarum ; ut inferius dicam plenius in parabola de talentis : quadrifariam distant hæduæ parabolæ. Primum servorum numero , qui hic decem , illic terni duntaxat. Deinde quod hic unicuique decem servorum detur mina una : illic trium servorum uni dentur talenta quinque , alteri duo , tertio unum. Præterea hic unus una ex mina lucratus denas , alter quinas : illic qui quinque accepit talenta , lucratus quinque : qui duo , lucratus duo. Denique hic , qui minam abscondit , dicitur id fecisse in sudario ; quo facile tantillum occultatur : illic talentum , quia majori opus loco , absconditur in fossâ. Haec tenus de secundo corum , quæ contigere in itinere Hierosolymitano.

3. §. Tertium est , quod Hierochunte egressus Bar-Timeo , & alteri caco , restituit visum.

Refert Matth. xx. 29 , & 5 seqq. Marc. x. 46 , & sex seqq. Luc. xviii 11 , 35 , & octo seqq. Augustinus tamen lib. 11 de Quæstionibus Euangelicis cap. xlvi 11 , & lib. 11. de Consensu Euangeli. putat , diversum esse in miraculum , quod Lucas narrat , ab eo quod duo priores Euangelistæ. Id quod narrat Lucas contigisse priusquam ingredenterur Hierochunte : id quod Mattheus & Marcus , factum cum Hierochunte egressus. In hanc sententiam impulit euni , quod Lucas dicat , ἐν τῷ ἔβαζεν αὐτὸν εἰς τὸν περικλεῖον . Verum optimè Ill. Grotio monitum , ἔβαζεν non semper significare motum ad locum ; sed & distantiam solum : ut verba allata sic reddi possint , cum esset prope Iericho.

richo. Sic Luc. xix. 20: Ως ηγέτευ εἰς Βηθφαγῆ καὶ Βηθανίαν. Cum esset prope Bethphage, & Bethaniam. Siquidem iam transierat Bethaniam. De duobus cæcis narrat Matthæus; qui primus scripsit: de uno Marcus, & Lucas: de neutro Ioannes, qui scripsit postremus. Marco, & Lucæ sufficit dicere de notiori duorum: cui sine dubio præcipue convenienter οὐσίας illæ, quæ τὸ σῶμα τοῦ μνημονικοῦ memorantur à Matthæo. Dicit Matthæus, eos, qui visum receperant, Christum inde, tanquam miraculi testes, secutos fuisse.

4. §. Tandem verò sex ante Pascha diebus in Bethaniam venit Christus.

De tempore quidem sic Ioannes cap. xii. 1. Iesus ergo ante sex dies pascha venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus. Locum verò eum elegit, quia sic recens miraculum firmabat. Hic enim à sororibus Lazari cœna est exceptus: cui etiam interfuit Lazarus redivivus. Præterea è Bethania facilis ac celer adscensus erat Hierosolymam.

5. §. Atque hic à femina est inunctus: quod quia ad pollinatum suum factum esse dicit Christus: merito inter ea hic refertur, quæ pertineant ad passionis Dominicæ præparationem.

Conducebat verò non ad discipulos modò, sed ad Christum etiam præparandum. De hoc igitur pluribus nunc loquemur.

6. §. Ac Christum quidem à femina fuisse inunctum, primum pateretur pro genere humano; ab omnibus narratur Euangelistis. Sed semel ne, an bis, anter id contigerit, in controversia est.

De unctione eâ Christi quatuor agunt Euangeliæ; Matthæus xxvi, 7; Marcus xiv, 3; Lucas vii, 38; Ioannes xii, 3. Nec propterea fuit, qui putaret, quater Christum esse inunctum, idque à diversis quatuor feminis. Nempe Matthæum, & Marcum, eundem narrare historiam, luce meridianâ clarius est. Sed ter inunctum, idque à tribus mulieribus, Origenis est opinio in Matth. homil. xxxv*: eumque secutus hac parte Theophylactus, & Euthymius. Primumque inunctum credunt à muliere peccatrice ignoti nominis: eam habitasse in Galilæa: factumque in domo Simonis Pharisei, idque multo ante passionem. Ac de hac unctione solùm loqui

* In illud
Matthæi,
Dixit Iesus
discipulis
suis.

Lucam. Iterum verò inunctum esse à Maria , sorore Lazari , ac Marthæ , sex diebus ante pascha . Ac de ista solum agere Ioannem . Denique unctum esse à muliere ignoti nominis , biduo ante passionem , in Bethania , idque in domo Simonis leprosi . Ac eam unctio nem referri à Matthæo , & Marco .

Hanc qui sententiam sequuntur , eo se tinentur , quod illa quæ Matthæus , & Marcus , reserunt , non convenienter cum iis , quæ narrat Lucas ; atque itidem hic abeat ab illis , quæ legere est apud Ioannem . Nam inquit , prima quidem unctio , de qua Lucas ; ac secunda , de qua Ioannes ; haec tenus consentiunt , quod utrobique pedes dicantur inuncti : sed in prima retinetur nomen mulieris , in secunda exprimitur . Vnde licet non consequatur , esse diversas , sequitur tamen posse esse diversas . Re vera autem diversas esse , colligunt porro , quia unctione primâ id contigitur dicitur in domo Simonis leprosi ; quam in Galilæa fuisse arbitrantur : altera autem referatur contigitur domi Mariæ sororis Lazari , ac Marthæ ; quæ in Iudæa , quippe in Bethania , fuit .

Iam quod ad unctionem primam , tertiamque , eas quidecum hactenus fatentur consentire , quod utrobique domi Simonis id dicatur evenisse : sed discrimen in eo esse , quod prima referatur accidente domi Simonis Pharisei ; tertia Simonis leprosi : item quod primâ inunctionis dicatur à muliere peccatrice ; tertiam id retineatur , ut fortasse fuerit pia , ac religiosa femina : denique etiam , quod in prima pedes sint unguento perfusi ; in tertia caput .

Secunda verò , tertiaque narratio , consentiunt quidem eo , quod Iesus in Bethania fuerit inunctus : sed triplex hic se offerre aiunt discrimen . Nam in unctione secunda dicitur Mariam pedes inunxitur domi suæ : in tertia mulierem quandam caput Iesu unxitur domi Simonis leprosi .

Chrysostomi tamen ea est opinio , primam , tertiamque illam narrationem , à Matthæo , & Marco , institutam , probe convenire cum illa , quam Lucas reliquit nobis . Nempe ut peccatrix illa , cuius nomen præterit Scriptura , doni Simonis Pharisei , sive leprosi , priùs caput , postea pedes inunxit Christi . Huic sententiæ obstat alii contendunt , tum quod Lucas loquatur de inunctione multo ante passionem facta : tum quod ea contigerit in Galilæa ; quemadmodum etiam Augustinus colligit ex Luca : non verò in Bethania ; uti est apud Matthæum , & Marcum . Sed pro Chrysostomo licet diceré , non , si à Luca referatur multo ante Dominicæ Passionis

nis historiam, eo multo ante evenisse: neque si narretur proximè post ea, quæ in Galilæa contigerunt, eo & hoc inibi factum esse. Sæpe adeò Euangelistæ negligunt seriem temporis: ut etiam est apud Augustinum in secundo de Consensu Euangelistarum. Interea in eo cum Origine consentit Chrysostomus, quod diversa sit unctio illa apud Ioannem: ut quæ non à peccatrice facta dicitur, sed ab Maria, forore Lazari, ac Martha. Ex Chrysostomi igitur sententia duæ inunixerint mulieres: una *avávupu* ^{G.}, eaque peccatrix: altera Maria, Lazari soror. At B. Hieronymus in eo quidem cum Chrysostomo convenit, quod duæ minimum sint, à quibus Servator sit inunctus: sed in altero abit, quia potius diversas censet, eam quæ caput, & illam, quæ pedes inunxerit. Sic enim scribit in Matthæi caput xxvi: *Nemo putet, eandem esse, quæ super caput effudit unguentum, & quæ super pedes. Illa enim & lachrymis lavat, & crine tergit, & manifeste meretrix appellatur.* De hac autem nihil tale scriptum est. Nec enim poterat statim capite Domini meretrix digna fieri. Sed hujuscce teli, hunc ad modum validi, iustum exinius, si prius pedes, mox etiam inunxerit caput. Alii distinguere malunt inter peccatricem, & eam de cuius peccato sileatur. Ambrosius vero non quidein repugnat, quo minus diversæ habeantur; censet interea, posse eandem videri, ac diversum tantummodo tempus attendi oportere. Audiamus ipsum in Lucæ cap. vii: *Potest ergo non eadem esse, ne sibi contrarium dixisse Euangelistæ videantur: potest etiam quæstio, meriti, & temporis, diversitate dissolvi, ut adhuc illa peccatrix sit, jam ista perfectior.* Etsi enim non personam mutat Ecclesia vel anima, tamen qualitat profectum. Et sanè Mariam Magdalena, Lazari, ac Martha sororem, prius fuisse peccatricem, atque hanc à quatuor Euangelistis signari, etiam statuit B. Augustinus lib. ii de Consensu Euangelist. cap. LXXIX. Eumque postea secuti fuerunt plurimi Occidentalium: præsertim postquam in Rituall Ecclesiæ Romanæ una censetur. Et tamen id avorum ætate movere non potuit Iudocum Clichthovæum * , ac Iacobum Fabrum Stapulensem, quo minus contrariam sententiam defensum irent scriptis suis de tribus Mariis, peccatrice, Martha forore, & unde expulsa septem dæmonia: quas omnes nomine Mariæ Magdalena celebrari vulgo erat opinio. Stapulensi vero, ac Clichthovæo, respondit Ioannes Roffensis. Graci verò nihilominus pro diversis habuere. Vti, præter memoratos, Basilius Seleuciensis homilia prima de Lazaro †; Oὐχ ἀντι λογίη πέρη, η ἐν τῷ Ματθαῖῳ, 999.

* Parisiis
exedit H.
Steph.

a. 1519.

† Graceha-
bes in bi-
blioth. Ba-
var. Lat. in
bibliotheca
Patrum, e-
dit. 2. col.

εδὴ ἡ ἐν τῷ Λευκῷ ἀπὸν γὰρ αὐτῷ ἔκειναι μηδὲ γὰρ πέρονα γυναικεῖς ἦσαν, ἃς παλλῶν γέμεσται κακῶν αὐτῷ ἢ σεμνή, καὶ ἀσθεῖα. Non hac erat illa meretrrix, de qua in Mattheo: neque de qua in Luca: alii enim hac: illa enim erant meretrices, multis scatentes vitiis; hec gravis, & honesta. Ac similiter in enarratione Euangelistarum Theophylactus & Euthymius. Quid de Leontio, & tot aliis, dicam? Sed hæc plerosque Latinos parum movent. Nam adversus Græcos auctoritatem obtendunt Ecclesiæ Romanæ, quam dicebamus pro una habere in officio ordinato à Gregorio M. Aliis non tam leve est Græcorum Patrum pondus: ac præterea judicij trutinâ expendere jubent rationes, quibus eorum opinio comprobatur. Nec periclitari hac parte arbitrantur Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, quia nihil ea res ad fidem faciat: & negari non possit, Ritualium auctores quandoque non satis attendisse ad historiæ veritatem: unde & ex apocryphis videoas complura esse admista. Vide Wilh. Lindanum de optimo genere interpretandi Scripturas lib. 111. cap. 111: Pererium prefatione libri xv1. Coimm. in Danielem, & antiquiorum illos quos adducit Cesaubonus Exercit. xiv ad Baron. sect. xi.

Hactenus aliorum opiniones adduximus: nunc nostram in eo diligensu aperiemus.

7. §. In eo dissensu veterum (nec multo iis minus discrepant juniores) nostra hæc est opinio, Iesum, antequam patetur, semel duntaxat fuisse inunctum: atque id factum esse à muliere, ut ἀπλῶς aiunt Mattheus, & Marcus: eaque peccatrice, ut est apud Lucam: nempe à Maria, Lazari sorore; ut indicat Ioannes. Ac contigisse id sex diebus ante pascha, ut docet Ioannes: in Bethania, ut aiunt Mattheus, Marcus, & Ioannes: in domo Simonis; ut referunt Mattheus, Marcus, Lucas; hominis sectâ Pharisæi, quod est apud unum Lucam; quondam leprosi, ut indicant Mattheus, & Marcus: ubi prius inuncti pedes, de quibus Ioannes: hinc caput; de quo apud tres alios Euangelistas: idque ex alabastro unguenti; ut aiunt Mattheus, Marcus, Lucas: unguento, inquam, pretioso; ut est apud Mattheum, Marcum, & Ioannem; vide-

videlicet trecentis æstimato denariis, ut est apud eundem Ioannem.

Hæc aliquanto fusiſ diducam. Ac primum statuinius, unctio-
nem Christi, quam Matthæus, & Marcus, memorant, non esse di-
versam ab illa, quam refert Ioannes. Sic ut statuam, facit, quod
utraque sit facta in Bethania circa tempus Dominicæ Passionis: utra-
que ex alabastro: vasis id vocabulum ex onyche, qui inde dictus est
lapis alabastrites, & *ναρτυχηρησινως* vas vitreum, in quo nardinum ser-
vatur unguentum, quale etiam hoc loco signari censet Illustris Gro-
tius. Vtraque etiam facta unguento nardi pisticæ pretiosæ trecentis
æstimato denariis. Vtraque concivit indignationem in discipulis,
plane similiter narratam, quam & Dominus similiter dicitur com-
pescuisse. Hæc tam multa communia ostendunt non esse unctiones
diversas. At cui verisimile fiat, cum prior inunctione, ut volunt, sex
ante pascha diebus contigisset, ac tum eam ægre adeo tulissent di-
scipuli; quatuor postea diebus, quasi Domini sermonis oblitos, de-
nuo ob simile aliis mulieris factum, similiter ausos esse id repre-
hendere: sic ut necesse haberet Dominus similiter eos increpare?
Verum, inquiunt, ut multa convenient, sunt tamen aliqua disper-
quia, quæ eandem esse inunctionem non sinant: uti illa, quæ superius me-
moravimus, jam olim observata ab antiquis. Verum aliter est. Nam
quæ pugna, si Matthæus, & Marcus, dicant, mulierem quandam:
sed noinen exprefserit Ioannes, cui dicatur Maria, foror Marthæ:
quemadmodum & ab eodem refertur Mariam ministrasse, ac una
accubuisse mensæ fratrem ejus Lazarum? Quid impedit, quo minus
hi omnes in domo Simonis cœnarint? Potuerunt esse vicini, vel san-
guine juncti, vel eo anici, quia pariter discipuli forent Christi.
Quæ etiam pugna, si primo inuncti sint pedes, postea reliquum
fuerit infusum capiti; effracto etiam, sicut Marcus ait, vasculo, adeo
ut unguenti nihil sibi reservarit? Nec magis in eo est pugna, quod
Ioannes dicat, factum mulieris fugillatum esse à Iuda: alii vero id
de discipulis referant. Nam potuit Iudas primus reprehendisse; id-
que avaritia: mox vero discipuli exemplum fuerint fecuti, sed pau-
perum cura. Vel etiam dixeris, de discipulis referri, quia unus è di-
scipulis hoc egerit: nempe ut similis sit *συνενδοχη*, ac cum latrones
dicuntur blasphemasse Christum, quia id actum à latrone, qui pen-
debat à sinistra. Similiaque inferius exempla adducam. Quare non
possum

possum aliud in animum addicere, quam candem esse mulierem, non illam modo de qua Matthæus, ac Marcus, qui per omnia conveniunt: sed illam quoque de qua Ioannes. Tam multa enim sunt, in quibus consentiant, ut diversæ nequeant videri. Primum quod in Bethania unixerit, idque in convivio, ac quidem unguento maximi pretii. Deinde quod mulier ea propterea à Christi discipulo, velut prodiga, fuerit culpata. Denique quod Christus mulieris factum defendererit, atque id dixerit ad pollinctoriam suam pertinere.

Verum, qui hactenus assentunt, in eo abeunt, quod diversam putent signari à Luca: unde sic colligunt, bis à muliere inunctum est Dominum: prius quidem à muliere peccatrice in domo Simonis Phærisæ: postea vero à Maria, forore Lazari, in domo Simonis quondam leprosi. De priori unctione loqui solum Lucam: de altera tres alios Euangelistas. Nolim magnopere huic sententiae adversari: videoque etiam Cornelium Iansenium in Concordia sua Euangelica de unctione illa, quam Lucas narrat, agere capite XLVII: de ea autem, quam rescrunt tres alii, loqui capite CIX. Attamen magis eo inclinat animus, ut nec illa sit diversa; idque quia tanta est narrationum convenientia. Siquidem hoc Lucas cum Matthæo, & Marco habet commune, quod Iesus à muliere in convivio, in Simonis domo, perfusus sit alabastri unguento. Cum Ioanne autem, quod Christi pedes ab ea sint inuncti, & capillis siccati. Quæ tam expressæ notæ magnum præbent argumentum, eandem esse: præfertim cum Ioannes Αγρειπνως dicat, Mariam illam, quæ unxit Dominum unguento: quomodo, puto, non loqueretur, si plures inunxit Dominum. Nec enim tum nota hac satis ab aliis distinguetur. Adde quod Lucas nullius postea unctionis faciat mentionem. Quod cur factum putemus, nisi quia eadē foret unctionio, ac illa à discipulis culpata, laudata à magistro? Ex unctione igitur mulieris, & accusatione discipulorum, & excusatione Christi, quando usque adeò convenient, eandem à Luca signari historiam colligimus. Nec obstat putandum, quod objectant, à Luca mulierem vocari peccatricem. Nam quid hic fuerit ἀσύρτη, si Maria, Lazari foror, prius fuerit peccatrix, hoc est, dissolutius vixerit: postea, pœnitudine ducta, serio emendarit vitam, & ob egregiam pietatem Christo fuerit accepta? Nec, quo minus eadem historia sit, impedit, quod tanto ante passionis historiam referatur à Luca. Nam, sicuti superius orsi eramus dicere, Euangelistæ sèpenumero in narrando non temporis habent

habent rationem, sed occasionem arripiunt ex commodo argumenti nexus. Itaque Ioannes quidem accuratè attendit tempus: Matthæus vero, ac Marcus, inde occasionem cepere, quod proxime volebant dicere de pacto Iudæ cum Iudeis: cui rei ansam præbuerat indignatio Iudæ orta ex facto mulieris Christum ungentis. Lucas verò aliam amplexus opinionem. Nam cum antea locutus esset de Pharisæis prædicationem Christi aspernantibus, contrarium voluit subdere Pharisæi exemplum non alieni à sermonibus Christi, ac Lazari, fortasse consanguinei, vel amici, ac Christum propterea invitantis, eo interim offensi, quod pateretur se inungi à muliere peccatrice. Nam inde colligebat, ignorare Christum, qualis ea mulier foret, ac proinde prophetam non esse, cuiusmodi à multis habetur. Potuit & aliunde occasio Lucæ præberi. Ut si, quoniam antea egisset de pœnitentia, propterea subjungere voluerit illustre exemplum mulieris peccataricis pœnitentiam agentis.

Longius verò à janua, quod dicitur, videntur mihi aberrasse, qui arbitrantur, Mariam, à qua Dominus, priusquam pateretur, inunctus fuit; Mariam fuisse Magdalenam. Quam sententiam propugnat Baronius ad an. Chr. xxxii. Hæc enim non ea nota ab aliis diuinatur Mariis, quod inunxit Dominum; sed quod Dominus ex ea septem ejecerit dæmonia. Videtur autem error is inde promanasse, quod Euangelistæ Mariam hanc celebrent inter eas, quæ operam utillem navarint ad pollinctoriam Christi. Eoque arguento etiam se tuetur Baronius. Verum Mariam Magdalenam, & Marthæ sororem, pro diversis etiam habet Clemens Romanus, sive alias, lib. iii. Constitutionum Apostolicarum cap. vi: *Erat nobiscum mater Domini, & sorores ejus: præterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Martha, sorores Lazari, & Salome, & quadam alia.* At ante seculum, & ultra, Roffensis episcopus, in iis, quæ adversus Clichthovænum, & Fabrum, scripsit, etiam obtendit, quod Massilienses, & qui provinciam inhabitarent, ab omni ævo sic statuerint: item antiquam esse inscriptionem monumenti à Maximino, uno è LXX discipulis, in honorem sororis Marthæ exstructo: ubi illi ea tribuantur omnia, quæ Scriptura narrat de Maria Magdalena. Hæc majoris essent ponderis, nisi multa adeò forent, quæ merito ea redderent suspecta. Quale inter alia, quod apud antiquiores omnes altum plane de istis silentium sit: nec nisi proximis seculis hanc Massiliensium famam cœpisse, per sit verisimile.

8. §. Abunde dictum de questione, unane mulier, an plures, semel Christum, an sapienter inunxerint. Venio nunc ad alterum, cuiusmodi unguento Christus fuerit unctus. A τῷως vocant μύρον Matthæus, & Lucas: sed Βαρύπιμον addit Matthæus; πλυτελὴς Marcus; πλύτιμον Ioannes. At inde non aliud, quam magni fuisse pretii, intelligitur. Speciatim vero fuisse μύρον νάρδος πισινής, aiunt Marcus, & Ioannes. Quid vero sit νάρδος πισινής, (cujus extra Ioannem nuspiciam quam Marci xiv. 3. reperias mentionem) mirè & veteres variant, & juniores. Sunt, qui locum putent corruptum, & pro πισινῇ rescribendum O' πισινή.

Nempe quia Athenæus, & Pollux, nardum laudant Babyloniam, & non longè admodum à Babylonia aberat Opis, Persicæ civitas, Herodoto, & Straboni memorata: eo credunt, & melioris notæ nardum fuisse, quæ ab illa Persicæ civitate O' πισινή diceretur: Sententiam hanc prius attulit Ioannes Hartungus: quem & alii postea sunt secuti.

9. §. Huic vero sententiae multum incommodat, quod ex scriptoribus Ecclesiasticis nemo, nec ullius Ῥώμων, Opisticæ nardi meminerit. Quamobrem porro dispiciendum, an non rectius crediderint alii, πισινή ponи pro expresso aliunde in liquorem: ut sit à πίσινῳ.

Eo pacto notabit nardum pistillo contusam, inque liquorem, & unguentum redactam. Quam opinionem esse Iosephi Scaligeri, monitum viro Nobili, præceptoris neo, Francisco Nansio, ad Nonni cap. xii. Sic à πίσινῳ, quod est πῖσθος, contundendo immixtu, fuerit πίσινός, & cliso τι, πισινής; quomodo ab eodem πίσινῳ torcular (ληνὸς Græci dicunt, unde Lenet cognomen Baccho) aliter vocatur πισιπ: pro πισιπ: ut ex Hesychio constat. Imo & ex πίσινῳ similiiter veteres Latini piso, ac postea pinso, unde pistillum, atque alia.

10. §. Sed neque in isto animus acquiescit, quia nemo unquam veterum prodidit πισινής etiam dici διπλὸς πίσινος. Alii igitur existimant, voce ea significari liquidam sive potu-

*potulentam: nempe ἀπὸ τοῦ πιν: ut πίνειν dixerint pro
τινῖ.*

Placuit hoc Isaaco Casaubono, Notis ad Marci cap. xiv, eo magis, quia Athenaeus lib. xv. referat, cam esse idoneam ut bibatur: ac libro vi legas, νάρδον κατατίνειν: apud Hirtium item lib. de bello Hispaniensi: *Ipse de tempore canavit; vinum, & nardum, idem tidem sibi infudit.*

11. §. *Hec quoque opinio tum eo refellitur, quod πίνειν
nusquam ea significacione reperiatur: tum quod non agatur
hic loci de aliquo nardi liquore ad hoc preparato, ut ejus
aliquid misceretur vino: sed de nardo, qua inungerentur
membra.*

Atque haec dicta sunt adversus triplicem juniorum conjecturam, Hartungi, Scaligeri, Casauboni.

12. §. *Videamus nunc, an non satius sit acquiescere in judicio veterum. Quorum duplex fuit sententia. Prior est eorum, quibus placet esse ἀπὸ τῆς πίσεως, quasi fidem nardum dicas: h. e. probatam, sive bona fidei, ac nota.*

Quomodo πίνειν voce usi fuere Eusebius, Georgius Cedrenus, Manuel Comnenus: ut ostensum Casaubono Exercitat. ad Baronium xiv, sect. xiiii. Ac sic cepit Theophylactus in Marc. xiv. 3: ubi inquit, Πίνειν δὲ νάρδον νοεῖ, οὐτοὶ εἰδότε νάρδος στῶ λευκόν πίνειν οὐ τῷ αἴδολον νάρδον, καὶ μηδ πίσεως καταποθανεῖσσι. Pisticam nardum intelligit, vel speciem nardi sic vocatam; vel nardum veram, bonaque fidei preparatam.

13. §. *Huic opinioni non leviter obstat videtur, quod Græci ea voce non sic usi sint tempore Euangelistarum; sed demum totis seculis post.*

Nec tamen prorsus rejicere hanc opinionem ausim. Cū enim in confessu sit, sic loqui posteriores: quis spondeat nobis, non iam cœpisse multo ante sic loqui; non Athenis dico, sed locis iis, ubi inter eos viverent, quos Græci barbaros dixerunt. Inde igitur Marcus, & Ioannes, qui soli πίνειν νάρδος meminerunt, hoc loquen-

di genus potuerint haustis. Sed hoc, ut incertum, in medio relinquamus.

14. §. Altera veterum quorundam opinio fuisse videtur, vocem τσικής non esse origine Graciam, sed Latinam. Vi si dicamus ex Latino spicata, vulgus Gracanicum trajectis literis fecisse pistaca, & mutata vocali media, pistica, penultima porrecta. Velsi Græci quidem ex spicata fecerint σπικάνη, vel σπικάτη: corruptius vero Iudæi καὶ μεταθεσιν extulerint οὐρών pistica pro οὐρών spicata.

Hujusmodi trajectio valde est usitata, quando vox aliqua de una lingua transfunditur in alienam. Sic à Syriaco πίτζα, quod (έχυρωμα id, sive, ut posterioribus Romani imperii temporibus dixerat, bur-gum notat) pro βότρα dixerat βύρσα. A Græco μορφὴ est Latinum formā, à τίτεψ tener, ab ἀχλὺς caligo, ab Æolico βόχλος, pro ὄχλος, volgus, sive vulgus. A berbix, ut posteriores dixerat pro vexere, Gallicum brebis, hoc est, ovis. Gloss. vett. berbix, αργβατν. A ren Germanicum ac Belgicum nier. A crusta, Belgicum corsit. Possim innumerā id genus plurimi in linguis proumere. Ac ne quis dicat, nunc sermonem esse de iis, quæ alii à Latinis accepere: par est ratio in iis quæ Græci, vel Iudæi, sumfere à Latinis; quale fuerit τσική, vel potius τσίκη, à spicata. Sic enim ex Sextus Græci fecere ξύστρα, ex sextarius ξέστρα: ut de hac ipsa re loquens ingens Germaniæ sux, inno æternum decus, Ioachimus Camerarius ad Marci cap. xiv annotavit. Estque paris monetæ, cum Græci pro Latino saxifraga scribunt σαρξιφεγγος. Similiaque etiam in Arabicis, & Syris, ad eundem Euangelistæ locum observat Ill. Grotius. Ac confirmat idem hanc sententiam è Nonno, qui locum hunc sic expressit:

Πισίκης τεία μέτεψ φαπζουλήν διπονάρεδο.

Mensuras nardi tres, quæ pistica vocatur.

Vbi si τσικής putasset vocem esse origine Graciam, non contra normam Gracanicum medium produceret. Nempe & Nonnus videtur putasse, τσική esse corruptum ex spicata. Eoque & φαπζουλήν sub-jungit; ut significet, non Graciam esse vocem, sed vulgo aliunde receptam. Et quantum huic sententiæ accedit, quod & vetus interpres τσικής spicati reddiderit? Eo autem nardum dicitur spicatum; quia conficeret è spicis nardus. Nam laudatissima est nardus, quæ in aristas

aristas consurgit. Ac similiter si exprimeretur è foliis nardi, foliatum vocabatur: unde Martialis lib. x i epig. xxviii:

At mea me libram foliati poscat amica.

15. §. *Superest exponamus, quo animo mulier inunxerit Christum. Vbi causam facti bisariam attendere possumus: prius ex proposito femina: hinc ex consilio Dei actum femina dirigentis. Femina animus non ulterius adsurgebat quam ut honore adficeret Christum. Deus vero singulari consilio h.ec eo direxit, ut illa ignara, & inscia, Christi mors, & sepultura, Apostolis, atque accumbentium aliis, imo ipsi etiam Christo significaretur.*

Mulierem honoris, ac, ut vulgo loquuntur, devotionis ergo id fecisse, etiam judicium est Chrysostomi homil. lxxx in Matth. Πολλὴν δὲ λαζαρεῖαν λέπην, καὶ ἀφαίτην παρεδήν. Multa erat reverentia, & studium inenarrabile. Sic lapidem inunxit Iacob Gen. xxvii. 18. Et mos similis gentilibus, ut ex Anacreonte, & aliis, constat. At quanto altius divina se extulit providentia! Nam ea spectavit instantem pollinctorum: unde Christus Marci x iv. 8: *Quod habuit, hæc fecit: prævenit corpus meum ungere ad sepulturam.* Similiter Matth. xxvi. 14. Vbi Theophylactum vide. Sic igitur colligimus, mulierem, etsi sciret, Christum deliciis ejusmodi neutiquam capi, suo tamen amori induluisse, Spiritu Sancto interim animum ejus dirigente ad hoc significandum, quod ipsa ignoraret. Christum vero ex eo quod Deus intendit benigne interpretatum esse mulieris factum.

16. §. *Possimus interea etiam Christi verba simplicius interpretari, ut mens ejus sit: mulierem, quem non semel audiatur ex Christo, mortem ejus instare, solam anticipasse unctionis tempus, id quod mortuo deberi omnes sciunt, viventi adhuc præstando. Sane apud Marcum est verbum πρεσβύταρε: quod est, prævenit, antevertit.*

Quasi dicat Christus: Laudabilis est consuetudo vestra inungendi cadavera: quia hoc fit ad testanduni, eorum resurrectionem exspectari. Et illaudatum videtur vobis, quod femina paullum hoc tempus anticiparit; ungendo eum, cuius mors instat? Luxus non erit in

mortuo: & sit in paucis diebus morituro? Quod tempus ea prævenit amoris, & honoris ergo: & ut eadem illustri signo significaret illi pœnitentiam suam à quo fuerat conversa. Eoque id justiſ mihi præstítit, quia Regem ſciret: cui honos is vivo etiam ex more omnium pene gentium convenit. Atque ita Christi verba etiam cœpit illustris Grotius: qui pluribus eum in præclaris ad Euangelistas Notis illustravit. Adi & Cajetanum in Ientaculorum opuſculo, Quæſtione prima.

L I B R I I.
P A R S A L T E R A:

*De iis, quæ in hebdomade magna ante passionem
Dominicam contigerunt.*

C A P V T I V.

De glorioſo Christi ingressu in Hierusalem, & aliis, quæ contigerunt hebdomadis magnæ feria prima, quæ dicitur *Dominica Palmarum*.

1. §. **Q**ve hactenus diximus, antecedunt Dominicam Palmarum: ſequitur nunc, hebdomas magna.

Salutarem Paschæ hebdomadem appellat Theophilus Alexandrinus, prima epiftola Paschali. Majorem hebdomadem vocant alii: ut oſtentit Alcuinus, his verbis: *Ideo autem hac hebdomada major dicitur, quia in ea maxime est adhibenda parsimonia: ſive quod maius officium recolitur in ea.* Item Micrologus de Ecclesiasticis Ordinibus cap. vii: *A Dominica tamen Palmarum, eo quod ibi Paſſiones legere incipinuit, praefationem de Cruce dicimus usque ad crucem Domini: videlicet per quinque dies quinquepartitam Domini paſſionem intimantes: ipsamque hebdomadam, quam Sancti Patres majorem vocant, eadem praefatione adornantes.* Nam & convenientiſime eo tempore dicitur, cum de Paſſione Domini tam ſpecialiter agitur. Hæc univerſe de appellatione totius hebdomadis. Deinceps particulatim loquar de singulis ejus diebus. Ac primum de prima.

2. §. Po-

2. §. Postridie , quam ea evenissent , que de unctione Christi proxime afferebamus , Christus gloriose in urbem ingressus fuit. Quia in narratione attendimus antecedentia , comitantia , consequentia ; sive tempus illud , quod ad sessionem in pullo asinæ preparavit ; hoc , quo in via pullo asinæ Christus infedit ; & ipsum in urbem ingressum. In primo tempore consideramus , quando ad iter preparari cœptum , & preparationis partes. Quando cœptum , satis nos docet Ioannes x 11. 12 : ubi expositis illis de unctione Christi , hæc ait , contigisse τῷ ἐπαύλειον , crastina , vel potius postera luce.

Quinæta videlicet die ante Pascha , decima mensis Nisan : quod mysterio non caruit. Siquidem eo die Iudæi domum suam recipiebant agnum , quem quarto post die mactarent , quinæto comedebrent ; ut ex Exodi x 11. 3. 6. liquet. Tum igitur voluit Hierosolymam ingredi , quando domini receptarent agnum mactandum : sicuti & tum voluit mactari , quando , ex lege Mosaica , mactaretur agnus Paschalis. In eo quoque mysterium agnoscamus , quod eopse die ingressus est Hierosolymam , quo Iosue , (qui uti nomen habuit Iesu , ita typus ejusdem fuit) trajecto Iordanè , terram promissam ingressus fuit cum populo Israëlis universo.

3. §. Præparatio itineris fuit triplex. Prima ^a est mandatum ^{2 Matth.}
discipulis datum. Altera est discipulorum obædientia. Ter-
<sup>21. 1. &c.
seqq. Mar.</sup>
tia est non imperata stragulorum iniectione in pullum. In pri-
<sup>11. 1. &c.
Luc. 19.</sup>
mo attendimus mandatum de asina , ac pullo adducendis :
locum , quia prædictitur ambos nativitati , ex adverso , in-
<sup>29. ac
deinceps.</sup>
ventum iri : eventum , cum additur , obtentum iri à Do-
mino.

In quibus ista concurrunt : quod divina virtute videt locum asinæ & pulli injugis : quod item , tanquam dominus , jubet utrumque solvi : adhæc quod prædictit fore , tum ut interpellentur discipuli , tum ut dominus asinæ , ac pulli , eos dimittat lubens. Quæ omnia arguunt divinum Christi spiritum , eumque esse verum Messiam. <sup>b Ies. 62. 11.
c Zach. ii.
9. 9.</sup> Nempe quo spiritu Iesaias ^b , & Zacharias ^c , olim hæc fore prædi-
xerant :

* Matt.
21. 5.

xerant: eodem illa Iesus prævidit, ac jussit *, ut ita implerentur *vaticinia prophetarum*. In verbis propheticis per *Filiam Sion* intelligitur Hierosolyma in monte Sion exstructa. Per urbem vero ἡ μετωπία signantur cives Hierosolymitani, & ἡ σωματοθόλωμα omnes Israëlitæ. Rex, inquit, tuus venit, hoc est, bono tuo. Ac apud Prophetam dantur ei terna elogia. Primum est *justi*, tuum proprie, & ut dicunt, habitualiter, tum etiam μετωπούμενος, quatenus justificat populum suum. Alterum est *servatoris*. Siquidem γὰρ proprie quidem notat *servatum*: sed, ut Drusius quoque annotavit, participia passiva, quando fiunt nomina, active sumi solent. Tertium sit οὐ, h. e. *afflicti*, ac *pauperis*. Sed LXX. videntur leguisse οὐ, quod est πτωχος, h. e. *lenis*, & *mansuetus*. Per huncce Sionis regem à propheta signari Messiam, etiam fatentur scriptor Bereschith Rabba, & Midras Coheleth. Vbi Græce est ὁ θεος, apud Prophetam est γὰρ chamaor: quod quandoque esse femininum, liquet ex 11 Sam. xx. 26: ubi & LXX reddunt τὸν ὁθον. Ac sic etiam accipi in hac historia, arguit, quod jungantur ὁθον, & πωλησις five pullus: qui non patrem, sed matrem, sequi solet. Ac apud Matthæum quoque est ὁθον δεκαδέκα, καὶ πωλον μετ' αὐτής.

4. §. De altero referunt Euangeliſtæ, quomodo ierint discipuli, quo jusserat Christus, atque adduxerint asinam & pullum, cui hactenus insedisset nemo.

Solius pulli meminere, Marcus, Lucas, Ioannes. Sed de asina, & pullo, clare est apud Matthæum. Quæ mox conciliabimus.

5. §. Tertium est spontaneum discipulorum officium, quando asina, & pullo, stragula imposuerunt: ut Christi esset optio, utri vellet insidere. Insedit vero pullo, sed asina comitante.

Hieronymus tamen, & alii, tam veterum, quam recentiorum, putant, nunc pullo, nunc, eo lassato, insedisse asinæ. Nempe quia apud Zachariam est, *insidens asina, & pullo filio asinarum*. Vbi satis liquet, per synecdochen numeri asinarum dici pro asina: ut sententia sit, pullo ex genere asinino. Sed & Matthæus gemini meminit animantis, cum dicat, Θατερεῖνος θάνατον, καὶ πωλον, γὰρ ἡστέγυσις, sedens super asinam, & pullum, filium subiungit. Sed parum est veritatile, Christum in tam brevi via hæc animantia commutasse. Nam Bethphage, & Bethania, erant prope Oliveti montem, una ab uno, altera ad al-

ad alterum latus; sed sic, ut Bethphage propior foret. Quod liquet etiam ex tabula ludæ ante annos pauxillos in Amstelodamensi hac urbe edita ab homine Iudæo. Et locum utrumque fuisse urbi propinquum, cognoscimus ex Matth. xi. 1. & Luc. ix. 29. Verba Euangelistarum antea adducebamus. Quamobrem multo est verisimilior Euthymii opinio, soli insedisse pullo, sed cui asina esset addita: quod inde erat, quia asinæ abjugari non solent: ut optime socero meo Fr. Iunio observatum. Dicitur igitur asinæ, & pullo insedisse, quia alterutri insederit, quomodo Iud. xi. 7. legas, *Sepultus est in urbibus Gilead: h. e. urbum aliqua.* Ión. 1. 6. *Descendit in lateranaris.* h. e. alterutrum latus. Et Matth. xxvii. 24. *Latrones exprobraverunt ei.* h. e. alter latronum. De quo aliquid jam ante dixi, pluribus vero egi lib. iv. Orator. Instit. cap. viii. sect. x. Imo Zachariæ etiam verba sic liceat interpretari, ut per asinum, & pullum, intelligatur unum animal: quod natura sit asinus, ætate autem pullus. Quomodo fuerit *ἐν διαδοσί:* quo de schemate multa itidem adduximus in Oratoriarum quinto. Atque hæc de primotempore, quod antecessit vocationem Christi.

Porro hæc vocatione Christi antiquis Iudæorum temporibus gloriiosior fuisset, quam nunc erat. Nam & summati viros ob equorum penuriam tuim iis vectari solere, liquet ex Iud. x. 4. & xii. 14. & aliunde. Sed postquam Salomonis temporibus tanta inter Iudæos, & Ægyptios, conjunctio fuit, magis Iudæa equis abundavit: quod asinos multum deprecaviat. Ad gloriam igitur Christi pertinuit, quod ea cum pompa Hierosolyma ingrederetur. Interim regnum ejus non fuisse terrenum ostendit, quod non equo generoso, sed asinæ pullo vectaretur.

6. §. *De præparatione dictum.* Sequitur de toto vocationis tempore: quod pro locis itineris distinguemus. Primum considerabimus quæ gesta sunt, ex quo insidere caput, donec devenit ad descensum montis Olivarum. Hinc quæ contigerere, donec Hierosolymis appropinquaret. Denique quæ facta cum Vrbem ingrederetur. Vocatione inde cœpit, ubi mandatum dederat sibi asinam cum pullo adducendi. Id factum; cum exisset jam Bethania, ac Bethphage esset ex adverso.

Hoc enim docent Marcus xi. 1. & Lucas ix. 29; qui id factum aiunt, *cum prope abesset à Bethphage, & Bethania.* Græce utrobique est ἐπίγειον, quod non tam significat, appropinquare, ut vulgatus reddidit interpres; quam *prope esse.* Nempe erat in valle inter utrumque eum locum. Quorum Bethania ab Hierosolymis distabat xv stadiis, sive duobus prope miliaribus. Bethphage autem mille solum passibus aberat ab Hierusalem; ut ex i Act. constat.

7. §. *Hic cum Christus pullum asinæ adscendisset, multi ex turba, honoris ergo, non modo ramalia, ac frondes, (στόλα δασῶν est apud Marcum^a) sed etiam vestes straverunt. Præterea eundem fuere prosecuti cum clamore, profitendo esse filium Davidis^b; quo sine non fuisset Messias; tum bene precando^c verbis Psal. cxvii 1^d, Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

^a Mar. xi. 8.

^b Matth.

^c 21. 9.

^c Luc. 19.

^{38.}

^d Al. 117.

Vbi in ἀλογηρεύοντες intelligitur sit. Per nomen Domini signatur mandatum. Nempe cum mandato regnandi super populum.

^e Matth.

^f 21. 9. Mar.

^{11. 9. 10.}

8. §. *Addebat quoque^e, οὐ σαννά ἐν τοῖς υἱοῖς· Hosanna in altissimis.*

Prima vox Syriace est ḥayyān, Hebraice חַיָּה-nna, hoschiāb-nna. Est vero composita ex Psalmi ejusdem vers. xxv, conflataque ex verbo significante serva, & particula, quæ notat nunc. Ut sententia sit, Hunc quæso Regem serva, omniaque ei prospera largire. Ut summis sit acclamatio, ac illa vulgaris, Vivat Rex.

9. §. *Addunt Euangelistæ, haec omnia facta esse, ut implerentur de Christo vaticinia.*

Prophetarum eorum Verba jam antea expeditiimus. Hæc de primo vectionis tempore.

10. §. *Postquam devenit Christus ad descensum montis Oliveti (id alterum est vectionis tempus) magna iterum acclamatio coorta Iudeorum. Et erant in iis, qui una ex Bethania venerant, oculati testes Lazari è mortuis resuscitati. Etiam quia mulii ex urbe venerunt ob famam ejus miraculi, numerus illorum reddebat auctior, qui Christum comi-*

comitarentur. Sed turba se immiscuerant Pharisæi; qui tantam audientes farentiam, monuere Christum, ut discipulos, sive turbam, increparet, ne forte acclamationem illam, quæ tanquam Regifieret, male interpretarentur Romani, ac propterea grande malum Iudeis crearent, imo ipsi Christo. Respondit iis Jesus, his tacentibus, lapides locuturos.

Referunt hæc ex parte Ioannes xiiii, 17. 18. 19: ex parte Lucas cap. xix. 37. 38. 39. 40.

11. §. Tertium est tempus, cum magis magisque Hierosolima in conspectu forent. Tunc cœpit lacrymari, ac optare, ut tam sciret urbs ea, quam nunc culpa sua nesciret, quæ ad pacem, sive incolumentem ac salutem suam pertinerent: si quidem eam urbem, quæ nunc salutaria Christi monita respueret, esse iccirco ab hostibus obsidione cingendam, multa dura, atque horrenda; perpessuram, tandem etiam diruendam; usque adeo, ut vix lapis maneat super lapidem.

Quanti profecto in Christo est affectus argumentum, quod in illa etiam frequentia, se tanta pompa prosequentiū, & Regem proclamantium, deplorarit tamen miseram urbis conditionem, quæ sic negligeret tempus suæ θηροπῆς, sive visitationis ad se salvandum. Nec enim visitare solum dicitur Deus, quando ad puniendum venit; sed etiam, quando beneficium vult conferre. Mirum vero quosdam fuisse olim codices, in quibus hæc historia omitteretur. Quod ex Epiphanio constat εἰ αὐτοῦ φῶς. Nimirum delicatuli illi putarunt, indignum esse Christo, si ploraret: quasi non & eundem, Lazaro mortuo, flevisse legamus apud Ioanneim. Sane affectus sunt à Deo; boni, si bene utamur, puta ad Déi honorem, & salutem proximi. At in Christo hic affectus manabat ex caritate erga alios: quæ citra dubium optimæ. Quodsi dolor is bonus, etiam tale sit signum doloris, quale est fletus.

12. §. Quartum est vectationis tempus, quando, asino infidens, & tanta comitante turba, ingredereetur urbem. Duo vero tum contigisse dicuntur. Prius est, quod tota civitas

* Matth.
cap. 19.
v. 10. 11.

*est commota**, ac illi quidem, qui Vrbem incolerent, hoc est, magna ejus pars, rogarent, quis foret ille, qui cum magna adeo pompa ingrederetur Hierosolymam, ac cui Messiae, & Regis Israelitici nomen acclamaretur. Illi vero, qui e Bethania, ac Bethphage, advenissent, vel Hierosolymis accessissent, dicere, eum esse Propheten è Nazareth.

Sine dubio cum hæc dicerentur, atque audirentur, plurimi non aliud animo conceperunt, quam esse illum solum propheten; sed cum, de quo Moses pronunciarat Deuteron. xviii. 15. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audite. Quæ Petrus Actorum 111. & Stephanus vii. 37. de Christo interpretantur. Fuerit quidem ea imperfecta confessio: vera tamen, & quæ ad perfectionem præpararet. Siquidem voluit Christus paullatim populo innotescere, crescente indies notitia sui. Vt hodieque cognitionem sui sensum instillat.

13. §. *Pharisei vero indignari, ac se ipsos culpare, quod, dum cunctantur, tanta Christus favoris popularis cepisset incrementa.*

Ioan. xiiii. 19: *Pharisei ergo dicunt ad semet ipsos. Videatis, quia nihil proficimus: ecce mundus totus abiit post eum. Sic loquebantur, propter magnam adeo hominum vim, quæ Iesum sectaretur.*

C A P. V.

De iis, quæ contigere Christo Hierosolymam non tam ingrediente, quam ingresso, & aliis quibusdam, quæ Euangelista Ioannes subjungit.

1. §. *S*equitur historia illorum, quæ contigere, priusquam Christus Hierosolymis exiret. Hanc dispescimus in partes quinque: quarum unaqueque duas minores, quandoque etiam ternas comprehendit. Prima est ingressus in templum †, & in eo sanatio agrorum. Non dubium vero quin ingressum in urbem ingressus in templum mox fuerit

† Matth.
21. 12.
Marc. ii.
11. Luc.
19. 45.

consecutus. Quomodo enim multum cessasset Iesus, qui doceret ipse, ante omnia querendum esse regnum celorum?

Atque hoc etiam, quod non recta arcem petierit, sed templum, argumento esse poterat, regnum ejus non fuisse mundanum, sed spirituale.

2. §. *In templo Christum accessere caeci claudique: quos & sanavit.*

^a Matth.
21. 14.

Fuit hæc cœcitas, & claudicatio corporalis: sed symbolum erat cœcitatibus, ac claudicationis spiritualis: quibus medetur Christus tum Spiritum suo, tum verbo, & Sacramentis.

3. §. *Altera pars continet hec tria: puerorum acclamacionem, procerum indignationem, & Christi ad eos responsum. Pueri in templo acclamabant, b Hosanna, fili David.*

^b Matt. 21.
15.

De voce illa Hosanna iam diximus cap. antecedenti.

4. §. *Principes vero sacerdotum, & Scribe, cum viderent miracula quæ fierent, & jam non adultos solum, ut ante, sed etiam pueros, majorum exemplo adductos, gratulari, & omnia prospera optare Christo, tanquam regi: non propterea compulsi sunt ad eum agnoscendum, sed invidia quædam, & indignatione, rogarunt Christum^c, an audiret ista, quæ dicerentur.*

^c Matth.
21. 16.

Nempe sic secum cogitabant: aut probabit clamorem, aut improbat: Si probat, occasio erit accusandi apud Præsidem, quod rex velit haberi. Sin improbat, occasio fuerit compescendi turbam, falsis, ac periculis claimoribus eum onerantem verius, quam honorantem.

5. §. *Indignationi huic occurrit Christus, querendo ex iis an non legissent illud Psal. viii. 3. Ex ore infantium, & lactentium, perfecisti laudem.*

^d Matth.
21. 16.

Quorum sententia est, Deum etiam per simplices, & indoctos, ac similes infantibus, gloriam suam fundare, ut Hebræa sonant, sive

ut LXX reddidere, *καταρπίσεν*, perficere: q. d. nihil esse tam minutum, quod non divinæ inserviat gloriæ, eique fundatæ sive solidæ, & perfectissimæ.

6. §. Tertia historia ejus pars complectitur in Græcis desiderium videndi Christi, & occasione ea habitum à Christo sermonem de gloria sua. De priori refertur *, quomodo Græci quidam, ex iis, qui adscendere solebant, ut adorarent in festo, voluerint Iesum videre.

Græce dicuntur, Εὐάγγελον τὸ αὐθαίρετον, ἵνα προσυνήσωσι τὴν εἰρήνην. Fuere homines non circumcisi: puta nec Israelitæ, nec item profelyti: sed ex gentilibus iis, qui unum agnoscerent Deum: quales in Actis Cornelius centurio, & Eunuchus Candaces. De talibus capiendum hoc Act. xvii. 4: Nonnulli igitur crediderunt Paulo & Silæ, & religiosorum Græcorum multitudo magna. Τῶν οἰχομένων Εὐαλών πλεύ πλῆθος. Ex eo autem, quod quotannis Hierosolymam proficerentur in Paschatis festo, & suas cum Iudæis preces coniungerent, verisimile fit, eos è Phœnicia, aliove loco vicino, advenisse. Nec obstat, quod Græci dicantur. Nam universè Græci opponuntur Iudæis. Ita Marci vii. 16. Εὐαλων dicitur, quæ aliis Evangelistis Syrophœnissa. Et sane potuit Tyriis, ac Sidoniis, ob locorum viciniam, inque ea excusum, facilius esse noticia Galilæorum Bethsaïdensium, qualis ille Philippus; de quo nunc dicam.

7. §. Desiderium suum coram intuendi, credo etiam compellandi Iesu, primum significarunt Philippo & Bethsaïda Galilææ: ille autem exposuit Andrea, qui primus à Christo erat vocatus ad munus Apostolicum, eoque auctoritate exsuperabat. Vierque vero hoc retulit Christo, priusquam eos adducerent.

Neque enim fiducia iis tanta eos protinus sistendi, cum scirent, Christum mandasse, ne commercium cum gentibus haberent, sed solum cum perditis ovibus Israelis.

† Ioan. 12.
23.

8. §. Quod ad alterum, Christus occasione ea, quod gentiles ipsi tangerentur desiderio videndi ejus, orationem instituit † de gloria, quæ se maneret per orbem universum: ostend-

ostendit vero, ad hanc se gloriam non posse pervenire, nisi moriatur, ac deinde resurgat, & adscendat in cœlos, & spiritum S. mittat; quo instructi Apostoli fide impleant totum mundum.

Itaque sic ait ^a secum esse comparatum tanquam cum grano frumenti, quod nisi terra fuerit mandatum, non feret fructus. <sup>a Ioan. 12.
24.</sup>

9. §. Ita denuo discipulos suos preparavit ad passionem, ne scandalo iis foret: Atque insimul exemplo suo eos voluit preparare ad ea que ipsi essent passuri: unde subiunxit ^b, illos, <sup>b Ioa. 12.
25.</sup> qui sic vitam suam ament, ut Christum post habeant, animam perdituros seculo futuro: illos vero, qui carnalibus desideriis renuncient, & vitam hanc pre Christo floccificiant, aeternum victuros cum Christo. Aequum etiam esse, ut minister sequatur Dominum ^c: quod si fiat, fore <sup>c Ioan. 12.
26.</sup> etiam, ut ubi Christus erit, istic sit minister.

Hoc pacto discipulos ad animæ suæ odium invitat, tum præmio æternæ vitæ, tum glorioso sui consortio.

10. §. Quarta pars continet ingentem Christi horrorem, consecutam precationem ad Deum, quo ab eo glorificariatur, & ad glorificandum vocem è cœlis auditam. Horror, qui Christum occupavit, ortus est è recordatione passionis imminentis ^d.

Quod ostendit, euni affectibus suis obnoxium, sed citra peccatum. <sup>d Ioan. 12.
17.</sup>

11. §. Sic constitutus, quemadmodum dicitur, inter sacrum & saxum, hoc est, inter naturale vita desiderium, & voluntatem Dei, ad quam implendam venerat in hunc mundum, preces suas ad Deum convertit, eumque prius quidem rogavit, ut se liberaret ab supplicio, quod immineret: sed quasi revocans se, continuo ^e subjungit: venisse se in hunc <sup>e Ioan. 12.
27.</sup> mundum ad durissimam mortem subeundam: eoque quod desiderium naturale dictaret, non expeti à se, nisi cum ea conditione,

ditione, si sic placeret Patri: sed certis, ac determinatis pre-cibus se se exposcere, quod ratio juberet: nempe ut Pater omne id per Iesum faceret, unde clarum ac celebre fieret no-men divinum.

Vt similis sit precatio, ac illa. Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste: verum tamen non mea voluntas, sed tua fiat. De qua quia copiose inferius dicam, plura hic addere supercedebo.

12. §. Subditur, quomodo Dominus sit precatus, hunc in mo-dum^a: Pater, illustra nomen tuum: ac tum vox e cœlis fit auditæ, Et illustravi, & iterum illustrabo.

^a Ioann. 12.
^b 28.

Clarum Pater Filium, etiam nascentem, reddiderat per Ange-los; ac deinceps per tot miracula potentiaæ divinae; proxime etiam Lazaro e mortuis suscitato; clarioremque erat facturus Spiritu S. Apostolis mislo, qui conversuri erant omnes gentes.

13. §. Adstantes hunc sonum audiebant: sed alii quidem qui a Christo longius abeſſent, turbatiſ, unde tonitru eſſe cre-debant^b: alii perfectius, unde putarunt, Angelum fuisse cum Iesu collocutum. Iesus vero indicavit^c iis, vocem il-lam non propter ſe editam eſſe, ſed propter adstantes; quo nempe eo facilius crederent Christo, cui Pater ipſe cœlestis testimonium perhiberet. Ingens vero ſolatium ea ex voce Christus percepit: ſic ut magnifice glorietur de victoria, quam reportaturus eſſet de morte ac diabolo.

^b Ioan. 12.
^c 29.
30.

d Ioann. 12. Nunc, inquit^d, judicium eſt mundi. Græce, νεῖστις τὸ κόσμος. Vbi per neīstiv vel intelligitur damnatio, quia resurrectione sua omnes erat mendacii convicturus, qui credere nollent: vel more Hebræo, signantur vindiciae in libertatem, quia genus humanum erat morte Christi liberandum ab eo, qui more tyrannorum, regnum mundi invaserat; ut plenius planiusque deinceps exponitur. Sequitur enim: Νῦν ὁ ἀρχῶν τὸ κόσμος ἐν Εληθύσεται ἔξω. Nunc princeps mundi hujus ejicie-tuy foras. Hoc eſt, diabolus, qui & ἀρχῶν τὸ κόσμος dicitur cap. xiv. 30, & xvi. 11: uti & ὁ θεὸς τὸ αἰώνα τὸ τάχα, Deus hujus seculi, 11 Cor. iv. 4. Ac ſimiliter maligni illi ſpiritus Ephes. iv. 12. dicuntur ὡ-mouεγίτερες τὸ σκότος τὸ αἰώνος τὸ τάχα. mundi rectores in hujuscē ſeculi tene-bris.

31.

bris. Alter etiam fructus superadditur vers. xxxii : Καὶ γὰρ ἐὰν τὸ ψω-
δῶ ἔν τοι γῆς πεῖλας ἐλκύσω τόπος ἐμαυτόν. Et ego , si exaltatus fuero à ter-
ra , omnes traham ad me ipsum. Omnes , inquit ; puta non Iudæos modo ,
sed etiam alienigenas , duimmodo non abnuant vocantem sequi. Per
exaltationem vero à terra significat , se esse cruci affigendum : ut
clare indicat Euangelista , cum proxime subjungit ; * Hoc autem dice-
bat , significans , qua morte esset moriturus. Nempe hoc colligebant è vo-
ce ψών , exaltari. Sed credibile est , Christum aliquanto explicatius
dixisse : ut si sic dixerit , uti legimus Ioan. III. 14 : Sicut Moses
exaltavit serpentem in deserto : ita exaltari oportet Filium hominè. Et eo
hoc est verisimilius , quia ipsi mox nominant Filium hominis : ut omnino
videatur Ioannes tantum summam verborum Christi attulisse.
Alioqui non intellexissent præsentes , Christum de mortis sux ge-
nere locutum esse.

* Vers. 33.

14. §. Quinta historia pars continet cavillum Iudeorum ad-
versus ea , quæ dixerat Christus : & occasione horum incre-
dulitatis , orationem Christi , qua omnes adhortatur ad
finem. Quod ad prius , dixerat Christus , se moriturum , &
quidem subitum esse ignominiosam mortem crucis. Hoc
offendit adstantes , qui inde collegerunt , non esse cum pro-
missum Messiam : quandoquidem à Prophetis dicatur re-
gnum ejus fore aeternum.

Vtrumque prædixerant Prophetæ ; & mortem Christi , ut impri-
mis Esaïæ LIII ; & aeternum regnum , ut Psal. cx , ac Dan. VII. 14 .
Sed de priori non cogitabant , verum duntaxat posteriori. Ut indi-
cant verba illa vers. xxxiv : Nos audivimus ex Lege , quod Christus ma-
net in aeternum : & quomodo tu dicas , Oportet exaltari filium hominis ; quis
est iste filius hominis ? Vbi per Legem intelliguntur Sacræ Literæ ; locis
iis , quæ diximus : & sive non satis fuerint aperta , cogitandum illu-
strari illa solere à Legis-peritis. Quærunt de Filio hominis , alium
ne intelligat ab illo , cuius regnum fore aeternum prædixerant Pro-
phetæ.

15. §. Bella haec fuissent , nisi Christus brevi fuisset resurre-
cturus. Christus igitur iis objicit malitiam † : quod tam ^{Io. 12.}
clara luce non videant lucem : quia oculos occludant , etiam ^{vers. 35.}

pauxillo tempore , quo qui lux esset mundi , cum iis esset viciturus in terris. Hortatur igitur eos , ne errare in ignorantiae tenebris velint : sed dum lucem habent Christum , in lucem credant , nec se perditum eant.

Verba Christi sunt Ioa. xii. 35. 36: Adhuc ad breve tempus lumen vobiscum est : ambulate , donec Lucem habetis: ne vos tenebrae occupent. Et qui ambulat in tenebris , nescit , quo vadit. Dum Lucem habetis , credite in Lucem , ut filii Lucis sitis. Sensus est : quanto breviori tempore vobiscum ero , tanto studiosius vobis in luce ambulandum , ne lumen , sermo nempe Euangelicus , subducatur vobis. Quod meruere Iudei , cum ne à resurrectione quidem credere in Christum voluerent. Sed Christus nihilominus iis pepercit usque ad Hierosolymorum urbem obsecram: quo tempore quam duras Christo penas dederint , satis notum ex Flavii Iosephi historia de bello Iudaico.

16. §. Atque hæc de eo tempore quo Christus in urbe substi-
tit. Nunc sequitur de eo , quo egressus in Bethaniam , quia
se nollet ante tempus divinitus decretum offerre morti suæ.

Ioa. xii. 36: Hæc locutus est Iesus: ac digressus se abscondit ab eis. Qui-
cum convenit hoc Lucæ xxii. 37: Docebat interdiu in templo : noctu-
verò exiens , diversabatur in monte , qui vocatur Olivarium.

17. §. Prinsquam tamen ad sequentia accedat , ΤτιΦωνιμα-
τινῶς subiungit Ioannes , quomodo post tam multa , tam ma-
gna , quæ hacenus dixerat & fecerat Iesus , Hierosolymi-
tanorum pars maxima non crediderit in illum.

Ioa. xii. 37. Cum autem tam multa signa fecisset coram eis , non cre-
debant in eum. Vbi coram eis (ευπρεπέστερος αὐτῶν) valet , in præsentia tur-
bæ , in qua magnus inimicorum numerus.

18. §. Refert deinde Ioannes , quomodo irpletum tum fuerit ,
quod gemino in loco prædixerat Iesaias. Prius vaicinium
est ex cap. LIII , 1. quod ad incredulitatem Iudeorum
etiam à Paulo accommodatur ad Rom. x. 16. Alterum est
ex Ies. vi. 9 , ubi prophetes , cum Deum conspexisset solio in-
sidentem , ac cinctum satellitio Cherubin divinas canentium
laudes , mittitur ad exprobrandum Iudeis duritiem cordis.

Ioa. .

Ioa. XII. 38. 39. 40. *Vt sermo Iesaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui revealatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iesaias: Ex- cæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ne videant oculis, & ne intelligent corde, & convertantur, & sanem eos.* Particula ut, (*ivœ,*) quæ initio est, plane est ἐνβαπτισμός; ut eventum, non causam finalēm designet. Nimirum ἵνα τὸν πρωθῆναι, idem valet, ac sic evenit. Illud Κύριε, sive Domine, non est apud Propheten, sed claritatis caussa addidere LXX. Per brachium Domini intelligitur potentia ejus, sive miracula. Revelari intellige cum effectu, quando videlicet satis attenditur ad miranda Dei opera, sic ut propterea credatur Deo. Excæcavit, & induravit Christus, non per se, sed ex accidenti; quatenus humilitate ejus multi fuere offensi, & indurati. Iccirco Act. XXVIII. 27, ubi eadem Prophetæ verba citantur, passive referuntur: *in crassatum est ἐπαχύνθη* cor populi hujus. Similiter Syrus. Subditur hinc: *Et auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt.* Τοῦ ὀφθαλμὸς αὐτῶν ἐνάμυνοσθ. Christus igitur excæcat, cum homines se excæcant, nolentes videre lucem. Atque hinc liquet, cum hic subjungitur, ἵνα μὴ ἴδωσι, ne videant, & in Actis, μή ποτε ἴδωσι, ne quando videant, eventum, non finem signari. Hinc versu XL sequitur: *Hac dixit Iesaias, quando vidi gloriām ejus, & locutus est de eo.* Dicit Iesaias, se vidisse Dominum throno insidentem excelsō, audiisseque Seraphim acclamantes ei, Sanctus, Sanctus, Sanctus. In hac gloria Patris etiam conspexit gloriam Christi per Euangelium ministrantibus angelis, peccata remittentis iis, qui crediderint, & alios damnantis propter ἀποστασίαν. Quæque Iesaias conquestus est de excæcatione Iudeorum sui temporis, cui prophetes occasionem sua præbuisset prædicatione: ea & locum habent in excæcatione Iudeorum, de qua loquitur Euangeliſta: cui similiter occasio data prædicatione Christi.

19. §. Gravi huic querimonie de spontanea Iudeorum cæcitate subditur ab Euangeliſta, non propterea putandum esse nullos in Christum credidisse: sed paucos pre illa incredulorum multitudine: in credentium vero numero etiam fuisse dicuntur aliqui τὰς ξέντων, sive senatorum.

Vers. XLII, & XLIII. Veruntamen etiam ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne e synagoga ejicerentur.

* Cap. 53.

† Cap. 6.

tur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. Sensus est, multos e Senatoribus fuisse de veritate in animo convictos: nec tamen ab animo suo impetrare potuisse, ut eum profiterentur, vitamque ex ejus præscripto componerent. Exponitur quoque hujus rei causa, quod metuerent, ne a Pharisæis ejicerentur Synagoga: atque ita omnibus forent odio, & contemtui: ut omnino gloriam apud Deum posthabuerint gloriae apud homines.

20. §. Subiungit his Ioannes sermonem Christi, quo adhortetur ad fidem sermoni suo habendam. Sed de tempore, quo habitus is sermo, non satis liquet. Posset esse habitus eodem die, quo præcedentia dicebantur: possit etiam sequenti. Nec de eo magnopere est laborandum. Sufficiat scire, eo exhortationem hanc ad fidem subjici a Ioanne, quia proxime promiserat, cur plerique non crederent, & ex primoribus multi non ausi essent confiteri.

Ea vero adhortatio continetur septem ejusdem capituli versibus postremis.

21. §. Ac primum quidem magno cum clamore dicitur præsupposse in hac verba, Filio credentem, etiam Patri credere, cuius sit legatus: quique Filium videt, videre quoque Patrem, cuius maiestas reuceat in filii operibus.

Ioannes cap. XIII. vers. XLIV, & XLV: Iesus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me: Et qui videt me, videt eum, qui misit me. In Filio conspicitur Pater, quia, ut pulchre olim aiebat Lucianus Martyr: Οὐαὶ τῷ Θεῷ στίας καὶ βλάψης, καὶ διωκεών, καὶ δόξης απεργίας ἐινῶν. Filius est paterna essentia, & voluntatis, & potentiae & glorie imago nusquam discrepans: sive, per omnia similis.

22. §. Inde docet, cum lux soleat inferri ad discentiendas tenebras, se esse illam mundi lucem, cuius beneficio effugiamus tenebras.

Vers. XLVI: Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneatur. Hoc est, non vagetur in spissa errorum caligine; quam amant peccatores.

23. §. Loquitur hinc de iis , qui audiunt ac recipiunt verba , sed non observant , neque discipulos Christi se audent profiteri.

Græce est vers. XLVII : Καὶ ἐάν τις με αἰσένη τῷ ἀνμάτων , καὶ μη' φυλάξῃ . Vbi tamen aliqui libri πισθότη : quod secutus est Arabs. Sed φυλάξῃ etiam est in vetustissimo codice Anglicano : ac similiter Syrus , Nonnus , & vetus interpres Latinus , qui vertit : Siquis audierit verba mea , & non custodierit .

24. §. Addit , se facile velle abstinere à tali dammando , quia meminerit , non tam se in mundum venisse ad eum damnandum , quam servandum . Interea , quicunque se præbuerint ingratos erga sermonem Euangelicum , habere , qui , se tacentे etiam , tales condemet . nam cum sermo ille nihil habeat nisi admirandum prorsus , & omni veneratione dignissimum : tales à sermone hoc damnatum iri in die novissima : quando facta , dictaque omnium in apertum proferentur .

Hac mens est illorum , vers. XLVII , & XLVIII : Ego non judico eum . Non enim veni , ut judicem eum , sed ut servem mundum . Qui rejicit me , nec accipit verba , habet qui judicet ipsum : sermo , quem locutus sum , ille judicabit eum in extremo die . Rationem subjungit vers. XLIX : Qui ego ex me ipso non sum locutus : sed qui misit me Pater , ipse mihi mandatum dedit , quid dicam , & quid loquar . Nihil inquit loquor ἀπ' ἐμωτῆς , h.e. quod à me hauserim , ipseque repererim . Cuncta habeo à Patre , qui me nihil non horum jussit dicere .

25. §. Hinc addit , quantum ex eo Patris mandato fructus redundet : videlicet vita æterna .

Vers. L : Καὶ οἴδας ποὺς ἐντολὴν αὐτοῦ ζωὴν αἰώνιον ἔστι . Et novi , quod hoc mandatum sit vita æterna . Puta μελῶν μητέραν , quia efficit sive gignit vitam æternam in omnibus iis , qui mandato huic obtemperant .

26. §. Denique sic concludit , καθὼς ἔρικέ μοι ὁ Πατήρ , ετῶ λαλῶ . Sicuti dixit mihi Pater , sic loquor .

Sensus est : Ac ego quidem non alia attuli , quam quæ Pater man-

davit. Vos nunc despicate, quid vestri sit officii, & an rejicere verba mea valeatis, quin offendatis Patrem, & excidatis vita æterna, quæ ab observatione mandatorum meorum dependet.

C A P V I.

De maledictione ficus, & ejectione ementium ac videntium è templo: quæ contigerunt hebdomadis magnæ feria secunda.

I. §. **P**roximo mane, quod erat quarto die ante Pascha, Christus è Bethania denuo Hierosolymam tendit. In via esuriens arborem accessit, quam è longinquō fructum ferre existimabat. Sed ubi propius accedit, deceptum se animadvertis. Quippe ficus erat, quæ eo anni tempore, puta medio mense Nisan, fructus ferre nequit. Tum eam Iesus maledicto reddidit aridam. Narrant historiam Matth. XXI. 19. Marcus XI. 12.

Duo hic spectantur. Prius est occasio miraculi, quod Christus extra urbem pernoctans, ac mane urbem repetens, & in ficum è longinquō conspiciens, fame impellente ad eam ierit, ut fructum deciperet: sed ubi propius accederit, nihil præter folia invenerit.

Alterum est, quod Christus, ubi deceptum se vidit, maledixerit fici, ac illa propterea exaruerit.

Ex hisce duobus duplex itidem quæstio exoritur. Ex priori illa, quod Christo ignorantia tribuitur. Ut qui nescierit, ficum non habere fructus, idque eo tempore, quo etiam pueri noscent ficum non ferre fructus. Huic rei sic occurritur, scisse Christum, ficum id temporis fructu carere: sed quia è longinquō ficum conspiceret, nescisse eam esse ficum, sed credidisse arborem esse aliam, quæ iis in locis jam fructum haberet. Hæc eo firmantur, quod dicat Euangelista, longius ab arbore absuisse, ut nihil sit mirandum, si Christus, ac discipuli, frondosam quidem arborem conspexerint, ficum vero esse non cognorint. Sane etiamsi Adamus nunquam peccasset, è longinquō nihilominus prius vidisset eis arborem, quam ficum: quia hoc est de ordine naturæ simpliciter; non vero ex corruptione naturæ, quam peccando contraxit. Dixeris, Christum fuisse

fuisse omniscium , cum divinæ etiam fuerit naturæ. Sed non quicquid norat , quatenus Deus , norat etiam quatenus homo : sed tantum , quatenus natura divina dignaretur influxu suo aperire humanæ.

Altera est quæstio , cur Christus sicui maledixerit imminenteri , cum natura ob anni tempus non permitteret , ut fucus non ferret.

Nam apud Marcum * est , Non enim erat tempus sicciorum . Et colligi potest ex Euangelistis , fuisse undecimum Martii . Huic difficultati sic ^{* Cap. 11. vers. 13.}

obviam imus , non hæc facta fuisse propter siccum , sed ob discipulos : quibus fidei vim magis firmare voluit illustri aerafactæ fucus miraculo ; ut sic eos ad passionem instantem magis præpararet . Præterea voluit significare instantem Iudæorum maledictionem , quia fucus hæc symbolum foret synagogæ , sive infidelium Iudæorum , qui frumentos ferre nollent ; & fucus maledictio signum esset illius maledictionis , qua XL circiter annis post , Iudæos male esset perditurus . Sic Iesa. v. 2: Exspectari uvas , & tulit labruscas . Et Luca xiiii. 6.7. sic parabola hæc declaratur . Ac convenienter verba Matth. xxii. 43: Ideo dico vobis , auferetur à vobis regnum Dei , & dabitur genti facienti fructus ejus . Particulatim quoque videtur attendisse hypocritas , quales Pharisei . Recte enim hypocrisis assimilatur arbori ; quæ frondes profert , non fructus .

2. §. Atque hæc de iis , quæ in via non longe ab Hierusalem evenerunt . Postea Iesus ingressus est urbem , ac mox etiam templum .

Nam neque tum pietas sivit , ut diu ingressum templi differret . Solum vero atrium est ingressus , quo & populo ingredi licebat . Reliquas partes duas sacerdotibus solis ingredi fas erat . Hic vero sermo de loco , ubi populus venderet , atque emeret .

3. §. Quemadmodum vero Christus initio muneric fecerat , ut videre est Ioa. ii. 14. 15: ita nunc quoque circa vitæ finem , ut ex Matthæo xxii , Mar. xi , & Luc. xix , cognoscimus , templum gemino purgat facto , ejiciendo ementes , ac vendentes , & subvertendo eorum mensas .

Quod factum défenditur à Christo duobus Scripturæ locis , Esa. lvi: 7. & Ierem. vii. 11. Quorum priori ostenditur templi usus , quia sit domus precum : altero exprobratur abusus ad sua commercia ,

mercia, propterea quod, more ληστῶν, sive prædonum, tantum, quid ex re sua foret, attenderent. De vendentium astu vide sis, quæ Maldonatus annotavit. Atque ut absuisset fraus omnis, et si licebat pecunia domo adlata emere Hierosolymis quod Deo offerretur, tamen id in templo vendere non licebat: ne quidem in parte extrema, quæ gentium dicebatur: quia hunc locum oportuit iis vacare, qui se ex gentibus ad Deum converterent.

4. §. Factum vero hoc Christi plane extraordinarium fuit, & à singulari vocatione; quam pridie ostenderat sanando cacos & claudos, certissimo divinae presentiae signo.

Vt nihil sit opus, eo cum B. Hieronymo recurrere, quod & nummularii, & Pharisæi, obstatent Christo, quia impudenter divinitatis signa, quæ ex oculis, & vultu Christi relucerent: singularis vero vocationis fere illi duntaxat consciæ essent, qui eam consecuti. Sed propter alios eam comitari solent miracula: uti factum videmus in Christo.

5. §. Atque hæc etiam ejusdem nundinantium inter præparations fuit Passionis Dominicæ: quia magis magisque commovit animos Pontificum adversus Christum. Vt vero ante, ita tum quoque, vesperi Urbe exiit Christus.

Quod ad furorem inimicorum evitandum fecisse, dubium non est.

C A P. VII.

De variis sermonibus à Christo habitis feria tertia: ac præcipue tribus parabolis: duorum filiorum, vineæ locatæ, & nuptiis filii regii.

1. §. **H**inc Christus varios habuit sermones, die, ut vocant, Martis. Ac primum de vi fidei, occasione fucis arefactæ. Tum de responso ad questionem de baptismo Ioannis. Exinde de parabolis tribus, una de duobus filiis in vineam missis ad laborandum; altera, de homine post locatam agricolis vineam peregre proficidente; tertia de rege alios ad nuptias filii vocante.

Postero

Postero mane , quod erat tertia die ante Pascha , denuo Iesus cum discipulis ivit Hierosolymam : atque , illis in via mirantibus , breviculo adeo spacio exaruisse sicum , cui maledixerat Christus , loqui cum iis coepit de fidei vi , quam tantam esse afferuit , ut ea montes etiam transferri possint . Atque addidit , omnia interea à Christo esse poscenda ; etiam remissionem peccatorum . Quam ut consequamur , prius nos debere iis ignoscere , qui nos offenderunt .

2. §. Hinc urbem , templumque est ingressus , ubi quotidie docebat . Principes vero sacerdotum & scribae , perdere eum studebant ; sed morabatur eos populi metus ; qui plane à Christi ore pendebant . Captabant igitur omnem eum in sermonibus suis capiendi occasionem : eoque fine cum rogarunt , qua auctoritate ista faceret . Sed Christus viciissim quæsivit de baptismo Ioannis , utrum esset ab hominibus , an ex cœlo . Et negavit , se prius daturum esse responsum , quam ab iis accepisset : quod dare illi non audebant , populi metu .

Captionem Iudæorum improbam proba captione clusit Christus . Quærebant illi de auctoritate , qua ista faceret . Quæsivit viciissim Christus de auctoritate , qua Ioannes baptizasset . Maluerunt Pharisei inscitiam fateri , quam agnoscere impietatem . Interea sic etiam Christus docuit oblique , quæ fecisset , fecisse se auctoritate divina : ut qui ab Ioanne accepisset illud testimonium , Ecce agnus Dei , qui tollit peccata mundi .

3. §. Tum quoque narravit iis parabolam de duobus filiis : quorum unus prius detrectasset patri morem gerere ; sed postea , pænitudine ductus , sententiam mutasset : alter vero operam suam addixisset , sed neglexisset : cumque ipse etiam priorem filium pratulissent , dixit , posteriori ipsos esse similes ; eoque fore , ut publicani , ac meretrices , qui Christo credidissent , præcederent principes sacerdotum atque alios , qui rejicerent Christum .

Vide Matth . xx 1. In hac vero parabola per eum , qui duos habet filios , mystice Deus signatur . Per duos filios , hinc Pharisei , &

principes populi signantur; inde autem, meretrices, publicani & vulgus. Atque hæc propria est, & contextui convenientissima interpretatio: quam adduxit Hilarius can. xxii in Matth. Alii patrum nonnulli per unum filium intelligunt Iudæos, per alterum gentiles. Sed hos nonnisi oblique attenderit Christus; ut secundaria possit interpretatio vocari. Primaria vero esse nequit duabus de caussis. Primum quia nec Ioannes, de quo mox subjicit, nec etiam Dominus ipse, prædicarunt gentilibus, sed Iudæis. Deinde de variis unius gentis personis esse sermonem clare indicant illa verba: *Publicani, & meretrices præcedunt vos in regno Dei.* Publicani, ut Matthæus, & Zachæus: meretrices, ut peccatrix, & Samaritana. *Præcedunt,* inquit, quia loquitur de jam conversis. Scio, in quibusdam codd. Latinis esse, *præcedent.* Sed in præsenti habent Græci, & emendatores Latini.

4. S. Alteram quoque narravit populo parabolam de locata vinea à patrefamilias: ac servis prius ab agricolis, postea & filio interemto: deque pæna, propterea irrogata.

Vide Matth. xxii, Marci xii, Lucæ xx. Nempe patrefamilias est Deus; vinea est populus Dei, sive Ecclesia; servi sunt prophetæ veteres, à Iudæis occisi, de quo Hieronymum hic vide: filius autem est Christus. Additur & de sepe, qua opus, ne exposita eslet vinea prædæ; ut est Eccles. xxxvi: & de turri, partim ad speculandum; ecquis venisset ad vineam deprædandam, partim ad fructus adservandos: item de torculari, quo opus ad vinum conficiendum. Nihil vero attinet quærere, quid signent sepes, turris, torcular, & similia. Solum enim eorum fit mentio, ut significetur, omnia fuisse procurata, juxta illud Dei apud Iesaiam v. 4: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Itidem nec queri debet, quid sibi velint verba illa, *Cum tempus fructuum appropinquasset.* Quippe semper est fructuum tempus. Nec magis quæsito opus est de istoc, *Forte verebuntur filium meum.* Nam sic de Deo loquitur, tanquam homine; quem verisimile est ita fuisse dicturum. Nimirum in parabolæ omni, necessaria, & ad στοιχεῖα parabolæ pertinentia, distingui ab iis debent, quæ conjuncta sunt, sive accidentalia, & quasi condimenti solum caussa apposita. Christo vero interrogante, quid dominus vineæ facturus eslet hujusmodi operariis: dictum est ab nonnullis, *Veniet, & perdet colonos, & vineam suam dabit aliis.* Quod responsum

sum Dominus approbavit. Sed (ut Euangelistas conciliat Chrysostomus) sagaciores, qui in se dictum videbant, abominari talem eventum: quasi dicerent, Deus nobis meliora: qui talem exitum hostibus immittat. Hæc enim est vis verbi, *Absit*. Christus igitur veritatem talis eventus comprobavit è Psal. cxviii. * 22. ubi pro- * Al. 117.
 prie quidem David, typice vero Messias in Davide, adumbratus dicitur, *lapis ab edificantibus reprobatus, factusque caput anguli, sive lapis angularis*. Græce, ἀκροστιχον. Tribus vero de caussis Christus vocatur lapis angularis. Primum quia est firmissimus lapis, qui totum sustinet ædificium. Vnde Paulus ad Ephesius 11. 20: *Superadificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo*. Deinde quia est lapis offendionis multis. Siquidem minus cauti ad angulum offendunt, ut Iudei ad Christum. Hinc Petrus 1 ep. 11. 7. 8: *Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes: hic factus est in caput anguli, & lapis offendionis, & petra scandali his, qui offendunt in verbo, nec credunt, in quo positi sunt*. Tertiū est, quod, ut lapis angularis duos parietes, sic Christus duos populos, Iudeum, ac gentilem, inter se necit: unde Eph. 11. 14. dicitur, *utraque fecisse unum, & soluisse τὸ μεσόπτυχον οὐ φέργυσθε, intergerint parietis septum*. Vbi per septum illud intelliguntur ceremoniæ Legales, quarum jugum intolerabile vocat Petrus Act. xv. Sed Christus eas sacrificio suo abrogavit: unde Ioa. 1. 17: *Lex per Mosen data est: gratia, & veritas, per Iesum Christum*. Subjungit deinde Christus ex ejusdem psalmi versu sequente: *A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris*. Quasi dicat, rem tam mirandam ac insperatam non contigisse fortuito; sed consilio divino. Ex hoc Scripturæ loco ita colligit Christus. *Quia vos estis illi ædificantes, qui rejicitis me, lapidem Scripturis prædictum, qui divino consilio fiet lapis angularis: futurum propterea, ut regnum Dei, quod per vineam superiori parabola erat significatum, afferatur à synagoga: ac alteri detur genti; puta populo gentili, non spernenti gratiam Christi, sed Domino exspectatos è vinea fructus reddenti*. *Quia vero dictum fuerat, dominum vineæ male multaturum esse impios illos operarios: eo deinceps modus ille supplicii indicatur, persistendo in lapide Christo, sed allegoria mutata*. Dicitur enim fore, ut qui ceciderit super illum lapidem, confringatur: & super quem cecciderit lapis, conteratur. Vbi quomodo fractio, & contritio, differant, ex Aristotele possumus discere: qui lib. 1v. Meteoro-

* Sive con- teologicon cap. ix * ait, Διαφέρει δὲ, ὅποι πάτερι μόνῳ εἰς μεγάλα
textu 44. μέρη Διάπερσις καὶ χώρασις. Οὐαρύστε δὲ οἵτινες τὰ τυχόντα, καὶ πολεῖων δυοῖν.
Differunt vero. Fractio enim est in magnas partes divisio, atque distractio;
friatio vero (sive contritio) in quasvis sine discrimine, & quæ duabus plures
sunt. Cum vero dicit Christus, hominem casurum super lapidem,
significat, eum offensurum ad lapidem, sic ut cadat. At cum addit,
lapideum casurum super hominem, signat, fore ut Christus iratus sic
irruat in impios, ut justas dent pœnas infidelitatis suæ. Prius fit in
hac vita, & est culpæ humanæ: alterum potissimum fit in vita alte-
ra, & est judicii divini. Quamquam vero hæc omnia in se dicta
esse satis caperent principes fæcerdotum & scribæ: necdum tamen
injicere in Iesum manus audiebant, idque populi metu.

5. §. Addit quoque parabolam tertiam de rege, qui, filio spon-
so, ad convivium nuptiale homines invitavit, iisque ve-
nire negligentibus è viis advocavit bonos, malos: sed quem
sine nuptiali ueste conspexerat, in tenebricosum carcerem
detrahi jussit.

Vide Matth. xxii. Sunt vero hujus parabolæ partes quinque. Prima narrat, ut Rex, hoc est, Deus convivium nuptiale adornarit filio suo, h. e. Christo, Ecclesiæ sponso. Per duo hæc, tauros, & otilia, h. c. altilia, sive saginata, (quæ aliqui mystice de activis, & contemplativis interpretantur,) non aliud significatur, quam fuisse opiparuim convivium.

Altera refert, ut ad nuptiale hoc convivium multi sint advocati per Regis servos: sed hi per incuriam ac contemptum venire neglexerint. Atque ut exinde vocati iterum per alios servos alii quidem alia curarint negotia, alii etiam Regis servos interemerint. Per ser-
vos, qui primo vocavere, præcipue capiendum est Moses: per secun-
do missos, Prophetæ, qui Mosis successerunt. Vel si solos Novi Te-
stamenti ministros visum intelligere, primus fuerit servus Ioannes Baptista, amicus sponsi: per servos secundo missos intelligit Apo-
stolos, & fortasse etiam Christum ipsum, qui propter nos servi for-
mam adsumsit.

Tertia parte narratur, ut Rex iratus partim quidem ob eos, qui detrectarant venire, partim etiam, imo imprimis, quod occidissent servos suos, miserit exercitum ad obsidēdam, expugnandam, & evertendam illam homicidarum civitatem. Ea civitas Hierosolyma est,

est, quæ annis circiter xl post hanc prædictionem eversa est à Tito Vespasiano.

Quarta memoratur, ut Rex, in locum eorum, qui tam improbe se geslerunt, hoc est, in Iudæorum locum, alios, gentiles puta, jufserit vocari, idque nullo vel ætatis, vel sexus, vel fortunarum discrimine: inno & bonos jussit vocari, & malos: non quasi quisquam bonus sit, priusquam divinitus vocetur; sed quia minus mali cum pessimis comparati videantur boni: vel quia post vocationem alii fiant boni, alii in malitia persistant.

Quinta parte refertur, quomodo rex convivium sit ingressus. Reges enim seorsim solent cibum capere, honoris ergo. Is inde ingressus est convivium, ut illud præsentia sua condecoraret, ac lætiores redderet convivantes. Rex ille est Deus, qui convivium ingreditur extremo judicii die. Convivas vero lustrans unum conspergit non induitum veste nuptiali. Vbi per vestem hujusmodi, quæ splendida esse solet, ab Irenæo^a Tertulliano^b, Origene^c, Hilario^d, Hieronymo^e, Augustino^f, Gregorio^g, intelliguntur opera iustitiae, sive

virtutes spirituales. A quibus non videntur abire, quifidem intellegunt, sed vivain, quæque per caritatem efficax sit. Per fidem enim induimus Christum, ac novum hominem. Vnde Apostolus^h: *Induimus Dominum nostrum Iesum Christum.* Vbi non fidem quamvis signari, sed caritatis operibus conjunctam, indicant ea, quæ præcedunt: *Ab-*

jiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis: sicut in die, honeste ambulemus. Conjungit itaque hæc B. Ambrosius lib. vii. com-

mentarii in Lucamⁱ: *Nec tamen plenum est, ut aliquis vocatus adveniat,*

nisi veste habeat nuptialem, hoc est, fidem habeat, & caritatem. Ac simili-

liter Chrysostomus homil. ix. in Ioan. & in Matt. homil. lxx. Se-

quitur in parabola, ut Rex eum, qui veste venerat sordida, interro-

garit, quo pacto sine decora veste ingressus foret: ille autem, quia

propria eum conscientia accusaret, ad ista obmutuerit: tum rex juf-

ferit quadrupedem constringi, inque exteriores conjici tenebras,

h. e. subterraneum carcere, extra ædes situm; per quem gehenna

signatur. Additur Ἐπιφάνεια istiusmodi: *Multi enim vocati, pauci electi.*

Nempe non reciprocantur hæc, quia ut quis electus dicatur, non

sufficit, ut sit vocatus, sed præterea opus est, ut responderit vocatio-

ni. Quæri video, quomodo hæc convenient cum eo, quod è tam

multis unus solum fuerit ejectus. Sed enim cum uno hoc jungendi

sunt qui prius vocati noluerunt venire. Ut duo sint genera eorum,

^a Lib. 4.^b cap. 70.^c Lib. de^d resurrectio-^e ne carnis.^f Homil. 9.^g in Levititi^h 10. 1.ⁱ Can. 22.^j in Matth.^k Tōm. 9. in^l Matth.^m Tom. 6. lib.ⁿ 22. contra^o Faustum^p cap. 14.^q Homil. 38.^r in Euang.^s Rom. 13.^t Gal. 3.^u in Luca^v cap. 14. pag.^w 121. edit.^x Basile. an.^y 1555.

qui vocati , nec electi : aliqui ne venientes quidem ; alii venientes , sed ob indignitatem rejcti , ut sunt hypocrita .

C A P . V I I I .

De captiosis tribus quæstionibus à Pharisæis Christo propositis . una de pensitatione census , altera de resurrectione mortuorum , ultima de mandatis legis . De que quæstione Pharisæis proposita à Christo , cuius filius foret Messias .

I. §. *Inimici Christi , cum iis quæstio illa , qua potestate ista faceret , non successisset è voto , tres alias instituerunt . Una Phariseorum & Herodianorum erat de tributo Cæsari dando .*

Quæstio hæc inde nata fuit , quod Iudæi , postquam à Pompeio vectigales facti sunt Romanis , in capita singula mares quidem ab anno xv , feminæ autem à decimo , ad annum usque lxxv , didrachma , sive binos persolverent denarios . Porro ex Iosepho , lib . xvi i i . Antiquit . cap . . . discimus , quomodo quidam Galilæus , secta Pharisæus , persuaserit populo , quod is liber foret , nec necessè haberet tributum exteris principibus persolvere . Atque ait , multos Iudeos adhæsisse , sed una periisse cum duce suo . Fuit interim postea etiam grata hæc opinio in vulgus . Herodes nihilominus , beneficio populi Romani rex factus , & Cæsaris adulator , tributum hoc urgebat . Atque , ut in talibus fieri solet , etiam è Iudæis erant , qui Herodi in hac re patrocinarentur , & inde à populo Herodiani vocarentur : imo , ut ex Matthæo constat , etiam ab excessu Herodis ea mansit appellatio . Falli enim opinor , qui Herodianos putant mixta fuisse religionis ex gentili & Iudæa . Pharisæi igitur , cum studerent Christum dolis & arte sua irretire , suos ad eum discipulos miserunt una cum Herodianis , ut expediret hanc difficultem quæstionem . Sic autem ratiocinabantur secum : aut pro nobis respondebit , qui dandum tributum negamus : aut pro Herodianis , qui dare jubent . Si Pharisæis faverit , offendet Cæarem , & seditionis poterit accusari . Sin Herodianis , excidet gratia populi , quæ invita tributum persolvit . Valde autem callide adoriantur Christum . Siquidem ad benevolentiam captan-

captandam à veracitate eum commendant, quod non sit περσωπήτης, ac vel ob Cæsaris potentiam, vel populi favorem aliter sit dicturus, quam veritas jussiterit. Nempe hæc expeditissima iis ratio videbatur ad eliciendum responsum. Sed Christus penitissima cordis eorum habebat cognita, eoque prius quidem hypocritos eos arguit, deinde vero jussit, ut sibi numisma census offerrent. Vbi κῆρος vox est Rōmana, sed quam à Romanis acceperint posteriores Græci: unde Hesychius Κῆρος, ἀδροφοισμαλ. Obtulere autem Christo denarium; nempe quia tributi nomine in specie, ut loquinur, duos persolverent denarios: unde Christum, ac Petrum, didrachma legimus persolvisti. Valet denarius Iulium, sive Regalem, vel, Batava moneta, sex stuferos: ita ut decem denarii valeant ducatorum: nisi quod jam ducatonus non LX, sed LXIII stuferis cœperit æstimari. Sed hæc alibi fusi diducimus. Ideo autem numisma census Christus exigebat, ut sic eos convinceret erroris de non dando Cæsari tributo. Nempe civilis obligatio inata est actionum civilium. Atqui numisma census inscriptione sua testabatur, Iudæos esse obligatos Cæsari Romano. Argumentum igitur istiusmodi est: Qui necesse habent nummiis uti Cæsaris effigie, ac nomine insignibus, hi agnoscunt se Cæsari subjectos. At de vobis hoc è denariis vestris liquet. Instituerant illi quæstionem, an liceret dare tributum: atque hoc fecere, ne, tam avaritia, quam conscientiæ studio, negare tributum viderentur. Christus vero docet, non solum hoc licere, sed nec facere aliter licere. Nec contentus est dicere, ut Cæsari darent, quæ forent Cæsaris: sed addit, ut Deo quoque, quæ Dei forent. Videlicet, ne Iudæi putarent, quia nunc didrachma persolverent Cæsari, eo se exemptos esse lege istac templo etiam didrachma persolvendi. Imo argumento à majori, tanto magis esse Deo servendum. Quanquam dicere etiam possis, eo latius Christi verba se extendisti, ut ostenderet, eos de pecuniis solum erogandis esse sollicitos: sed majorem requiri curam universæ erga Deum pietatis. Ob sapiens hoc dictum Christi magna quidem admiratio subiit Iudæos: sed nihil imminuta est corum pertinacia: unde eos legimus abiisse post hoc responsum: sed meliores esse factos non legimus. Atque hæc dicta sunt ad illustrandum hoc Christi responsum de censi dando. De quo Matthæi xxii, Marci xii, Luc. xx.

2. §. Altera erat quæstio Saducæorum, cuius uxor in cælis futura

tura esset quæ septem habuisset fratres. Nempe hoc pacto resurrectionis dogma posse everti putarunt.

Habemus historiam Matth. xxii, Mar. xii, Luc. xx. Sadducæi abutentes lege Mosis*, secundum quam mulier septem ex ordine fratribus nupisset, rogarunt, cuius illa esset futura in resurrectione; hoc est, post resurrectionem: nempe simili Hebraismo, ac Psal. cxxv. 1. legimus: *In convertendo Dominus captivitatem Sion. h. e. postquam convertislet. Eadem foret difficultas, si de duobus essent fratribus locuti. Sed maluerunt dicere de septenis, quia absurdius videretur, una si femina maritos haberet septenos. Hæc de quæstione. Christus vero respondet errorem eorum provenire ex ignorantia partim Scripturæ, partim Potentiarum divinæ. Scripturam ignorabant, tum quia in Prophetis varia sunt de Resurrectione testimonia: sed illi hos pro scriptoribus bonis quidem & utilibus, sed divinis non haberent: tum quia nescirent, etiam resurrectionem posse comprobari ex Mose, cuius libros pro *Γεωνθλσις*, ac canonicis agnoscerent. Potentiam vero divinam nesciebant, quia putarent, fieri non posse, ut corpora in cinerem redacta, vel bestiis comepta, iterum ad vitam revocarentur: quasi hoc illi difficile foret, qui omnia ex nihilo fecit. Postquam sic eos coarguit, occurrit eorum argumento. Negat vero ex eo, quod resurrectione sit futura, sequi rem tam absurdam, ut una mulier septem sit fratribus nupta. Nam, inquit, à resurrectione neque uxores ducent, neque elocabunt; sed erunt homines ut angelii Dei in cælis. Apud vulgatum interpretem est, neque nubentur: quomodo se vertisse Hieronymus negat: sed fatetur, noluisse se immutare, quod reperisset: nimirum quia sic vulgo loquerentur. Sane usurpat æqualis ejus Rufinus in expositione Symboli. Imo duobus pene seculis prior Tertullianus habet libro de Resurrectione carnis. Eo autem ait Christus nos à resurrectione fore *ἰούτης*, quia loco vita animalis, tum cibi ac potus indigæ ad individui conservationem, tum etiam generationem exigentis ad conservationem speciei, vivemus vitam spiritualem instar angelorum, non cibi, aut potus, nec generationis. Sic clare explicat Lucas cap. xx. 35, 36: *Qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt. Aequales enim angelis sunt.**

Postquam Christus Sadducæorum hoc solverat argumentum, validum adversus eos telum intorquet; idque ex Exodi 111; ubi

Deus

* Deuter.
mon. 25. 5.

Deus in tubo loquens vocatur Deus Abraam, Isaac, & Jacob, qui jam erant mortui. Atqui Deus non est mortuorum Deus, sed viventium. Quare Abraham, Isaac, Jacob, vivunt apud Deum. h.c. potentia tum vivebant, sed actu erant victuri, quia Deus eos resuscitatus erat ad novam vitam. à qua resuscitatione dicuntur filii resurrectionis: quia non per generationem consequuntur vitam, sed per resurrectionem. Eoque pertinet ^a, *Filiī Dei sūnt, cūm sīnt filii* ^{a LUC. 20.}
resurrectionis. Et cum mox subditur ^b, Abraham, Isaac, Jacob vive- ^{36.}
re etiamnum, quia omnes illi vivunt Deo. Vivunt autem Deo, ^{b Ver. 38.}
 quia apud eum memoria eorum, atque amor viget, atque imprimis, quia eos vita reddere decrevit. Quærat aliquis, cur Christus, licet complura in prophetis existent testimonia, tali argumen-
 to pugnet ex Mose. De hoc accedimus Origeni, qui propheta-
 tas ab iis ait rejectos: coque non potuisse nisi ex Mose convinci.
 Nempe, ut diximus, Mosen credebat plane *γέοπνθστρ*^c: prophe- ^{c Divinius}
 tas vero habuere pro viris piis, sed quorum scripta non forent auto- ^{inspiratum.}
 ritatis divinæ.

Hujus vero dissertationis triplex fuit effectus. Nam & Scribarum nonnullis, qui Sadducæis aduersarentur, hoc, licet hostibus Christi, veritas extorsit, ut sermonem ejus approbarent; quemadmodum refert Lucas cap. xx: & Sadducæi non fuere ausi cum amplius interrogare; quod ibidem à Luca memoratur: & turba super illius doctrinæ, & perspicuis adeo ad tam perplexa responsis, mirabatur: sicuti memorat Matthæus cap. xxii.

3. §. *Tertia quæstio scribæ tentantis fuit de maximo manda-*
to: ac responsum est à Christo, hoc esse de Deo cunctis viri-
bus diligendo: cui mandato simile sit alterum, ut proxim-
um, sicut nosmet, diligamus.

Narratur hoc Matth. xxii, & Marci xii. Quia jubearius Deum diligere, quantum possumus, quæstio est, an possimus hanc Legem implere. Respondent aliqui, posse nos, quod ad actum externum, non internum: saltem actu neminem implere legem, quia in nullo sit ea legis perfectio, quam inesse nobis oportuit. Objectant, posse Deum per gratiam suam efficere, ut in nullo claudicet obsequium nostrum, etiam ratione actus interni. Sed non quæritur, quid possit Deus; verum quid homo possit pro gratia, quam Deus in hac vita admittitur. Pro qua gratia, si absolutam perfectionem attendas,

etiam comparatione alterius vitæ, fatendum, neminem posse sic Legem præstare. Sed posse interdum *ναπέ θείους*, sive pro ratione peregrinantium. Nam contradictionem implicat, si dicatur, non posse pro viribus donatis: quia hoc sit in dubium vocare, num possit, quod possit. Quare hac mente non rogandum, quod possit, sed an agat, quod possit.

4. *S. Nec Christus interrogari solum voluit: ipse etiam rogaravit Pharisæos, Quomodo Christus haberetur filius David, à quo in spiritu Dominus appelletur.*

Vide Matth. xxii, Marc. xi, Luc. xx. Atque hoc dixisse dicitur David in Spiritu: hoc est, cum Spiritu plenus esset, eoque falli, ac fallere non posset. Ad hoc argumentum Christi responderi videoas à Iudæis postea secutis, psalmum cum esse scriptum non à Davide: sed aut Eliezero, Abrahæni servo, ut is per dominum intelligat Abrahamum: quam sententiam Iudæis tribuit B. Hieronymus in hunc Matthæi locum: vel ab alio temporibus Ezechia regis, ut hic Rex signetur, quia federit ad dexteram templi, Deusque hostes ejus averterit: quam opinionem refert Tertullianus lib. v. contra Marcionem. Sed si psalmus ille alterutro modo tempore Christi fuisset intellectus, hoc respondissent Iudæi: quorum silentio posteriorum seculorum Iudæi condemnantur.

C A P. I X.

De sermone Christi in templo, postquam ab eo recesserant Pharisæi. Quo partim priorum officium tradit: partim Pharisæos describit: partim quoque iis, Iudæisque aliis, Dei judicium denuntiat.

1. *S. A* Tque ista locutus est Christus presentibus Pharisæis. Deinceps in templo sermonem instituit cum discipulis, & turba cum prosequente. Sermonem istum narrat Matthæus cap. xxiiii. Ei vero inde data occasio fuit, quod Pharisæi, ubi viderunt, nihil se posse adversus potentiam verborum Christi, sese proripiuerent templo. Post eorum igitur discessum Christus, primum instruit suos de-

piorum officio , usque ad versum xii : inde Pharisæos vi-
vis depingit coloribus , iisque multifariam maledicit , usque
ad versum xxii . Denique annunciat , quam acerbum Dei
judicium maneret eos , gentemque universam : de quo usque
ad capitum finem .

Particulatim aliquid de horum singulis exponam . In prima par-
te , quæ est de piorum officio , tum agenda Christus refert , tum ca-
venda ; idque Matth . xxi . 2. 3. Agere jubet , quæ jusserint Phari-
sæi , & Scribæ : ac præmittitur ratio illa , quia sedebant in cathedra
Mosis . Sententia est , quæcunque ex Mose , & Prophetis , dixerint ,
ea facite . Cavenda sunt opera eorundem : ut qui doceant Mosen , &
Prophetas ; sed ipsi non præstent . Nazianzeni est :

H μη διδάσκειν , οὐ διδάσκουσι τῷ τρόπῳ .

Vel ne doceto , vel doceto moribus.

Sed ex allatis Christi verbis , nec non Paulo Philipp . i . 15. 16.
videtur , divinam consulentibus stateram potius dicendum esse :

Λόγω διδάσκοι , εἰ μὴ διδάσκουσι τῷ τρόπῳ .

Verbis doceto , moribus si non doces.

Sane satius est , quomodounque docere , quam tantummodo
nocere . Semper enim aliqui erunt in Ecclesia Dei , qui , uti hic præ-
cipit Christus , magis vitam suam componant secundum Dei ver-
bum , quam juxta vitam sacerdotis . Omnium autem longe optimum
est docentibus , verba vertere in opera , ut Hieronymus loquitur .
Bifariam vero Pharisæi & Scribæ sedebant in cathedra Mosis :
ratione doctrinæ , & personarum . Doctrinæ successio principalis
est , ut appellat Irenæus . Altera autem secundaria . Sed tum tem-
poris utraque concurrebat . Christi igitur argumentum est hujuscemodi : Præceptis eorum , qui vocatione in cathedram h. e. doctri-
nam , & locum Mosis successerunt , obœdiri debet .

At sic successere Scribæ ac Pharisæi . Nec tamen obœdiri voluisti
in iis , quæ Legi adversarentur . Quare loquitur de iis , quæ Le-
ge præciperentur , vel saltem non repugnarent . Qualia & erant
quædam , non damnosa quidem , sed exiguae utilitatis . In cujusmodi
parere etiam in cathedra Mosis sedentibus jubet , propter loci & or-
dinis autoritatem . Hæc de faciendis .

Cavere autem opera eorum præcipit : idque dupli de cauſa .
Primum quia non faciant , quæ ipsi præcipiunt . Nam grave onus

alienis imponere humeris : tantum vero abesse , ut corpore toto , vel manu utraque , juvent hoc onere laborantes , ut nec digitulo onus attingant . Deinde quia , quæ faciunt bona , non faciant bene : nempe non eo fine , quo oportuit : sed ut laudem apud homines inveniant . Quam eorum ambitionem trifariam demonstrat : primum ex vestibus sanctorum ostentantibus . Deinde ex eo , quod affectent primos confessus , & accubitus . Denique ex salutationibus publicis , & appellationibus superbis . Ad primum pertinent hæc vers . v : Dilatant enim phylacteria sua , & maiores faciunt fimbrias palliorum suorum . Discimus vero ex Origene , Chrysostomo , Hieronymo , & Euthymio , φυλακτήρια fuisse membranulas , in quibus scriberentur legis præcepta . Has scribæ , & pharisei , circumligabant tum capiti , tum brachiis : ut hoc pacto legem Dei semper obculos haberent . Atque hoc se facere aiebant ex præcepto istoc Moysaco , Deuter . vi . 8 : Et ligabis ea quasi signum in manu tua , eruntque & inovebuntur inter oculos tuos . Ac B . Hieronymus ait , suo etiam tempore hoc factitatum ab Indis , Persis , & Babyloniis . Φυλακτήρια autem dixerunt , quia fierent ad memoriam Legis conservandam . Ea vero dilatabant , ut plura inscriberentur præcepta , vel ut longius spectarentur .

Fimbriæ erant filamenta hyacinthini coloris , non texta , atque ex insima vestis ora dependentia . Quas geri Deus justerat capite Mosis memorato : sed pharisei , ac scribæ , eas gestabant maiores , sive ut è longinquo etiam conspicuæ forent , sive ut viderentur legem exactius observare . Hæc de vestibus .

Alterum erat , quod amarent primos accubitus in cœnis , & primo sedere loco in synagogis . De honoratori accumbentium loco Ciacconium , ac Vrsinum , vide libro de Conviviis .

Tertium fuit de publicis salutationibus , & titulis honorificis : ut qui magistri , patres , doctores , audire vellent , cum unum habeamus patrem , Deum : unum doctorem , ac magistrum , Iesum Christum . Dixeris , Apostolum Ioannem , quos regenuerat Verbo , filios nuncupare : & Paulum se dicere patrem Corinthiorum , & ad Ephesios se vocare doctorem gentium . Veruni non simpliciter Christus his titulis interdicit : sed prohibet , ne eos affectemus , vel si ab aliis sic audiamus , eo nobis placcamus . Quemadmodum enim inter Christianos domini se gerere debent , ut conservos : quia omnes uni servimus Deo & Domino Christo : ita & omnes cogitare debemus , nos esse

esse fratres , pariter dicentes Deo , *Pater noster* : item nos esse condiscipulos , quia omnes à Christo edocti sumus eodem spiritu . Quare non ordine in docentium , & discentium , præsidum , & eorum qui reguntur , tollere voluit Christus : sed retundit fastum pharisaicum : qui fere magnificos affectare titulos solet . Iccirco subdit vers . x i : *Qui maximus est vestrum, erit minister vester* : ac sequenti versu addit minas , & promissionem : *Qui se exaltaverit, humiliabitur ; & qui se humiliaverit, exaltabitur.*

Atque hæc ad doctrinam pertinent . Partem capitis alteram dicebamus esse de summa Pharisaorum impietate , quæ hypocrisi velaretur . Hæc impietas signis octo comprobatur . Primum est injuria spiritualis , quia nec ipsi ingredierentur regnum cælorum , nec ingredi sinerent alios , quos onerarent suis traditionibus , & partim earum onere , partim exemplo malo , pravoque , ab obœdientia Legis averterent . De hoc est versu x i i i .

Alterum est avaritiæ cum hypocrisi conjunctæ : ut qui præ cæteris diu multumque in templo orarent ; jactarent etiam , pro viduis se preces fundere ; atque ita pietatis prætextu exhaustirent carum domos . Ob quam simulationem gravius dicuntur supplicium luituri publicanis . Nec enim hi abutebantur re sacra ad quæstum suum . Viduarum autem potissimum mentio fit , quia facilius viro decipitur mulier , & nuptia facilius vidua . Nuptæ enim maritorum uti consilio solent , ut non facilis sit eas seducendi via . Ut mittam , quod viduæ soleant magis esse religiosæ illis , quæ viris volunt placere . Quod de longis precibus dicitur , videtur firmare illud , quod dicebani de precibus pro viduis . Neimpe hoc beneficio devinctæ , convivio excipiebant pharisaos , muneraque iis mittebant . Ac propter hoc etiam gravius dicuntur puniendi . Nam per gravius iudicium gravior condemnatio signatur . Vide vers . x iv .

Tertium est signum laboris indefessi sub specie religionis exhausti . Ut qui circumirent mare & aridam , hoc est , terram ; (quomodo eam vocem Hebræi usurpant , & eorum more LXX interpretes) idque sine eo , ut facerent proselytum : quomodo à gentili religione ad Iudaicam accedentes vocari solent : ut qui ad Christianam accederent , *reconciliari* . Additur , ubi fecerint proselytum , fieri filium gehennæ , h. e. reum gehenna . dignum , ut mortis filius dicitur 1 Reg . xx . 30 . Imo dicuntur , ubi scinel à pravis magistris hauserint improbitatem , ac malitiam , ipsos tandem magistros longe à tergo relin-

quere. Videlicet in malis malorum discipulis malitia sic capiente incrementum, ut in bonis bonorum discipulis bonitas facere solet: secundum illud vetus,

Πολλοὶ μαζῆται κρέπιδοις διδασκάλων.

Praeflant magistri sapientis doctoribus.

Hæc de versu xv.

Quartum est signum erroris in doctrina de juramentis: ut qui putarent, si quis jurasset per templum, vel altare, nihil esse: quod vel absolute capiendum, ut qui sic juret, nullo modo teneatur præstare; vel comparate, ut nonnisi leviter reus fiat. At qui jurassent per aurum templo oblatum, vel munus impositum altari, eos voluere teneri promissis. Hanc doctrinam co refellit Christus, quod majus sit, quo aliquid sanctificatur, quam quod sanctificatur. Aurum vero à templo, munus sanctificatur ab altari. Nempe hic etiam habet locum illud è Topicis Stagiritæ nostri: Propter quod uniuersumque tale, illud magis tale. Hinc colligit Christus ex natura correlatorum, jurantem per altare, jurare per omnia, quæ sunt in altari: jurantem per templum, aut cœlum, jurare per eum qui habitat in templo, qui que throno suo insidet in cœlis. Satis de versu xxii.

Quintum est signum ex collatione imparium, quod industriae essent in minutis; negligentes in grandibus. De priori eo probat, quod non solum, sicut Lege erat præceptum, decimas darent de frugibus, & pomis: sed etiam de vilioribus: ut mentha, anetho, & cumino: de quibus nihil erat divinitus mandatum. Alterum eo firmat, quod omitterent tum judicium, sive vindicationem proximi adversus injurias illatas: tum misericordiam, sive beneficentiam erga egentes: tum fidem, sive constantiam in servandis promissis. De humana enim, non divina fide, hic loquitur. Neque negat, etiam viliorum posse decimas dari: sed ait, non ita hæc dari debere, ut negligantur longe majora. Quod quia facerent Pharisæi, vocat eos cœcorum duces: atque addit, excolare culicem, deglutire autem camelum. Nempe tralatio est à more orientali in excolandis vinis. Quæ purganda à minusculis animalculis: ut sunt culices: quibus oriens ob calorem abundat. At quid attinet ab his mundari, si relinquuntur grandia? quod sit, deglutire camelos, ut ἔπειροι λικεῖς loquitur Christus. Nempe hoc vult, eos ad superstitionem usqne urgere ceremonias: sed maxima dispre-

tui

tui habere, vel sane ob commodum suum dissimulare. Hæc de vers. xxiv.

Sextum signum est à studio externæ puritatis cum neglectu interioris. Nam purgare eos exteriorem poculi vel patinæ partem: at non curare cibum, vel potum, qui his ineſt: ut qui eos adepti ſint per rapinam, vel his abutantur ad intemperantiam. Vnde jūbet, prius purgare, quod interius ſit: à quibus ſi abſint rapina, & intemperantia, mundum etiam fore, quod exterius eſt: quia non polluit hominem, ſiquid cibus aut potus fordinum attraxerit ē poculo, vel vase: ſed illud vere inquinat, quod cor inquinat: ut quod adverſatur præceptis divinis. Hæc de versu xxv.

Septimum eſt signum hypocrisis: ob quam comparantur sepulcris exterius calce atque albario opere obductis; interius vero fordinum plenis. Atque hæc habeimus vers. xxvi i, & xxvi ii.

Octavum eſt signum hypocrisis conjuncta cum ſævitia. Hypocritos quidem erat, quod ædificarent prophetis sepulcra, & verbiſ damnarent cædem à patribus patratam: ſic interim fatentes, ſe eſſe impiorum liberos. At crudelitatis insuper arguuntur, cum dicitur, *Vos quoque complete mensuram patrum vestrorum.* Quo significat, ſe quoque ab iis occiſum iri, ac doctores item, quos miſlurus foret. Eſt vero Concessionis ſchema: ſicuti illud *:

I, ſequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Hæc de vers. xxix. xxx. xxxi. & xxxii.

* 4 En.

Ob hancce ſævitiam vers. xxxiiii. appellat eos *serpentes*: ac quia ſimilium erant patrum liberi, eosdem mox nuncupat *progeniem viperarum*. Insuper querit, quomodo, ſi tales eſſe perſtant, evitare valeant gehennæ judicium, ſive pœnam.

Supereſt tertia hujus capitis pars, quæ eſt de judicio ſuperventuro tum Pharisæis, & Scribis; tum universæ Hierosolymæ. Vtробique primo proponitur beneficium divinum; ſequitur ingrati animi vitium; ac ſubjicitur pœna ſecutura.

In priori parte id beneficij eſt, quod Deus mittat prophetas, ſapientes, & ſcribas: quomodo loquitur Christus, ut ſe accommodet illis temporibus, quo melius intelligatur. Significat vero ſe ipsum, Apoftolos, ac diſcipulos. Ingrati eſt animi, quod eos partim eſſent occiſuri, & affixuri cruci; partim etiam in synagogis ſuis cæfuri flagellis, ac perſecuti ſe civitate in civitate. Iudicium his verbiſ ſignificatur vers. xxxv: *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus,*

qui

qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidit sacerdos inter templum, & altare. Vbi vix non finem, sed eventum signat. Zacharias vero qui hic memoratur, non est Ioannis Baptistæ pater, cuius parens non est Barachias dictus: neque de ejus necesse quicquam traditum: sed Zacharias Ioadæ filius, quem inter templum & altare fuisse occisum, legimus 11 Paralip. xx 1 v. 21. Vnum obstat huic sententia videtur, quod is Ioadæ filius fuit, non Barachiae. Verum potuit Ioadæ fuisse binominis. Quamquam id vix censeo. Sed fortasse Euangelista omisit patris nomen: quod librarius addiderit perperam, quia confunderet Zachariam Ioadæ, & Zachariam Barachiae, unum ex minoribus Prophetis. Sane non aliud, quam Ioadæ filium, signari, eo credibilius est, quia is ultimus est prophetarum, de quorum necesse legimus in Scripturis. Satis quidem credibile est, & alios postea esse intercessitos; praesertim sub impio Manasse. Sed Servator eos solum nominare voluit, de quibus e Scripturis constaret. Sicui haec sententia de librarii lapsu videatur durior, per me licet, ut credatur aliquis recentior, de quo tum constaret, nunc non item. Sed quonodo dicitur sanguis eorum venturus super eos, qui non occidissent prophetas? Nemipe codem modo dicitur, quo legimus Exodi xx. 5: *Ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum in filiis in tertia, & quarta progenie.* Nihil quippe injusti habet, si illi, qui propriis delictis peccatas mererentur, puniantur ob delicta majorum. Quod Deus potest absolute, id in talibus etiam potest relate: quemadmodum alibi fuisus ostendi. Porro Christus non contentus semel hoc iudicium denuntiasset, ad majorem asseverationem repetit illud versu xxxv 1: *Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam.*

Itidem in altera parte id beneficij est, quod Christus voluerit Hierosolyniis congregare Ecclesiam suani, sicut gallina pullos suos sub aliis: ut est verl. xxxvi 1. Ingrati erat animi, quod tantum beneficium recusarent Hierosolymitani; ut est ibidem. Pœna vero est duplex. Prior, quod urbs propterea sit exscindenda. de qua versu xxxvii 1. Altera quod ab iis sit abfuturus, usque ad id tempus, quando, ut est Matth. xxi. 9, pii acclamabunt, *Benedictus* (βλογηθεὶς, sive multis benedictionibus cumulatus) qui venit in nomine Domini, h. e. cum mandato imperandi populo suo. Hoc futurum extremo judicii die. Etsi quidam sic interpretentur, quasi loquatur Christus de spirituali aspectu sui, non corporali. Atque hi existimant,

mant , Christum innuere , aliquos ex ampla civitate iri conversum . Sunt & qui signari credant conversionem Iudæorum , quæ judicium præcedet . Sane vel tempus istius conversionis , vel judicii designat . An' ǣpi , quod vulgatus parum Latine *amodo* vertit , pro *deinceps* , non significat præfens momentum : sed laxius capitur pro tempore passionis ac mortis . Nam post illud discipuli quidem viderunt Christum ; at non Pharisæi , atque impii Iudæi .

2. §. Atque hæc omnia in templo contigerunt . Vt & illud , quod Iesus , ex adverso gazophylaciis sedens , & conspiciens , quantum quisque in illud mitteret , minutum viduæ pauperculæ donum amplis divitum muneribus præstulit : quia hæc de penuria sua , illi ex abundantia largirentur . Quemadmodum refertur *Marsi* xii . & *Luc.* xx i .

Tria hic considerantur , factum viduæ pauperculæ , de eo judicium Christi , & judicii caussa . Factum viduæ hujusmodi est . Cum certatim divites dona ingererent in gazophylacium , etiam vidua pauperculam misit duo ǣnæ sive minuta . Gazophylacium erat arca in atrio templi constituta , juxta mandatum Regis Ios : ut est ii sive iv Reg . xii . Hebraice *Corbonam* vocari , cognoscimus ex Matth . xxvi i , ubi legimus , in *Corbonam* mittere . Quamquam Dionysius Richelius Carthusianus differre arbitretur . Qui & *Musah* credidit esse arcam Regis in templo positam , in quam itidem à populo pecunia inferretur . Sed eo signabatur locus custodum , Sabbatideum die custodia exeuntium . Minuta duo , quæ vidua immisit , valebant quadrantem , ut interpretatur Marcus : nisi cum Eu thymio , & Roberto Senali , libello de ratione mensurarum , ac ponderum , quodque minutum fuisse censeas quadrantem . Est vero quadrans quarta pars assis , aliterque *teruncius* à tribus unciiis vocatur . Valetque Hollandicam deutam , sive novenarium Brabanticum , prætereaque quartam deutæ sive novenarii partem . Sane festerius , qui duorum assium ac diuidii erat , valet Belgicis duabus blancis , sive sesquifuseros ; uti denarius , qui decem est assiuim , valet schellingio , sive sex stuferis . Quæ alibi fusiū comprobamus . Atque ex his liquet , quam minutum fuerit , quod tribuit hæc vidua . Videamus nunc Christi judicium . Qui ait , viduam plus aliis donasse . Ac caussam subdit , quod ǣstimari dona oporteat non magnitudine eo-

rum, quæ adveniunt foris, sed dantis affectu. Quippe cum alii largirentur de iis, quæ superercent, hæc dedit de paupertate, parum follicita de egestate. Differunt vero hæc duo, ut ex Seneca, & aliis liquet, quod cum diviti supersit, pauperi non item, nec tamen alienæ sit liberalitatis indigus; contra egens ab aliis sit juvandus, ut vitam possit producere.

C A P. X.

De sermone Christi extra templum: quo prædicitur, tum eversio templi, & Hierosolymorum: tum adventus filii hominis, & signa ejus. Item tres adferuntur parabolæ, una de iniquo judice; altera de decem virginibus; tertia de distributis talentis. Denique à Christo exponitur modus judicandi in novissimo die.

I. §. **H**inc templo egressus Iesus fuit, quod postea ingressus est nunquam. Cum exiisset, prædictis discipulis, quis status esset futurus, tum Synagoge Iudaicæ, tum Ecclesiæ Christianæ. Ad prius pertinent bella, famæ, & templi urbisque excidium: ad posterius, Christi adventus, & prævia adventus futuri signa. Quibus adjungit, quomodo nos ad ejus adventum debeamus præparare. Ut quatuor hic in considerationem veniant: Christi prophetia de Hierosolymitani templi eversione: interrogatio discipulorum de tempore, quo templum excindendum, & adventurus Christus: responsum Christi, prius ad priorem, inde ad alteram questionem: ac denique adhortatio ad vigilantiam. Hec omnia legere est Matth. xxiv, & xxv, Marci xiiii, & Luc. xxii.

Occasio tam luculento sermoni, sed, tanquam in re obscura, lucis, qua illustretur, indigenti, præbita ex eo occasio fuit, quod discipuli mirarentur magnitudinem templi ab Herode exstrueti, Christoque structuram eam monstrarent. Christus igitur agnoscere præstantiam operis: sed prædiccre ejus excidium. Matth. xxiv. 2. Discipuli jam ante, ut vidimus, edocti fuerant de abdicatione Synagogæ.

gæ. Et regnum Christi terrenum fore putabant. Ergo, sedente Christo in monte Oliveti, ex adverso templi, eum accedentes interrogarunt hæc tria, ut bene Hieronymo observatum, quando es-
set futura illa templi eversio: & quo signo essent scituri instare ad-
ventum Domini: & unde essent cognituri de imminente seculi
consummatione: sive quando Christus foret adventurus in gloria.
Credebant, subverso templo isto, mox aliud multis partibus præ-
stantius exstructum iri à Messia; qui Iudeos esset liberaturus Roma-
norum jugo: eoque Rege seculum ad statum perfectissimum redu-
ctum iri. Atque ita confundebant excidium Vrbis & Orbis: tem-
pus inquam illud, quo templum esset excindendum, cum eo, quo
Dominus esset redditurus ad judicium. Iccirc duas quæstiones diver-
sissimas sub una comprehendit Matthæus. Hæc confusio quia gra-
vissima iis erroris causa esse postea poterat, commonet discipulos,
ne sinant se ab iis seduci, qui essent venditaturi se pro Christo, ac
multis illusuri. Hæc vers. iv, & v. Tum subdit Christus signa, quæ
præcessura essent excidium templi. Ac primum adferuntur coim-
munes calamitates, sive ab hominibus illatae: ut bella, & bellorum
rumores; adversus quæ præmonentur discipuli vers. vi: sive cælitus
immisæ, ut famæ, pestilentia, & terræ motus; de quibus vers. vii.
Quæ tamen omnia non finis, sed initium duntaxat dolorum erunt,
ut est vers. viii. Communibus hisce calamitatibus subjicit alias
Ecclesiæ singulares. Ut sunt, tum prodiciones, cædes, & odia,
propter nomen Christi; ut est vers. ix: quæ etiam mala magis &
magis capient vires; de quo vers. x: tum incursions ac seditiones
falsorum prophetarum: ut est vers. xi: tum etiam iniquitatis sum-
mum incrementum, caritatis vero imminutio, & extincio: ut est
vers. xi. Adversus quæ præmunit adhortatione ad perseverantiam,
quæ promissionem habet vitæ æternæ; ut est vers. xii. Denique
aliud signum, quod antecedat templi excidium, adseritur. Nempe
quod prius Euangeliū sit prædicandum per universum terrarum
orbem: sicut est vers. xiv. Sunt qui verba illa, *Et tunc veniet consum-
matio*, intelligant de fine mundi: sed, quæ diximus, satis ostendunt,
loqui hactenus Christum de illis, quæ præcedent non finem mundi
totius, sed solius Ecclesiæ Iudaicæ: ante cujus excidium Euange-
lium toto fuisse orbe prædicatum, magnam partem ex Actis Apo-
stolicis discere est.

Postquam de iis actum, quæ excidium templi diutius antece-
I 2 dunt,

dunt, acceditur ad signum proximie excidium præcedens. De hoc ita vers. xxv: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele * propheta, stantem in loco sancto.* Vbi quid per abominationem desolationis intelligatur, his Lucæ verbis ostenditur: xx i. 20: *Em autem videritis circumdari ab exercitibus Hierosolymam, tunc sciote, quod immineat desolatio ejus.* Abominationem igitur vocat exercitus infidelium. h. e. Romanorum, qui desolaturi sive eversuri erant urbem, ac vastaturi terram sanctam. Ac quia Danielem multi legerent, nec intelligerent, eo subjungit hæc verba Matth. xxv. 15. *qui legit, intelligat, sive animadvertis.* Hinc sequitur narratio gravissimæ afflictionis, & Iudaicæ Recip. finis. Quæ partim instituitur verbis figuratis, partim propriis. Figuratis quidem vers. xv i, xv i i, xv i ii. Quibus jubetur, ut qui in Iudæa erunt, fugiant in Arabiæ montana: qui in solario, ne descensuri laborent de re quapiam afflumienda: qui in agro, ne in urbem redeant, ad vestes, vel aliud quid, auferrendum: Itidem vers. xix, & xx. Quibus gravitas pœnæ partim eo significatur, quod feminis gravidis, vel lactantibus, non suppetet tempus fugæ: partim, quod orandum erit, ne fuga fiat, vel hiceme, quando brevitas dierum longe fugere non sinit: vel Sabbato, cuius iter solum erat vi i stadiorum. Sane Act. i. 12. ubi in Græco est, *itinere Sabbathi*, Syrus interpres reddidit *septem stadiis*. De quo tamen aliqui aliter, ut eum ad locum eruditæ Beza annotavit. Hæc fane de fuga quæ fieret Iudæa relicta, satis firmant Chrysostomi opinionem, quæ haec tenus adduximus de Vrbis, non Orbis, excidio intelligi oportere. Hinc vers. xx i, & xx i i. aperte & propriis verbis exponit quam tempora futura esent acerba. Tanta enim fore dicitur afflictio, ut ab omni hominum memoria non fuerit par, nec sit futura: imo à sicariis, & zelotis, peritoram fuisse omnem Iudææ carnem, nisi dies illi fuissent decurtati; sed matrandam Hierosolymorum obsidionem, atque ita, intra urbem sicariis, & zelotis conclusis, tandem latrociniorum, ac mutuarum cædium, fine fore. Quæ licet non tam aperte dicat Scriptura, non aliam tamen mentem habere, eventus ostendit, quem ex Iosepho cognoscimus. Atque hæc de responso Christi ad primam discipuloruin quæstionem.

Hinc accedit Christus ad alteram eorum interrogationem: quando adventurus esset Messias. Ad hanc non respondet affirmate, quia satius erat nescire, imo nec ipse sciret Christus. Non igitur signa

* Dan. 9.
27.

signa referuntur adventus: sed quæ signa non sint adventus: idque ne alius à se credatur advenisse, vel jamjami affore, cuius adventus fortassis diutissime sit differendus. Hoc fine traditur, non credendum illis, qui hic, vel illic, se dicerent esse Christum: quia sint futuri pseudochristi, & pseudoprophetæ, qui non sermone solum, sed etiam signis mendacibus, sint homines seducturi, ac, si fieri possit, ipsos electos. In hisce, qui se pro Messia venditarent, fuit Theudas ille, de quo Actorum v: plenius vero Iosephus lib. xx. Antiqu. cap. iv. Negat etiam Christus, talia fore signa, quæ instare ejus significant adventum: nam adfore eum ex improviso, quomodo fulgur ab Ortu travolat ad Occasum. Atque hæc est mens versus xxv i, & xxvii. Quibus versu xxviii. subditur: *Vbicunque enim fuerit cadaver* ($\pi\lambda\mu\alpha$) *illuc congregabuntur & aquila.* Vbi (ut & Proverbiorum xxx, 17) per aquilam signatur gypaetus, sive vulturius degeneris aquilæ genus: sicut ostendi lib. iii. de Origine, & progressu idolatriæ cap. lxxxix. Eandemque sententiam habenius Iobi cap. xxxix, 29*: * *Al. 30.* item Lucæ cap. xvii 37. Sed apud Iobium sumitur proprie: apud Evangelistas figurate. Sunt qui apud Matthæum sic interpretentur: Cum adventus Messiae sit futurus inopinatus, ac celerius, instar fulguris: animus vester, ne unquam sit imparatus, sed semper meditetur Christum crucifixum: ac huic adhærescat, haut secus ac cadaveri vulturius. Sed veram mentem ex scopo perspicere est. Propositum est Christo munire pios adversus pseudoprophetas; qui dicuntur essent, Christum in eremo esse, vel in penetralibus, ac eo ducent illos parati forent. Vult, ut tales habeantur pro impostoribus, quia non sic erit comparatum cum adventu Messiae, ut alii alios in abdita ducant loca, ubi compareat Christus, & ita paulatim innotebeat: fore enim adventum ejus inopinatum, interim omnibus manifestum; ut se res habet cum fulmine: fore etiam ut nos eodem, ubi is erit, colligantur; sicut se res habet cum aquilis, quæ congregantur ubi est cadaver. Quasi dicat: *Quid credatis talibus Christum vobis ostendere volentibus?* cum is inopinus se oculis vestris sit ingesturus, & subito vos ad se rapturus.

Vidiimus, quæ Christus neget fore signa sui adventus. Hinc docet, quæ prævia signa sint futura tum adventus sui, tum consummatiōnis seculi. Dicit apud Matthæum xx iv. 29, fore ista $\delta\chi\omega\mu\alpha$ $\tau\eta\mu\epsilon\rho\alpha\tau\epsilon\mu\epsilon\alpha\tau\omega\alpha$, statim post afflictionem dierum illorum. Hoc est, post excidium Hierosolymitanum. Hinc exponit, signa ista

fore, Solis & Lunæ obscurationem, casum stellarum è cœlo, quaassationem cœlestium potestatum: quæ figurate, ut apud prophetas solent, intelligi debent. Nempe per Solem signatur Dei Verbum falsis interpretationibus & traditionibus obscuratum: per Lunam mutabilia terrarum imperia, præcipue Romanum, segnitie Cæsarum imminutum & ab exteris gentibus subactum: per stellas, illustres Ecclesiæ doctores, deficientes ab Euangelica veritate: denique per celorum potestates, res Ecclesiasticæ, quarum gubernatio futura penes Christum. Hæc signa sunt futuri adventus.

Hinc de ipso agitur adventu. Ac primum qualis sit futurus, explicatur. Deinde quatenus certus, quatenus incertus, ostenditur. De priori est versu xxx. Vbi dicitur, signum filii hominis apparitum in nubibus, velut tribunal: ejus conspectum fore impius terribilem, sic ut plangent undique terrarum: fore hunc adventum cum potentia, & gloria multa.

Vers. xxx i docet, missurum angelos suos cum clangore tubæ ad electos suos undique colligendos.

Certain esse prophetiam, ostendit exemplo fucus. Nam ut ex ejus constitutione æstatem propinquare cognoscitur: ita etiam ex signis adlatis præsciri, non longe abesse adventum Christi. De quibus vers. xxxii, & xxxiii. Idem simplici asseveratione firmat vers. xxxiv. Item comparatione naturæ cum sermone suo: quæ instituitur vers. xxxv. Sed bifariam ea intelligi possit. Nempe vel hoc pæto; Peritum quidem mundum, sed verbum suum fore æternum: vel hunc in modum; Potius peritum rerum naturam, quain ut aliquid eorum non fiat, quæ prædixerit. Sed ut certus sit Christi adventus, & seculi consummatio: tempus tamen est incertum. Ut quod homo neino sciat, imo nec angeli, vel filius hominis, sed solus pater cœlestis: ut est vers. xxxvi. Exemplo vero rem declarat vers. xxxvii, xxxviii, xxxix. Id petitur à temporibus Noë: cum omnes ederent, biberent, luderent: atque ut apud Lucam additur, uxores ducerent, plantarent, ædificarent: non quasi hæc ǣdǣs daminentur, sed quod toti forent in hisce mundanis, Dei, ac salutis suæ penitus immemores. Ac quemadmodum hi solis iis vacarint, donec diluvium perderet mundum: similiter ait Matthæus securitatem fore, cum Domini instabit adventus. Quo, ut est vers. xl, & xl i, deprehendet omnes, eosque separabit. Cujus discriminis duo ponit exempla; unum ex agro, alterum ex pistrino.

Iis significat tristissimam etiam conjunctissimorum separationem,
unius ad præmium, alterius ad pœnam.

Hactenus respondit Christus ad tria illa, quæ discipuli quæsierant. Deinde explicat hujus doctrinæ usum; qui maximus est. Nam ex eo, quod adventus Christi sit certus apud Deum, hominibus vero incertus: colligit, omnibus esse vigilandum; ut est vers. XLII. Atque hoc vers. XLIII illustrat similitudine patris familias: qui si scis-
set, quando fur esset adventurus, non permisisset dominum suam per-
fodi. Vbi furi comparatur Dominus, ut Deus alibi injusto judici.
Nempe eo similis adventus, quia uterque inopinatus. Ex eo, quod
furis adventus futurus sit inexspectatus, concludit vers. XLIV, &
nos semper paratos esse oportere. Atque hoc septem versibus seqq.,
nempe usque ad capitum finem, illustrat parabola duorum ser-
vorum, qui à patrefamilias peregre itero escent domini præfecti. Vbi
alludit ad veterum morem qui servis præsicerent præcipuum ser-
vum, quem atrensem vocant. Ejus erat demensum reliquis ad-
signare servis. Non igitur intelligendi duo servi eadem in domo:
sed discrimen servorum diversis in ædibus, vel eadem in domo
temporibus diversis. Servus unus bona fide administrat cuncta.
Alter, morante Domino, dure habet conservos, & res domini sui
dilapidat. Domino redeunte, sors quam dispar? Fidelis ille ad ho-
norem evehitur: quo significatur mercès vitæ æternæ. Infidelis
adficitur supplicio: quod Euangelista indicat his verbis: *Dominus di-
videt eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. illuc erit fletus, & stridor
dentium. Quibus sempiternum exitium denotatur.* Græce est,
Καὶ διχολογήσεται τὸν, quod Erasmus interpretatur, *Et dissecabit eum.*
Ut respiciatur ad supplicii genus, quod est sectio hominis in me-
diū. De quo supplicio è legibus xxi tabularum est apud Agel-
lium lib. xx. cap. i. Ac apud Iudeos Iesaias serra à Manasse
dissectus putatur. Aliis tamen simplicius videtur, si intelligatur di-
visio, sive separatio ab aliis servis: præsertim cum sequatur, *τὸν μέρος αὐτοῦ μη τὸ πάτερι λαβεῖν*. quod ad verbum sonat, *partem ejus ponet cum hypocritis.* Vbi partem valet conditionem: *ponet* valet
adsignabit. Semperiternum vero exitium indicatur, cum additur,
Ἐκεῖ ἐστιν ὁ κλαυθμὸς, ἢ ὁ βενγυμὸς τὸ οἰδόντων, illuc erit ploratus, & stridor dentium. Atque hæc omnia licet proprie pertineant ad diēm
mundi novissimum, & judicium universale: tamen suo etiam modo
locum habent in die cuiusque novissimo, & judicio particulari,
quale

quale mox à morte. Nec enim magis mortis certi sumus, quam
Dominici adventus.

2. §. Ad ea, quibus nos ad suum præparat adventum, va-
ria pertinent parabole: etiam illa Luca cap. XVIII. vers. I,
& v. 11. seqq. Est ea de judice nec Deum reverente, nec ho-
mines: sed tamen, cedente affiduis vidua interpellationibus,
partim ne, si sic pergeret molesta esse, penitus obtunderet:
partim ne infamia foret, si ad ejus clamorem obsurdesceret.

Vtramque enim cauſam adfert Christus. Quamquam Deum non ti-
meo, nec hominem revereor: tamen molesta est mihi hac vidua: vindicabo
(ἐνδικήσω) illam, ne tandem veniens fugillet me. Gr. Τωπιάζῃ με.
Quod fugillet, non modo vulgatus vertit interpres, sed etiam Eras-
mus. Proprie autem Τωπιάζειν notat, τὰ Τωπία, sive partes ocul-
lis subjectas sic percutere, ut livorem contrahant. Glossæ Philoxe-
ni. Suggillat, τηνῶτ, Τωπία ποῖει. Sed Τῷ μεταφορᾷ usi ea voce
pro, infamia aliquem afficere. Videlicet quia sic percussi, videantur
ab omnibus, ita ut nec audeant in publicum prodire. Sic usurpat
B. Hieronymus in proœmio Pentateuchi: *Qui me afferunt in LXX in-
terpretum suggillationem nova pro veteribus cedere.* Ac sic accipi hoc loco,
etiam Alphonsi Salmeronis * sententia est. Aliqui tamen arbitran-
tur, Τωπιάζειν obtundere: quod classicis scriptoribus valet ad fasti-
dium usque aliquid repetere. Et favet Syrus interpres, qui vertit,
molesta sit mihi. Ino & Arabs, *Vexet me.* Quo pacto Lucas non ge-
minam afferat rationem, sed hanc unam, ne vidua porro esset mo-
lesta.

Scopum parabolæ initio capit is indicat ipse Euangelista his ver-
bis, τρέψ τὸ δὲν πεντελε περσθέχεθαι, quod oporteat semper orare, ne-
que unquam animo defatigari; utcunque res postulata necdum ob-
tingat. Quod Paulo 111 Ephes. est, μὴ ἐκκαπεῖν ἐν ταῖς θλίψεσιν
non deficere in afflictionibus, nec malis succumbere.

Fuere autem, qui per impium hunc judicem intelligi Deum pu-
tarent. In his auctor est explicationum S. Scripturæ, quæ Athana-
sii dicuntur. Cujusmodi interpretationem explodi oportere, meri-
to ait Titus, Bostrorum episcopus. Siquidem non voluit Christus
argumentum adferre à simili; sed, ut artis nunc vocabulis utamur, à
minus ad magis, hoc est ab eo, quod minus inesse videtur, ad illud,
quod

* Libro de
parabolis
Euangelicis
tractatu 31.

quod magis insit. Quod perperam vulgo dicunt, à minori ad maius. Neque enim hic attenditur, ecquid præstantius sit: sed quid verisimilius sit, sive, ut Aristoteles in Topicis loquitur, τὸ μᾶκαν τοῦ ἡπερχειν. Hoc argumentum est istiusmodi: Si etiam judex injustus tandem se paſſus est exorari, ut fusciperet viduæ cauſam: quanto magis Deus exaudiet pios, qui diu noctuque ad eum preces fundunt? Nihil vero est quæſito opus, utrum, quod parabola hac refertur, contigerit vere. Nec enim in hujusmodi magis opus est fide historica, quam in philosophorum, oratorumque apologis. Parabolam vero istam ad extreumum judicium pertinere, arguunt verba iſta, quæ poſtremo leguntur loco: *Verum tamen filius hominis cum venerit, nun reperturus est fidem in terra?* Quasi dicat, Deus quidein exaudiēt piorum preces, & eorum cauſam vindicabit: ſed num putemus, in illa ob afflictiones deficiētium multitudine, Filium hominis noviſſimo die multos, quos vindicet, reperturum? Commodo vero iis, quæ dicta erant de precandi perseverantia, ſubjiciuntur hæc de fidei defectu, quia fidei defectus eft cauſa, cur non perſevertur in precando. Vnde Augustinus libro de verbis Domini: *Hoc autem Dominus adjicit, ut offendat, quod, si fides deficit, oratio perit.* *Quis enim orat, qui non credit?* Ergo ut oremus, credamus. Et, ut ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus. Fides fundit orationem: fusa oratio fidei impetrat firmitatem.

3. §. Præterea attulit Christus parabolam de quinque virginibus sapientibus ac totidem fatuis: *Quarum priores lampadibus suis prospexerunt ab oleo, nequid in ſe moræ eſſet, quo minus obviam irent ſponſo, ſponsaque: alie næ vero id neglexerant: unde factum, ut cum obdormiviffent universa, ſed, adveniente ſponſo, clamore excitarentur nocturno, necceſſe habuerint oleum petere à prudentibus.* His vero morem ei poſtulato gerere detrectantibus, ne neutrī ſuppeteret ſatis: aliunde emtum ire ſunt coactæ. Interim virgines sapientes cum lampadibus occurrentes ſponſo, ingressæ ſunt una cum illo in nuptias; & fores ſunt occluſæ. Quare venientes alteræ quinque, utut clamabant, *Domine, Domine aperi nobis; nullum tamen aliud acce-*

pere responsum, quam illud, Etiam atque etiam hoc
vobis affirmo; Haud novi vos.

Solus hanc parabolam narrat Matthæus cap. xxv. Incipit ab illis verbis: *Tunc simile erit regnum cœlorum.* Vbi tunc valet, mox à morte cuiusque, & præcipue tempore juridicialis judicij, quando damnabitur servus impius, qui morante domino percutserat servos, & ancillas. De hoc enim parabola proxime apud Matthæum præcesserat. Porro hac parabola Christus nos ad vigilantiam adhortatur; ne, cum serum erit, frustra doleamus. Quod satis liquet ex epiphonemate parabolæ subuncto: epiparabolam vocare liceat, ut θημυστὸν dicimus. Cujusmodi sit parabola, vidimus iam. Quod sponsus noctu à virginibus exspectatus dicatur, hoc inde est, quia in Cananæ sponsi cum adolescentum comitatu noctu solebant accedere ad sponsam: eoque adventante virgines ei prodirent obviam, honoris ergo. Sane moribus etiam Romanis sponsa appetente nocte tradebatur sponso. Quam rem fuse, inter cæteros, narrat Barnabas Brissonius lib. singulari de ritu nuptiarum. Exinde vero quod non nisi noctu sponsæ domum ducerentur, ratio est aperta cur opus fuerit lumine nocturno. Romani ad hoc usæ sunt facibus: quæ fere ex pinu, vel spina alba. In hac parabola mentio est lampadum, & olei. Sane in V. T. non fit mentio candelarum sebacearum, vel cereorum: è quibus sebacea etiam οὐρανῶς Belgis vocantur hecrffen / cum, ut επιμον indicat, proprie notet cereos. Nam vocem hanc Romani pronunciabant, ut Græci υπόσ. Quodsi lucernis è sebo, vel cera usi forent veteres ludæi: id fuisset in templi candelabris. Sed hic obtinuisse oleum olivarum, satis est apertum. Nunc ad significationem parabolæ veniamus. De qua mirifica somniabant Gnostici, & Valentiani. Nam ut ex Tertulliano de Anima cap. viii cognoscere licet, per virgines fatuas signari aiebant quinque sensus externos, deceptu faciles: per quinque sapientes exprimi aiebant vires intellectus in perspicienda veritate. A quibus non multum abibat M. Antonius Genua, philosophus Peripateticus: qui per sponsum intelligebat intellectum agenteim, per sponsam intellectum patientem, per virgines fatuas, sensus quinque externos, per sapientes, sensum communem, & cæteros internos; per oleum rerum externarum objecta. Sed in hujusmodi commentis semper meminisse conuenit aureæ illius regulæ apud B. Hieronymum*: Prudentem semper admono

neo lectorem , ut non superflutiosis acquiescat interpretationibus , & qua comate pro fingenitum dicuntur arbitrio ; sed consideret priora , media , & sequentia , & nectat sibi universa , quæ scripta sunt . Præter vero interpretationem istam quinque sunt aliæ , quæ nihil habeant cum Gnosticis commune . Commemorat eas Alphonsus Salmeron sermonum in parabolas Euangelicas tractatu duodequadragesimo . Eas legere apud illum potes . Censeo autem , per virgines signari , qui Euangelio sunt vocati , atque id amplexi . Nec enim intelligi debent plane infideles , quales scortorum magis , quam virginum merentur nomen ; sed solum qui sunt in domo Dei , quam Ecclesiam dicimus . Lampades sunt bona opera coram hominibus lucentia . Oleum est fides . Ejus defectus est fidei defectus . Obdormitio est securitas . Clamor nocturnus est citatio omnium ad judicium . Intromissio in conclave sponsi , est receptio in celum . Exclusio ex sponsi ædibus est exclusio è celis . Prudentia sapientum virginum in eo constituit , quod non tantum habuerint oleum in lampadibus , sed etiam in vasculis , unde oleum infunderent , ubi periculum foret , ne deficeret lumen . Insipientes vero , dum oleo sunt contentæ , quod inerat lampadibus , misere se decipiunt . Melius iis suislet , si sponsus advenisset , dum & carum lampades arderent . Nunc aliter est , quia non tantopere sibi de oleo prospexerant , quam exigebatur usque in adventum sponsi . Aliter animatæ fuere virgines sapientes : quibus large satis suppetebat . Nempe harum oleum non tam qualitate exsuperabat , quam quantitate : quam durabilitas consequitur . Quo & nos edocti , non debemus eo nobis nimis placere , quia non male ceperimus : sed opera est danda , ut assiduis precibus , & exercitiis caritatis , augeatur in nobis fides , ac pietas . Quo enim fides luculentior , hoc durabilior : ac proinde licet aliquousque sis progreffus , ad ulteriore fidei gradum tendere oportet , donec ea robur acceperit , ac radices egerit : qualis non deficit . Sed inanis persuasio non sufficit , quæ frustrari solet . Ex Apostoli præcepto , opus est , ut per pietatis exercitia certam reddamus vocationem , & electionem nostram .

4. §. Denique ejusdem scopi parabolam addit aliam , eamque triparitam . Membrum primum est dispensatio heri ; qui priusquam in terras abiret peregrinas , servorum uni quinque dedit talenta ; alteri bina ; tertio unum . Alterum mem-

brum est servorum opera. Primus negotiando quinque talenta, est lucratius totidem talenta: alter binis bina: tertius talentum defodiendo pecuniam reliquerat otiosam. Tertium membrum est eventus, qui tum consisset in cognitione causae, tum in judicio. Dominus enim ubi domum rediit, rationes exegit à servis. Ac primus quidem, & secundus, ob rem bene gestam à Domino sunt laudati, & premio ornati. Tertius rationem reddere jussus, quasi non esset satis rem male gessisse; etiam culpam transferre voluit in dominum. Vtique nomine reprehensus est: neque solum talento est privatus; quod primo datum servo: sed etiam in carcerem est conjectus.

Hæc de talentis parabola legitur Matth. xxv. 14 usque ad 32. Etsi vero ad rem non multum hic refert, quantum valeat talentum: tamen verisimile est loqui Christum de talento Hebræorum: quod illis ciccar: pro quo κίγχαπες est apud Iosephum lib. 111. Antiquit.

* Secundum distinctionem Rufini: Graec autem cap. 7.

Iudaic. c. x *, ubi de pondere agens aurei candelabri, sic scribit: Σταθμὸν ἔχον μνᾶς ἐκατόν. Εἶσχεις μὴ παλέσιν κίγχαπες, εἰς δὲ τὴν Εὐηνικὴν μεταξὺ οὐρανοῦ καὶ γῆς αὐτὸν οὐκανέται λαβάνον. Quod Rufinus reddidit, Pondus habens minas centum, quod Hebrei dicunt cinchares: Graeca lingua interpretatum, talentum nuncupatur. Pro cinthares, ut edidere, vel cynthares, ut est in Mso nostro, reposui ex Græco cinchares: pro Hebreo ρυνα ciccar: unde κίγχαη vel κίγχαπες, γη, vel inserito: prout à γη, fadin, σινδων, ab ιησοzen, h. e. auris, venit arsa: similiter è Græcis: ut βιγκάνη runcina, βυζής fundus, ἔχις anguis, δασύς densus, atque alia. Quodsi, ut Iosephus ait, ciccar sive talentum Hebræum valebat centum minas, idem fuerit ac talentum Ægineticum: non Atticum, quod tantum lx minarum erat. Mixa autem valebat centum drachmas: drachma sive denarius assis denos: h. e. Belgarum sex stuveros, quos schellingium vocant. Talentum igitur Atticum fuerit mille & octingentorum Karoleorum: Hebræum sive Ægineticum ter mille Karoleorum. Sed rem ipsam consideremus.

In hacce de talentis parabola, herus est Christus: famuli sunt omnes per Euangeliū vocati. Inæqualis talentorum collatio est inæ-

inxqualis divinorum donorum distributio. Negotiatio servorum fidelium significat rectum divinorum donorum usum. Defossio est eorundem neglectus, vel abusus. Remuneratio est gratuita merces cælestis gloriae. Pœna mali & ignavi servi est duplex: prior, quod privatus talento, h. e. bono accepto; atque id datum quinque talenta lucrato: juxta canona perpetuum; quo Deus honorat se honorantes, & impiis adimit quæ dedit. Altera pœna est, quod in extimas tenebras, h. e. gehennam, sit abjectus.

Nunc fusius ista diducam. Ac primum illud attendimus, quod Deus dicitur unum uni, bina alteri, quinque tertio talenta dedisse. Hinc enim cognoscimus, non esse ex nobis vires ad ullum spirituale bonum: sed à Deo esse eam virtutem, *quæ talenti nomine signatur*. Atque ut eo gratia spiritualis necessitas, ita & diversitas indicatur. Tertium accedit, sufficientia gratia, in tantum saltem, ut ne Deus perditionis causa videri possit. Atque hæc abunde elucet ex eo, quod Euangelista dicit *, ἐδωκε ἐκάστῳ καὶ τῷ ιδίᾳ εὐώνυμῳ. *dedit cuique secundum ipsius facultatem*. Vbi vires intellige non nativas, quibus nihil homo valeat in spirituali bono: sed gratia supernaturali additas, & electis hactenus cum non electis communes. Nec enim Deus injustus est, ut plus alicuius humeris imponat, quam ferre valeat. Præterea cognoscimus negligi talentum posse concessum, defodiendo illud; ut sit gratia non defectus, sed neglectus, quia quis non utatur gratia divinitus collata. Atque hoc, licet parabolicum, valde iis adversatur, qui arbitrantur, hominem accepta gratia non plus boni facere posse, quam facit. Insuper hinc colligimus, disparem esse divinæ gratiæ usum: nec illos, qui nihilo amplius, vel etiam minus, aliis acceperunt, debere cogitare, eo sibi adlaborandum minus iis, qui majori accepta gratia, vel pari saltem, satis sint negligentes. Interim eos, qui duplum, vel amplius à Deo accepere, obstringi ad hoc, ut duplo, vel plus, commodi adferant Ecclesiæ Christianæ. Accedit ad ista, quod cum videmus, Deum remunerari eum, qui bene usus est talentis, eodem cognoscimus immensam Dei bonitatem, qui licet non foret nobis ulla ratione obstrictus, tamen sponte se obligarit nobis, saepe interea nec facientibus, quod debeamus, & per Dei gratiam possumus. Quando item servus nequam ait, se defodisse talentum, quia sciret duritiem domini, valentis metere, ubi non sevisset: animadvertere licet malitiam hominum, Deum accusantium injustitiam ac immisericordiam,

quasi ab homine exigat, quod nequeat præstare. Hoc enim est, metere velle, ubi non severis. Ex ira Domini adversus servum, atrox sibi crimen impingentem; domini item responso, dicentis, si non hoc pacto, alia saltē via potuisse uti talento; satis appareat, multiplicem esse rationem bene utendi donis divinis. Vnicuique autem esse dispiciendum, quomodo quam optime sit usurus prævocatione sua. Cum audimus, ei, qui talentum defoderat, illud eripi, ac conferri quinque talenta lucrato: commonemur, si gratiam Dei negligamus, ea spoliatum nosiri: at recte ea utentibus datum iri gratiam majorem. Eo additur, *Habenti dabitur.* h. e. lucrato aliquid, sive recte gratia uso, major gratia conferetur. Tertullianus lib. iv adversus Marcionem cap. xix: *Quid dabitur? Adjectio fidei, vel intellectus, vel salus ipsa.* Sequitur, *Non habenti adimetur etiam quod habet,* sive, *quod habere videtur:* ut est Luc. viii. 18. Hoc est, Nihil lucrato, sive non uso donis gratiæ, etiam adimetur ea gratia, quam accepserat. Denique cum dicitur servus, ob defensionem talenti, conjectus in tenebras, ubi sit stridor dentium: discimus, quod Deus hominem pœniscit æternis, non esse ab irrationali voluntate, quasi locum hic habeat illud,

* *Invenialis.* Sic * volo, sic jubeo: stet pro ratione voluntas:

Sed, quemadmodum hoc recte explicant, Augustinus, Prosper, ac veterum alii; esse id ab judicio, saepe multis partibus occulto, semper tamen justo: propterea, quod homo pœnas sit commeritus gratiæ neglectu, eoque diutino: qualem vel solam, vel imprimis signari, indicio est, quod dicitur dominus peregre profectus, post multum tempus revenisse: nempe vers. xxix: Μετὰ δὲ χρόνον πλινθεῖται εἰς νέας. Ac quia sic dicitur puniisse servum inutilem, qui unicum accepisset talentum, cognoscimus, quanto maiores daturi sint pœnas, qui non unicum, sed duo, vel quinque acceperint, sed defoderint: & si tam severe punit neglectum talenti, quod est peccatum omissionis, atque inertiarum, quanto magis sit animadversurus in abutentes; ut si quis talentum impendat in scorta, vel alia patret flagitia; quae sunt peccata commissionis. Eoque cunctos, praesertim autem Verbi ministros, & quotquot divinae humanaque sapientiae studiis operam impendunt, sedulo hoc agendum est, ne inertiarum possint accusari: quod in hac infirmitate humana per est difficile: ut omnes cogamur dicere illud divini psaltæ ps. xviii: *Delicta quis intelligit?* ab occultis meis munda me. Vbi præcipue intelliguntur peccata

cata omissionis : licet plerique omnes mortales ea non attendant ,
vel pro levissimis ducant.

5. §. *Ab hac parabola Christus apud Euangelistam commode transit ad enarrandum ultimum judicium. Vbi tria considerantur : quæ judicium sive processum antecedunt , judicium sive processus , & sententiæ executio. Antecedunt hæc tria. Primum adventus Filii hominis gloriosus : qui futurus est in nubium throno , & cum angelis sanctis.*

Vbi curiosius fortasse queratur , num Christus cum aliquibus , an omnibus , sit angelis affuturus. Videtur interim hinc postle quæstio exsolvi , quia dicitur , *πάντες οἱ ἀγέλαιοι περὶ αὐτοῦ*. Additur , sessurum *Θεὸς δόξης αὐτοῦ*. Vbi per thronum gloriosum nubes signari , liquet ex eo , quod alibi dicitur in nubibus venturus.

6. §. *Deinde subjicitur omnium gentium ad judicium convocatio.*

Quod angelorum fiet ministerio , tuba omnes convocantium ad judicium. Quam congregationem scite describit Hieronymus epistola prima * ad Heliodorum : *Tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populo* * *In fine pulis , & tu gaudabis. Iudicatur Domino , lugubre mundus immugiet : tribus ad tribus pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpabantur. Exhibebitur cum prole sua Venus. Tunc ignitus Iupiter adducetur , & cum suis stultis Plato discipulis. Aristotelis sua argumenta non proderint. Tunc rusticanus & pauper exultabis , & ridebis , & dices : Ecce crucifixus meus , qui obvolutus pennis in praesepio vagiit. Hic est ille operari , & quaestuaria filius : hic , qui matris gestatus sum , hominem Deus fugit in Aegyptum : hic vestitus coccino , hic sentibus coronatus : hic magus daemonium habens , & Semarites. Cerne manus , Iudeæ , quas fixeras : cerne latus , Romane , quod foderas. Vide corpus , an idem sit quod dicebatis , quod dicebatis clam nocte sustulisse discipulos. Nec dissimilia , quæ Tertullianus habet in fine libri de Spectaculis.*

7. §. *Huic congregacioni subjungitur secretio convocatorum , quia Christus , ad modum pastoris , oves statuet à dextris , hædos à sinistris.*

Vt in pascuis oves hædis permiscentur , sed cum vesperi domum com-

commearunt, secerni solent, quia male iis inter se conveniret: similiiter in hoc mundo promiscue degunt boni, & mali, sed discernentur judicio extremo. Ovibus vero comparantur fideles, ob simplicitatem, & mansuetudinem: hædis assimilantur infideles, ob fœtorem, immunditatem, atque etiam lasciviam. Ob hanc similitudinem Nazianzenus in carmine de parabolis ista etiam habet pro parabolicis: ac parabolam etiam vocat Lyranus. Puto ego, ob pauca istiusmodi non debere parabolis potius quam prædictioni historicæ accenserit.

8. §. *In judicij forma, sive processu, duæ distinguuntur actio-
nes: una attinet à dextra constitutos: altera illos à sinistra. V-
trobique considerantur, judicis sententia, ejus ratio, ad hanc
exceptio, & judicis responsio. Sententia in pios hæc fertur.
Venite *, ô benedicti Patris mei, possidete regnum
paratum vobis à jactis fundamentis mundi.*

* *Tert. 34.*

*Οἱ δὲ λογιμοὶ Σπαρτεῶς μὲν. Quibus Deus benedixit omni bene-
ditione spirituali; ut id exponitur initio epistola ad Ephes. Κληρο-
νομίαν τε valet, quasi hæreditario jure possidete; puta, tanquam filii
adoptivi. Additur, regnum iis præparatum ἀπὸ κατέστατης γένους.
Quomodo & Ephes. cap. 1 dicitur nos in filio elegisse ante consti-
tutionem mundi. Nisi ab Euangelista attendi malis, quod in ipsa
mundi creatione Deus fecerit regni ejusce locum felicitati suæ con-
venientem.*

9. §. *Ratio deinde adjicitur; quæ ab operibus petitur. Nec
enim sicut resurrectio est futura in momento, ita & judi-
cium: sed aperiendi sunt libri, continentes, quæ quisque
gesserit.*

Iuxta illud Ioannis Apocalypſ. xx. 12: *Preterea vidi mortuos, par-
ros, & magnos, stantes in conspectu Dei: & libri aperti sunt: & alius liber
apertus est, qui est liber vita: judicatique sunt mortui, ex iis, quæ scripta sunt
in libris secundum opera ipsorum. Quæ quomodo intelligi debeant figu-
rate, mox exponam.*

10. §. *Commemorantur autem à Christo sextuplicia misé-
ricordiae opera: esurientibus dare cibum, sitiientibus po-
tum,*

tum, hospitio excipere ejus indigos, nudos vestire, agrotos invisere, in carcere agentes solari.

Atque hæc sunt corporalia misericordiæ opera: præter quæ & spiritualia sunt: uti panem & potum verbi ministrare iis, quibus est famæ & sitis spiritualis: nudos à virtute virtutibus ornare: & sic in cæteris.

11. §. *Sequitur deinde fidelium exceptio. Nam cum Christus sit dicturus, omnia misericordiæ opera sibi ab iis praestita esse: illi contra negabunt, se ista Christo unquam praestitisse. Hinc responsio est Christi, quæ in minimum aliquem sint collata, hæc sibi praestita se ducere.*

Verba Christi sunt, *Amen dico vobis, quatenus id fecisti uni ex ipsis fratribus meis minimis, mihi fecisti. Vbi valde ad opera misericordiæ incitare nos debet, quod etiam minimi illi sint fratres Christi, ac nostri: & magis inflammare debet, quod hujuscemodi opera Deus remuneretur felicitate æterna. Sane non in hac modo vita mirandum id nobis; sed etiam cum hanc vocem Christi audient fideles, obstupescerent ob tantam tantillorum operum mercedem.*

12. §. *Atque itidem quatuor ista in impiis ratione plane contraria observantur. Nam primum audient: Abite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.*

Vbi quod vocat τὸν ἄγονον αἰώνιον, valde adversatur Origeni. Non reponam, quæ fuse de eo hic differit Iansenius: quæque adduximus in dissertationibus de statu hominis à morte, & judicio extremo.

13. §. *Tum, quo id promeriti sint, exponetur: nempe quod neglexerint omnia caritatis opera erga Christum. Negabunt illi, tantorum se criminum consciens sibi esse. Sed dicet Christus, non praestitisse eos hæc membris suis, quorum ipse foret capit.*

Videbunt tum impii, longe alia trutina expensum iri opera sua, quam in vita putarant. Quodsi, ob neglecta misericordiæ opera, eos tanta manet pœna: quanta afficiendi erunt, qui pios etiam crudeliter fuerint persecuti?

14. §. Nec tamen existimandum, cum Scriptura ait, eos tam
ti neglectus convincendos esse è libris, qui aperientur; pro-
prie id accipi debere. Nam, ut veteres docent, per hosce li-
bros intelliguntur conscientie singulorum.

Quippe cuiusque animo Deus in memoriam reducet, quid boni
in malice omni egerit vita: imo sic ea in lucem proferet, ut illa non ipsi
modo, sed alii etiam cognoscant. Quæ igitur dicet Christus, ea
non singula dicet voce sensibili, sed effectu, memoriâ singulis sua
peccata suppetente. Hæc de judicij forina.

15. §. Postremo autem capit is versu exponitur hujuscemodi
executio. Nam impii dicuntur ituri in supplicium ater-
num; justi autem in gloriam aeternam.

Vbi prius loquitur de impiis, quia proxime de iis antecesserat.
Hoc simplicius duco, quam ut ordine eo significatum sit, impios
in conspectu piorum ad supplicium abituros, quo pii, infelicitate
eorum cum sua conditione comparantes, felicitatem suam me-
lius intelligent.

C A P. X. I.

De Christo passionem suam iterum prædicente; De-
que consultatione Synedrii contra Christum, & pa-
sto ludæ de tradendo Domino. Quæ evenere heb-
domadis magnæ feria quarta, sive biduo ante Pa-
scha.

1. §. **S**equuntur ea, quæ, ut vulgo loquimur, die Mer-
curii contigerunt. Vbi duo in considerationem ve-
niunt. Prius est, quomodo Christus prepararit discipulos
adversus passionis scandalum. Alterum est, quomodo ini-
mici Christi se prepararint ad tollendum Christum. In
priori duo attendimus: quod Iesus passurus, & quando pas-
surus. Tempus præmittitur ab Euangelista. Ejus gemina
nota. Una est, fore hoc post bidui intervallum. Ut cum
Christus sit passus feria sexta, hac contigerint feria quarta.
Atque

Atque hoc altera etiam temporis nota ostendit, quia additur, futurum id tempore Paschæ.

Vbi satis liquere puto, vocem *Paschæ* neutiquam sumi pro agno paschali, sive typico, sicut Exod. xii legas, *Phase immolari*, & *comodi*: sive per typum adumbrato, quomodo 1. Cor. v. dicitur, *Pascha nostrum immolatum est Christus*: sed μετωνυμιῶς pro tempore, idque vel pro primo die paschali, cuius initio agnus comedebatur: vel eo die, & sex diebus consequentibus. Vtrum enim primum diem, an hebdomadem totam, intelligas, parum refert. Porro ubi Matthæus ait, *Post biduum Pascha fiet*, apud Marcum legas, *Erat autem Pascha, & azyma, post biduum*. Atque hic quoque *azyma* non proprium sumuntur, pro pane fermentato: sed pro septem dierum festo, quo Iudæi comedebant panem fermenti expertem. Hæc de tempore.

2. S. Alterum erat, quod Christus fit passurus. De quo sic Euangelista: Et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.

Græce est, καὶ οὐδὲ τὸν θράπτη παρεχθότα εἰς τὸ σαυρωθῆναι. Vbi δὲ νοιγί illud ὅπε repetendum. Ut sententia sit, Intra biduum, quod dixi, filius hominis, tradetur, & cruci affigetur. Antea, ut monitum, Christus indefinite erat locutus discipulis de sua passione: nunc tempus præfinit. Et convénit hoc tempus cum traditione illa Iudaica, in Cabalistarum monumentis etiamnum comparente, quo die populus Iudaicus Ægyptiaca fuit captivitate liberatus, eo per messiam fore redēptionem Israelis.

*3. S. Sequitur preparatio illa insidiantium Christo. Nam ad consilium de capiendo & necando Christo convenisse dicuntur * οἱ δέχεταις, καὶ οἱ γεγματεῖς, καὶ οἱ πετεβού- Matth. 26. πεποιησαντεῖς principes sacerdotum, cum scribis, & seniores populi.³*

Per δέχεταις intellige, tum Pontificem maximum, tum xxiv. illos sacerdotalium familiarium principes, ad quos pertineret ἡ φημεῖα. Pontifex Maximus erat eo anno Caiaphas, ut est Ioan. xi. 51. Vbi jure addit τὴν αὐτὸν ἐκεῖνον: quia tum pontificatus dignitas non erat perpetua, sed ambulatoria. Erat vero Caiaphas constitutus à

Valerio Grato; uti postea à Vitellio hoc munere est dejectus. Nam Romani præsides sibi tum jus diligendi Pontificis vindicabant: quemadmodum antea fecerant Syromacedonum reges: & ante hos ipsos Hebræi reges: ut liquet ex 1 Reg. 11. 27. &c 1. Paral. xxix. 22. At cum libera foret Resp., penes synedrium hanc potestatem suis, Maimonides docet in Halacha Cele hammikdasch cap. iv: ac inde proditum veterinostro in Leidenſi Academia collegæ Petro Cunao lib. 11. de Rep. Hebr. cap. 1. Nec quod Caiaphas vocetur δέχεται, pugnat cum eo, quod multi fuerant δέχεται. Nam cum δέχεται legimus, id sit propter eos, qui inter sacerdotes eminerent. Quales etiam, qui aliquando sumini fuerant sacerdotes. Nam iis temporibus quotannis novus siebat suminus sacerdos. Niimirum pecunia sibi ambitiosi hanc dignitatem comparabant. Quare δέχεται illi crant inter LXXI seniores: qui constituebant πρεσβυτέρου, ut vocatur Act. xx. 5: sive γέροντα, ut appellatur Lucæ xxii. 66, atque alibi. Hi senatores (in quibus etiam fuit Iosephus ab Arimathia, qui in Christi nccem noluit consentire) ut ab aliis senatoribus distinguerentur, interdum vocabantur πρεσβύτεροι τε λαος; ut 1. Maccab. xii. 35. ubi Ionathas convocasse narratur τες πρεσβυτέρες τε λαος. Nempe universi populi Iudaici Senatores maximis de rebus consultabant. Ac quandoque etiam πατέρες vocati simpliciter πρεσβύτεροι. ut inscriptione ea Lacedæmoniorum epistola, quam habes 1. Maccab. xiv. 20. est hæc istiusmodi: τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τῷ λαοπῷ δῆμῳ. Senatoribus, & sacerdotibus, & reliquo populo. Ab his diversi fuere Hierosolymis πρεσβύτεροι minorum cauſarum: quales & in oppidis singulis: unde non πρεσβύτεροι τε λαος, sed οὐ πόλεων vocabantur. Sed de his etiam dictum cap. 1.

4. *S. Porro hoc, de quo nunc loquimur, erat concilium secundum de capiendo Christo.*

Primum enim fuit ante hebdomadem sanctam: quo decretum est de Christo, ut indicium ejus ficeret, quisquis sciret, ubi loci foret. Nunc erat quarta sanctæ five majoris hebdomadis feria: nempe biduum tantummodo ante Pascha. Sed difficile est dictu, an hoc fuerit concilium propriæ dictum. Verba quidem Scripturæ sunt ista Matth: xxvi. 1: *Dixit discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fieri, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiaphas, &

con-

concilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem, Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. At, inquiunt, hic memorantur οἱ δέχεταις, καὶ οἱ γερμανεῖς, καὶ οἱ πειστέοι. Quæ descrip-
tio est concilii ejus, quod Iahmudistæ vocant Sanhedrin. Evidem
speciose hoc dici video, ut justum fuisse Concilium, & quidem ma-
gnumi illud existimetur. Sed enim obstat, quod congregati fuisse di-
cantur in αὐλῇ sive atrio Pontificis maximi Caiaphæ. Fortasse igitur
solum sub dio inter se fuerint collocuti, nec interiora palatii fuerint
ingressi. Saltem id non dicitur. Imo quid si sponte se eo magno nu-
mero receperint Caiaphæ iniussu? Quid si etiam istic non diu substi-
terint, sed metu populi, à quo Christum magni scirent fieri, se rece-
perint extra urbe, ut tutiores forent? Sane Franciscus Quæresimus
Elucidationibus Terræ Sanctæ lib. iv. cap. xv i auctor est, extra ci-
vitatem locum esse, qui appelletur Mons mali concilii: ac vulgo sic tra-
di, nomen hoc ex eo esse, quia illic consultatum sit de capiendo Chri-
sto, hic quoque cum Iuda sit transactum. Cui si traditioni habenda
sit fides, possint ex atrio Caiaphæ se istuc receperisse. ac, citra etiam
præsidem suum egisse ista, quæ dicebam. Præterea sive istic, sive in
atrio Caiaphæ, vel interiori etiam palatio, fuerint congregati, non
is locus fuit Synedrii magni: quod convenire solet in parte templi
Gazith dicto; sive in conclavi è cæso lapide: ut cap. i. dicebamus.

5. §. Consultatio hujuscæ cætus binas habuit partes. Prior est
consultatio de prehendendo, & necando Domino. Posterior
est transactio Iudeæ de eo prodendo. In priori exponemus
prius, qui, quando, & de quo consultarint. Deinde quid
decrerint, & decreti ejus caussam. Quod ad tempus, con-
venere biduo ante pascha: ut Matthæus, & Marcus, an-
notarunt. Intellige vero pascha, non prout proceres Iudei,
sed uti Christus celebravit ex lege Mosaica.

Sic enim Euangelistæ hi intelligere paschatis diem solent: de quo
inferius dicemus. Fuerit igitur feria quarta.

6. §. Locus, ubi congregati, fuit αὐλὴ * τῆς δέχεταις. b. e. * Mauth.
palatium summi sacerdotis? 26. 3.

Nam αὐλὴ antiquis scriptoribus erat τὸ πατριαρχεῖον, locus sub
dio ante ædes principis: sed posteriores eo καὶ οὐρανοδοχεῖον ipsas ædes

principis solent designare; ut Athenæus, & Eustathius, tradidere. Ac sic Pilati palatium αὐλῶν nuncupat Marcus xv. 16. Οἱ δὲ σπα-
πιῶται ἀνύγαχοι αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς, ὁ ἐστι περιτάξιον. Milites vero abdu-
xerunt eum in palatii p.arte in interiore, quæ pratorum est.

7. S. Causa, cur convenerint, hæc adfertur; ut consultarent,
quo dolo prehenderent Christum, & per Iudeæ præsidem
necarent, idque tempore commodo; non in festo, quo ma-
gna confluueret Hierosolymam multitudo, quam Iesu scie-
bant fieri; ut omnino periculum foret, ne tumultum
adversus proceres concitaret, & eorum etiam manibus Ie-
sum eriperet: maximeque metuebant, nequid auderent
Galilæi, qui populares habebantur.

Hic metus effecit, ut recederent à consuetudine recepta, qua, ut Thalmudici doctores annotarunt, insigni facinore pollutos in ipso die festo solent afficere supplicio, quo plures sibi inde exemplum caperent. Ideo & Herodes, ut est Act. xii. 4. decretat Petrum post pascha populo producere ad pœnam. Quod optime Ill. Grotius interpretatur, intra octo illos dies, qui incipiebant à mactatione agni, ad finem azymorum. Atque idem merito rejicit vulgarem opinionem eorum, qui putant, cum Iudæi dicuntur noluisse Christum capi in die festo, voluisse eos, id tempus anticipari. Nam bidui tantum spatio aberat festum paschæ; imo minus etiam, si festum inchoenus à mactatione agni, quæ incipiebat à nona hora paraseves: à qua hora nec Iudæum vadari, prohibente Augusti lege, juc erat. ut testis nobis Iosephus lib. xvi. Antiq. Iud. cap. x. Tantillum cum solum spatiū superesset, nullam videbant rationem, qua possent Iesum interea per dolum prehendere, damnare & per præsidem Romanum interficere. Sed ad patrandum illud, quod alioqui non ausi essent sperare, occasio se obtulit ab discipulo Iuda, qui, ut inox dicam, sponte adiit proceres ad Dominum prodendum. Hinc est, quod, consilio mutato, læti tam coimoda occasione oblata, unum intra diem, imo minori etiam spatio, festinantissime Iesum ceperint. Ita videmus; ut, cum studiose hoc agerent Iudæi, ne Iesu festo die prehenderetur, ac necaretur: divina providentia hæc contra ita direxerit, ut contra, quain cogitarant, eveniret. Nam sic die eo, qui ex lege Mosaica paschalis foret, captus, & intereintus fuit.

fuit. Quod duplici de causa placuit Deo: primum ut sic ostenderetur, hunc esse verum agnum paschalem, veteris testamenti typis adumbratum: deinde ut ob tantam multitudinem, quæ Hierosolymam ob festum paschatis confluxisset, plures forent testes hujus supplicii pariter, ac sacrificii.

8. §. *A consultatione Synedrii venio ad factum Iudeæ, primoribus populi se offerentis ad tradendum Christum. Vbi spectanda persona proditoris; pretium quod stipulatus est, & accepit; & tempus, quo id contigit. Is qui prodidit, dicitur fuisse unus è duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes.*

Additur cognomen, ut distinguantur à Iuda, Iacobifratre, cognomento Thaddæo, vel Lebbæo: cuius exstat epistola Canonica. Iscariotes vero dictus, non quia foret ex tribu Issachar; quomodo Issacharites potius vocaretur: sed quasi Cariotensem dicas, ab ὦνδρῳ vir, & Ιαρωπῳ Carioth, quæ urbs est Iudeæ, Ios. xv. 25. Sed quid usque adeo cognitis insistimus?

9. §. *Quo tempore Iudas Dominum vendiderit, docent nos Mattheus, quando ait, Tunc profectus unus ex xiī, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum. Vbi illud τότε tunc, non perinet ad historiam de unctione Domini, quæ proxime antecepsit; sed illud, quod narrare antea cœperat de principibus Iudeorum congregatis, & consultantiibus adversus Christum. Hæc enim occasio erat accedendi proceres, & cum iis pacisci de tradendo Domino. Quare feria quarta & coactum fuit Iudaorum concilium, & cum iis pœctus est Iudas.*

Atque hoc in causa est, cur in veteri Ecclesia non solum feria sexta, qua Christus est crucifixus: sed etiam feria quarta, soleant jejunare: uti locuples testis est B. Augustinus epist. lxxxvi, quæ est ad Caſulanum. Nec propterea ratione caret, quod Mattheus, & Marcus, inter consultationem Synedrii, & pactum Iudeæ, interferant historiam de unctione Christi. Nam hoc inde est, quod voluerit uterque præmittere occasionem, qua Iudas ad tale facinus est inductus. Iam qui-

quidem quartus erat dies, quod unctio contigerat: sed indignatio illa, quam Iudas conceperat ex eo, quod tantum sibi lucri deceperat, in causa erat, quod, exinde animo plane abalienatus à Christo, assidue cogitarat de resarcendo hoc damno: ac cum audisset, congregatum esse synedrium adversus Christum, neutquam sibi prætermittendam hanc occasionem putarit, coque sponte se obtulerit ad Dominum vendendum. Non igitur narratur res tum acta, sed præterita; hic loci vero inserta, ut, causa venditionis venditioni proxime præmissa, res omnis melius intelligeretur. Atque haec omnia plenius dilucent ex dissertatione ea quam superius de Vnctione Christi consignavimus.

10. §. Tertio me expositurum receperam, quo pretio Christum vendiderit Iudas. Id triginta fuit argenteorum. Tantilla enim promissione gavisus, continuo omne studium contulit ad Dominum tradendum.

Αργυρίς vero, sive argentei nominis in Scripturis signatur siclus: de quo credere debemus της ἑβδομήνης. Nam ubi Hebraice est cœseph, h. e. argentum, vertunt σίλβες δέρυεις siclos argenti: ut vide est in Samuelis xviii. Si vidisti, quare non confodisti eum (Absalonem?) & ego dedissem tibi argenti siclos, & baltheos. Vbi Hebraice ac Græce est, uti dixi: ac similiter in verbis proxime sequentibus: Qui dixit ad Iacob: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mutterem manum meam in filium Regis. Itidem Iosephus, eandem rem narrans, utrobique habet σίλβες. Ac Hieronymus quoque Ies. vii, & Hieron. xxxi, cum in Scripturis argenteos legimus, ait siclos denotari.

Quantum vero valuerit siclus, non aliunde melius scire est, quam ex iisdem LXX: ut qui ubi Hebraice est Secel, vel Cœseph, vertant didrachmum. ut Genes. xx, 16: Ecce mille argenteos (Cœseph) dedi fratri tuo. Græce, χίλια δίδραχμα. Et cap. xxiiii. 15. 16, pro agro Abraham annumerat Ephroni Hethæo quadringentos siclos argenti: ubi Græce τετραγόνα δίδραχμα δέρυεις. Drachma idem penne, ac Romanis denarius: hodie Iulius, sive Regalis, Hollandis schellingius, sive sex stuferi. Quare triginta didrachmia, sive sexaginta drachmæ, vel denarii, sint scutati sive ducatoni, vel Philippei sex: floreni Hollandici octodecimi, floreno quoque xx, ut vocant, stuveris æstimato. Ac verisimile est, hoc etiam pretio potuisse

potuisse eum agrum figuli, vilem illum, & credo, à figulo emaciatum, nec nisi cadaveribus sepeliendis idoneum. Sane apud prophetam etiam legimus; *Emit agrum decem & septem siclis.* Nempe non ex nostrorum temporum caritate oportet aestimare ea quæ antiquorum sunt temporum.

Interea satendum, aliter etiam siculum exponi. Nam Hieronymi est in IV Ezechielis: *Siclus stater est, hoc est drachmae quatuor.* Imo & Iosephus lib. IIII Antiquit. Iudaic. cap. XII, agens de eo quod de sicli dimidio dicitur Exodi XXX, ait *: *O' δὲ σίκλα, νόμισμα Ε-* ^{* Pag. 78.} *βεγίων ὀνόματος της οἰκουμένης πέντε αργυρών.* Siclus Hebreorum numerus quatuor drachmas Atticas continet. Ut siclus non didrachmum sit, sed tetradrachnum. Nempe Iosephus non de vulgaribus siclis loquitur, sed illis sanctuarii: qui non didrachnum, ut vulgares, sed tetradrachnum valuerent. Hoc pacto Iesus non XVII, sed XXXVI florensis Hollandicis fuerit divenditus: sive scutatis, ducatonis, aut Philippeis XII, unoquoque horum tribus florensis Hollandicis, floreno quoque XX stuveris aestimato. Atque hoc verisimilius facit, quod de agro figuli, emitotam vili pretio, antea dicebamus.

Sed ecce tertiam etiam opinionem. Nam & siclus pro decem di-drachmis, sive quinque tetradrachmis accipi videtur: hoc est, pro libra Flandrica, sive duobus scutatis, ducatonis, aut Philippeis, sive pro sex Hollandicis florensis: quos *guldeng* sive aureos, quia olim fuere tales, solemus nuncupare. Sic accipi posse, verisimile facit, quod, ubi in Genesi est, Iosephum esse venditum viginti argenteis, transstulere alii, aureis, quæ quintuplo plus valebant. Inque illo II Samuelis XVII. loco, antea de Absolomi morte citato, ubi in Hebræo est de decem argenteis siclis: Flavius Iosephus habet, quinquaginta argenti. Vide de isto plura apud Stanislauum Grisepium de re numinaria Hebræorum †. Sic triginta sicli fuerint floreni Hollandici CLXXX, sive libræ Flandricæ XXX, sive scutati, ducatoni, vel Philippei LX. Ac si omnia aestimemus moribus nostris, pretium id non paullo sit verisimilius.

Atque ex his facile est statuere de pretio, quo divenditus est patriarcha Iosephus. Fuit ille divenditus à fratribus siclis viginti. Sic enim est in codd. Hebræis, & plerisque Latinis. In quibusdam est XXX. Nempe librarius quia sciret eum fuisse typum Christi, decem adjectit, ut sic melius conveniret cum prototypo. Sed nihil opus, ut typus, & antitypus, per omnia respondeant. Si sicli fuerint vulgares;

emitus sit florenis XII, sive IV. scutatis. Sin intelligantur sanctuarii sicli, sint floreni nobis XXIV, sive scutati, vel ducatoni V IIII. At si solum æstimemus quinque tetradrachmis, venditus sit florenis CXX, sive libris Flandricis XX, seu scutatis aut Philippeis, aut ducatonis XL; quoque scutato tribus florenis Hollandicis, seu LX. stuveris æstimato. Ac sic quoque vile erit, quo æstimatus cæli terræque conditor, humani generis salvator. Quanto magis, si prima sumatur vox significatione, vel etiam secunda? Hoc mystice considerans B. Ambrosius, scite ait in Lucæ cap. VI, ubi sermo de Christi verbis, quibus Mariam Magdalenam defendit adversus Iudam: *Tam vili auctione vult æstimari Christus, ut ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur.* Et Paulinus epist. IV. ad Severum: *Nos magno emit, non vendit. Nos ille vult pretiosos facere sui munieris vilitate. Ipse nobis hac pietate pretiosior, quod se vili vult æstimari, ut ab omnibus ematur.* Videlicet tantus tam parvi vult æstimari, qui nos parvos tam magni æstimavit, ut pro redēctione nostri effunderet pretiosum suum sanguinem.

C A P. XII.

Prius agitur de præparatione agni Paschalis, quæ facta est feria quinta, sive pridie Paschatis, tempore diurno. Vbi hæc quatuor obiter considerantur.

1. Ut discipuli Christum consuluerint, apud quem Pascha vellet præparari.
2. Ut Christus eos signum edocuerit, unde hominem cognoscerent.
3. Ut ab eo deducti sint in domum, ubi celebrandum Pascha.
4. Ut curatis rebus à discipulis, Christus ipse sera die adveniret. His de diurno tempore breviter enarratis, fuse agitur de comeditione agni Paschalis, quæ fuit de nocte ejusdem feriæ: sed initio feriæ sextæ, secundum Iudeos, diem à Solis occasu auspican tes. Cæterum hocce capite universe attendimus mæstationem agni. Ac primo actu, tum de victima, ac ejus conditionibus, tum de sacerdote, tum de loco & tempore sacrificii. Hinc de assatione agni disquirimus.

mus. Denique de comeditione ejus cum panibus azymis , & herbis amaris.

1. §. **T**ranseo nunc ad acta feriae quintæ , quam diem Iovis dicimus.

Is dies jam olim Cœna Domini solet appellari , eo quod tum instituerit Christus Cœnam suam : non quidem si more loquendum Iudeorum , quibus vespera illa , qua Cœnam instituit , auspicata est feriam sextam : sed more Romano , quo vespera illa , ac præcedens lux diurna , ad eundem diem , nempe diem quintum , pertinebat . Sic vero , uti diximus , diem eum esse nuncupatum , ostendit Micrologus lib. de Ecclesiasticis Observationibus cap. L : A Dominica tamen Palmarum , eo quod ibi Paſſiones legere incipimus , prafationem de Crucē dicimus , usque ad Cœnam Domini : videlicet per quinque dies partitam Domini paſſionem intimantes . Ac sæpius sic loquitur in Historia sua Matthæus Parisius .

2. §. Hujus diei gesta duabus partibus continentur , diurna , ac nocturna . Diurnam prius exponam .

Quam narrant Matth. xxvi. 17. 18. 19. 20. Marc. xiv. 12 , & 5. seqq. Luc. xxii. 7. & seqq. 6.

3. §. Ejus historia est quadripartita . Primo enim refertur , quomodo , discipulis imminentis paſchatis à Christo communitis , duo eorum , Petrus , & Ioannes , consuluerint illum de loco , ubi comedere vellet agnum paſchalem .

Ex Deuteronomii cap. xvi cognoscimus , tria præcipue festa à Mose esse instituta ; Paſchatis , sive azymorum , Pentecostes , sive hebdomadum , Συνοπτήσια , sive tabernaculorum ; sub quo & Tuba-ruim , & Expiationis festum comprehenditur . Iis post captivitatem Babyloniam alia accessere : in his Encænia . Sed nunc sermo nobis de solo Paſchatis festo . Quod ita nuncupatum non ἔστι τὸ πάσχειν , quia tum passus sit Christus , ut quidam veterum , Hebrai sermonis ignorantia , prodiderunt : sed ab Hebræo paſcha , sive pesach , h.e. transitus : nempe quia exterminator angelus ædes eorum transfiret , quorum postes forent inuncti sanguine agni . Idem dictum festum azymorum , quia agnus paſchalalis cum panibus azymis comedetur :

ut inferius dicetur. Discipuli igitur rogarunt Christum, ubi vellet agnum comedì. Hoc primo azymorum die contigisſe dicitur à Matthæo, & Marco. Causa erat, quia vesp̄a proxima inchoarent azyma. Sic locum eum interpretatur Chrysostomus. Ut videatur diem à luce inchoas̄e. Nam mane ista, vel circa meridiem, contigerunt. Nec enim verisimile est, hæc fecisse à Solis occasu. Itaque & Euthymius, cum à Luca dicitur, *Venit (ἡ ἡμέρα) dies azymorum*, interpretatur hoc, inſtat, imminet. Proprie tamen dics festi inchoabant Iudæi à vesp̄a, secundum illud in Levitico: *A vesp̄a usque ad vesp̄am celebrabitis sabbathum vestrum.* Quare dicendum, Matthæum loqui more Romano, quia his τὸν υπερβολικὸν incipit ab ortu Solis.

4. §. Alterum est, quomodo jussit Christus, ut hoc signo locum cognoscerent. Vrbem ingressis virum esse obviam venturum cum lagenā aquæ: cum sequerentur usque in domum, quo aquam deferret. Hic patrifamilias dicerent, tempus Domini prope esse, ac propterea velle cum discipulis apud eum divertere, & pascha comedere. Eum discipulis indicaturum esse grande cœnaculum, ubi comedatur agnus paschalis.

Verba Christi sunt apud Mat̄h. Abit̄ in Vrbem ad quendam: τὸν δὲννα. Ut Hebrei dicunt πελονί: cum nolunt nomen exprimere, vel etiam non possunt. Ut omnino infirmum sit argumentum, quando B. Ambrosius colligit, *sine nomine designari*, ut ignobilis astmetur. Sequitur, *Et dicate ei*, Preceptor dicit, *Tempus meum prope est*, apud te faciam cum discipulis meis. Quisquis ille fuit, dives fuit, quia iussus præparare ἀνώγεων sive cœnaculum à solo subductum, idque grandius, in quo, more antiquo, lectulis stratis discumberetur à tam multis. Fortasse & discipulus fuerit, quando & è potentioribus aliqui in eum crediderunt. Hoc verisimile eo fit, quod discipuli jubentur dicere, *Magister dicit*. Fuerit saltem familiaris: ut inde cognoscatur, quod dicere jubeantur de mortis tempore. Verba Christi sunt, *Tempus meum prope est*, apud te Pascha facio cum discipulis meis.

5. §. Tertium est, quod discipuli ex præscripto Christi agentes comperere cuncta, ut Dominus predixerat: atque illuc, ubi iussérat, pascha paraverunt.

Hoc

Hoc pacto etiam animos discipulorum præmuniit, omniscientiam suam ostendendo.

6. §. Quartum est, quod & ipse Christus, sed sero diei, circa vesperam puta, Irhem est ingressus, quo mox ab occasu Solis comederet cum discipulis agnum Paschalem.

Marci verba sunt, *Venisse cum xii*, hoc est, cum Apostolis reliquis. Nam Petrus, & Ioannes, fuerant præmissi. Nempe duodecim οὐνεδοχῶν, pro collegio Apostolorum, cuius major pars unā cum Christo venit. Nisi malis, duos illos Apostolos fuisse reversos ad Christum: ut vere fuerint *xii*.

7. §. Haec tenus de tempore diurno: nunc pluribus de nocturno loquar. Quod partim est de iis, quæ fecit Christus, partim quæ dixit. Facta sunt quatuor, comedatio agni Paschalis, lotio pedum Apostolicorum, intincta Iudea data ad prodendum proditorem, & institutio S. Eucharistie.

Vt à primo ordiamur, Christus ea nocte, qua traditus est, discipulos cœna adhibuit paschali. In ea autem comedebatur paschalis agnus: cuius mactatio erat typus, ac symbolum agni illius immaculati Iesu Christi, qui mactandus erat pro peccatis totius generis humani.

Agnum hunc Paschalem considerabimus bifariam: ratione communi, sive omnium Iudeorum, & particulari, sive unius Christi, & discipulorum. In ratione communi attenderemus hac tria; agni mactationem, affationem, comeditionem. In primo agam de victima, sacerdote, & sacrificii tum loco, tum tempore. Victima erat agnus: qui figura fuit Christi, idque præcipue ob simplicitatem, & innocentiam.

Vnde de Christo sic Iesaias cap. LIII: Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suum. Exodi xii præcipitur, ut si agnus defuerit, ejus loco mactetur hædus. Paullus tamen Burgensis negat id fieri potuisse: & provocat ad doctores Hebræos: qui dicant, tantum agno, non hædo, potuisse fieri phase. Sed non operosum est has opiniones conciliare. Nam

in primo illo paschate, quod observatum in Ægypto, & agnus, & hædus potuit mactari: postea vero agnus semper inactatus, non hædus. Quare & Christus semper agnus vocatur in Scripturis. Vt Ioan. i. 29. & i. Petr. i. 19. ac crebro in Apocalypsi. Nec mirum, si in prima illa paschalisi victimæ inactatione hædus fuerit typus Christi. Nam uti agnus fuit typus ob innocentiam Christi: ita hædus: quia mortuus est pro peccatoribus, imo ipse etiam iis est accensitus: juxta illud Iesaiæ l. iii: *Cum iniquus reputatus est.* Atque eandem ob causam etiam figuram Christi gessit hircus ille: qui, ut est Levit. xvi, omnēs iniqūitates deportabat in terram solitariam.

Plane vero errant Hebræoru[m] illi, qui putant, in magnis familiis potuisse etiam vitulum mactari: nempe quia Deuter. xv. 1 dicatur: *Immolabis Domino deo tuo Phase de ovibus, & de bubus.* Neque enim illic agitur de sacrificio, quod à familia qualibet fieret in paschatis parafœce: sed de hostiis pacificis sacerdoti à populo oblatis ad mactandum. Quales hostiæ cum alias offerri solent, tum maxime in sollemnitate paschatis, pentecostes, & scenopegias: parsque talis hostiæ incendebatur Deo; pars data sacerdotibus; pars cedebat offerenti: ut est Deuter. xxi. & xiv.

Muhammedani quoque paschatis tempore, quadrupes mactant; non agnum tamen, aut vitulum; sed, ut Benjamin Tudelensis in Itinerario ^a testatur, camelum, euimque à Caliphâ mactatum. Hujus portiones distribuuntur principibus, admodum eo latè, quod de victimis comedere licet, ipsius Caliphæ manu mactatis. Vide & quæ de isto perscripsit Samuel Purchasius in Relationibus rerum Arabicarum Anglice perscriptis. Etiam Alcoranum, quando gestandus, dorso camelii imponunt, quem inde sanctificari arbitrantur: unde & plurimi, quibus stipatus lento procedit gradu, pilos tanquam sacros evellunt, nonnulli etiam osculantur, vel sudorem ejus extergent, coque oculos & faciem illinunt: ipse etiam camelus postmodo in minutis concisis partes manducandus diribitur inter fideles, ut vocant. Narrat rem Georgius Dousa in epistola de Itinere suo Constantinopolitano ^b.

^a Pag. 68.
ed. Lu-
gdun. Bat.

^b Pag. 72.

edit. Lugd.
Bat.

^c Exodi. 12.

8. §. In agno paschali requirebatur ^c, ut esset vitii expers, masculus, anniculus.

5.

Noluit Deus offerri sibi vitiosa, & imperfecta: quæ homo ipse asper-

aspernetur. Nec enim id esset amoris divini, vel honoris, sed contemptus argumentum. Iubet igitur, ut agnus sit sine macula, sicut habet vulgatus: ubi intelligitur vitii macula, non autem illa ex coloris varietate. Græce est ἄμωμος, ubi nihil jure culpaveris. Hebraice est תָמִם tamim, h. e. integer: non cæcus, claudicans, scabiosus, aliove vitio laborans: ut liquet ex Levitici xxii.

Altera conditio erat, ut sit masculus. Hoc est, non agna, sed agnus. Nec postquam de agno erat dictum, supervacaneum interpreti Latino fuit de sexu addere. Nam agnus interdum speciem signat, quomodo & agnam comprehendit, interdum vero sexum indicat, quomodo agnam excludit. Hic laxe sumebatur, coque restringi opus fuit: ut observatum etiam Abulensi.

Tertia erat conditio, ut sit filius anni, prout Hebræa sonant, h. e. anniculus. Quo rejicitur, qui annum excesserit, qualis potius aries dicendus: admittitur vero, quisquis spatium anni non exsuperet: utcunque diem solum ageret octauum. Nam infra illud spatium non poterat offerri. Vnde Exodi cap. xxii: *Septem diebus sit cum matre sua; die octava reddes illum mihi.* Et Levitici cap. xxii: *Bos, & ovis, & capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sububeribus matris sue: die autem octavo, & deinceps, offerri poterunt Domino.* Paschalis igitur agnus summum erat unius anni, minimum erat septem dierum.

9. §. In mandato hoc Dei non subsistendum in sensu historico: sed adsurgendum ad mysticum: quia per tres illas agni conditiones significabatur, Christum fore à peccato immunitum, validum dictis, factisque, & animo, ac corpore incorruptum.

Nempe uti in aliis sacramentis, ita & in paschali agno, considerari debent res externa sive typus, secundum rei naturam: & veritas typo adumbrata sive res significata, quatenus res per anagogen, ut veteres appellant, ad Christum, & Ecclesiam, refertur. Ac pro dupli hac consideratione agni paschalis, duplex etiam eorum, quæ de eo dicuntur in Scripturis, interpretatio est; una simplex ratione rei externæ, secundum naturam suam considerata; altera conjuncta, quatenus res ea aliquid ad Christum, & Christianam Ecclesiam pertinens, præfigurat. Nec tamen in omnibus, quæ de paschali agno

agno præcipiuntur, uterque ille sensus anxie ruspandus. Sunt enim, ubi solus historicus exigatur. Vt in illo, quod jussit Deus die decima mensis Nisan à quaque familia agnum segregari. Hæc enim actio non fuit typica, sed solum typicæ actioni inserviebat. Atque idem de similibus judicandum. At dispar ratio ejus, quod exigebatur, ut agnus esset, tunc integer, tunc masculus, tunc anniculus. Nam per hoc, quod agnus erat integer, sive ἄρνης, ac maculæ, sive vitii expers, indicabatur, Christum fore omnis peccati expertem. Hoc, quod agnus erat masculus, significabat, Christum fore fortem in omni opere justitiae, nihilque habiturum molle, ac femineum. Per id, quod sumnum erat anniculus, denotabatur, Christum tenellæ instar ætatis fore purum & incorruptum. Nam oves post annum exactum generare possunt: ut ait Hesychius in Levit. cap. xiv. Antea vero nec ineunt, nec ineuntur. Aliqui vero & eo referunt, quod Christus unum esset annum prædicaturus: quæ de re diximus in dissertatione de annis Christi. Plura de tribus hisce agni proprietatibus, & mystica carum interpretatione, vide sis apud Nazianzenum orat. xlii, & Rupertum lib. ii in Exod. cap. viii.

10. §. *Dictum de victima: sequitur de sacerdote. Quis mactarit agnum, docemur his verbis Exodi xii, 6: Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel. Vnde cognoscimus, singulos patresfamilias mactasse agnos domis suæ.*

Contra quam opinio fuit Abulensis, in Exodi xvii, Claudii Sanctes prima repetit. Eucharist. cap. vii, Serarii in Iosue v. quæst. xxii. Volunt enim illi, à Levitis esse inactatum in templo. Dixeris, singulare id illorum fuisse temporum, quando Deus necdum Aaronicum instituerat sacerdotium: sacerdotibus vero, & Levitis constitutis, sacrificia horum propria fuisse. Sed secus est: nam cum ante institutum sacerdotium Aaronicum, primogenitis, & patribus familias, sacerdotium in sua cuique familia convenerit, hoc jus hanc tenus retinuerunt, ut uno anni die, nempe in parasceve paschali, agnum offerrent. Possis sacerdotes dicere ἐφημέρους: quomodo animalcula quædam, Eustathio feste, ἐφήμεροι vocabantur, quia unum solum diem viverent: ac herba est ἐφήμερος, uno solum alteroque die durans.

durans. Sicut & flos est ex eo, dictus ἡμερόκαλος, vel ἡμερόκαλες, quia, ut idem ait Eustathius, ἐπειδὴ νυκτὸς ψυὲν, ἀμα ἡλίῳ ἀνίση, γάλλῃ. Ex mactatione vero paschalis agni sacerdotis nomen habere, indicat, quod agnus fuerit victimā, & ejus occisio vocetur à Deo immolatio. De la Cerda censet, patresfamilias non per se mactasse, sed per sacerdotes. Vide eum.

11. §. *Quod ad locum, priusquam Iudei templum haberent, immolabatur agnus, ubi tabernaculum foret: postea vero ea in Urbe semper id factum, ubi esset templum, hoc est, Hierosolymis.*

Nimirum, quia, Deuteron. vii. 5. 6. vetat Deus, festum alibi celebrari, quam eo in loco, ubi Deus celebraret nomen suum. Et profecto, si, ab everso Templo, alibi licuisset mactare agnum Paschalem, quam Hierosolymis: etiam nunc mactarent Iudæi per orbem dispersi. At ipsi, cur non ulterius sacrificent, hanc adserunt rationem, quod careant templo. Nempe eas non observant ceremonias, quæ ordinem habent ad templum: ut sunt oblationes, sacrificia, decimæ, primogenitorum immolatio, & redemptio, quæ in templo fiebant. At quæ in templo facere jussi non erant, ea hodie que retinent: ut sunt circumcisio, esus azymorum, sabbathum. Legem juridicalem observarent, si proprium iis foret tribunal. Dixeris, mactationem agni habuisse locum, priusquam haberent templum, & cum haberent, patresfamilias domi suæ paschalem agnum immolasse. Non diffiteor. Sed non licuit alia in urbe immolare, quam ubi templum esset; uti nec ante alicuius loci, quam ubi foret tabernaculum. Ut satis sit apertum, cur non modo cessarint sacrificia, quæ fierent in templis, sed illa etiam, quæ fierent domi tempore parasceues paschalis.

12. §. *Multis videtur, quotquot Hierosolymam irent, in templo sacerdotibus mactandum agnum obtulisse. Verum intra horas duas, puta à dici hora nona usque ad undecimam, mactari agnum oportuit. Quod in tot millium confluxu fieri, tam brevi temporis spatio, non potuisset. Imo neque templi ejus, licet amplissimi, tanta erat capacitas, ut locus sufficeret.*

Nam locus solum latus erat cubitos LVII, longus LXXVI ut ex Iudeis liquet in Masscheth.

I3. §. *Quare iis potius accedimus, qui censem quemlibet patremfamilias potuisse Hierosolymis agnum Domi sua mactare.*

Nimirum solo Paschatis dic, non alias, quilibet paterfamilias fiebat sacerdos: ut indicant hæc Philonis verba: Εν ἡστῇ θύσια περιημέναι αὐτῶν ἔνας· τὸν δὲ αὐτῶν τὸν ἀναβούντας λεωσύλῳ τε Νόμος χαρισμάτων τῷ ἔντι παντὶ μάτι ἡμέρᾳ ἐξαιρετον ἀνὰ πᾶν ἔπει. Sic igitur statuimus, festo Paschatis sacerdotes quidem mactasse paschalem agnum in templo: sed privatis in ædibus id factum esse à privatis: virtutemque publici sacrificii, quæ à futuro Christi sacrificio dependebat, in privata hæc sacrificia suisse derivatam.

Qui in alia sunt opinione, aiunt, multos ob senium, vel valetudinem infirmam, ire Hierosolymam non potuisse: ac proinde quemlibet ubique terrarum mactare agnum potuisse. Sed enim tales habuere causam santicam remanendi domi. Sane totæ familiae comedere pascha debuerunt: ut videre est ex Exodi xii. 26. Sed non omnes fuere senes, vel infirmi: neque totas Hierosolymam familias ire necessum fuit. Ivere igitur, qui poterant. Ceteros ætas, vel infirmitas, excusabat. Nec tamen de opinione hac morose cum quocquam contendero, neutiquam ignarus, summis etiam viris longe aliud videri. De loco satis.

I4. §. *In tempore consideranda sunt duo: qua die, & qua parte diei, fieri debuerit immolatio. Quod ad diem, passha ex lege Mosaica incidit in xiv diem primi mensis Ecclesiastici, qui prius Abib, postea Nisan dicebatur.*

Nempe Sole ingrediente verni æquinoctii segmentum, Luna ex adverso in autumnali segmento constituta: ita ut hæc duo concurrant, Paschalis vespera, & Solis in primum Arietis punctum ingressus, aut proxime post eum diem. Hoc tempus semper incidebat in decimam quartam Lunam primi mensis, hoc est, mensis Nisan, qui priori parte sui respondebat posteriori parti Martii nostri. Propterea Martius etiam scriptoribus Ecclesiasticis primus est habitus anni mensis: unde Sidonius Apollinaris Februarium vocat mensim.

sem duodecimum: Gregorius Turonensis Iulium nuncupat mensem quintum.

15. §. *Quod de paschali die dixi, id mysterio non caret: quia quo die Iudei jubebantur macellare agnum paschalem: eodem macellatus est Iesus Christus, agnus ille, qui tollit peccata mundi: ut vocatur Ioan. i. 29.*

Imo Iudæorum quoque ita fert opinio, quo die in Ægypto liberati sunt per phase, eodem fore, ut redimantur, plenæque libertati reddantur per Messiam: quemadmodum est apud Augustinum Steuchum in Exodi cap. xi i. 6, & Masium in Iosuam v. 10.

16. §. *Christiani nihilominus, ut hoc obiter adtexam, recessere à Iudaici paschatis die. Quippe nefas putarunt, illud celebrare cum iis, qui Christum interemissent. Nec conveniens visum fuit, ut quo die lati agitarent Iudei, eo jejunantes, squallenter Christiani. Denique displicuit, ut Resurrectionis dies, quæ contigisset feria hebdomadis prima, aliam in ejus diem deinceps incideret. Quod futurum fuit, si in Passionis Dominicæ memoriam semper jejunaretur decima quarta primi mensis, quæ nunc in primum vel secundum aut tertium, aliumve hebdomadis diem incideret. Statuere igitur, Resurrectionem celebrandam in Dominica, quæ proxime plenilunium sequebatur. Quod πάσχα οὐαστίου dixerunt, ut distingueretur à paschate Iudaico.*

Hoc pacto siebat, ut Passionis jejunium semper incideret in ferianam sextam, die tertio ante Resurrectionis festum. Quamvis vero non illud consequerentur Christiani, ut eo mensis die, quo Christus passus esset, & resurrexisset, ipsi etiam passionis, & resurrectionis memoriam celebrent: istoc tamen consequebantur, ut eademi hebdomadis feria celebrarent, qua Christus esset passus, & resurrexisset.

17. §. *Qui vero cum Iudeis mallent celebrare Pascha, dicebantur τεσταρεσιαιδεκάτη, sive Quartadecimani.*

In hereticis eos reposuerit Ignatius, si standum iis, quæ nunc le-

guntur in Epistola ad Antiochenos. Sed non possum in animum inducere, jam circa initium secundi seculi sic sapuisse magnum illum Orientalis Ecclesiæ doctorem. Quippe tempore Ignatii omnes cum Iudæis celebrabant Pascha: imo & postea, quamdiu Hierosolymis fuere Episcopi è circumcisione. quod clare tradit Epiphanius hæresi LXX, quæ est Audianorum. Addit, xv Hierosolymis fuisse Episcopos ἐν περιουσίᾳ: ut præfuerint ad nonum annum Hadriani Imperatoris: sicut ostendunt illa Hieronymi in Chronico Eusebiano: Hierosolymæ primus constitutus Marcus, cestantibus his, qui fuerant ex Iudæis. Exinde variatum in die: sed salva caritate, usque dum, tempore Victoris Papæ, propter diversam consuetudinem, dissidium in orbe exortum, unde, ut idem ait Epiphanius, εἰρήνη παρ' αὐτούς τὸν ἑδέχοντα. Hujus Victoris temporibus pascha eodem die cum Iudæis celebrabant pleræque Asiae Ecclesiæ: quæ ita fuere edocet à S. Polycarpo: ut ille in eo exemplum fecutus B. Ioannis Euangelistæ. Præterea B. Irenæus, et si Occidentalium ipse morem sequeretur: tamen vere Εἰρήνη, Victorem Papam comimonuit, ut magis paci Ecclesiæ studeret, nec propter circumstantiam temporis in ceremonia istiusmodi ab Ecclesia abscinderet tot nobiles Asiae Ecclesiæ. Sed quicquid de Ignatio est, in hæreticis reponit, zeli majoris, quam judicii, Philastrius Brixensis, hæresi x i, & xxxix. Vbilegas, fuisse eos imprimis in Phrygia, Galatia, Syria, ac Hierosolymis.

18. §. *Quamquam vero ante Concilium Nicenum Asiaticæ ecclesiæ hunc habuerint morem: concilio tamen Niceno id abrogatum, decretumque, ne pascha celebraretur ante plenilunium: quod tempore Concilii ejus in vigesimum primum Martii incidebat.*

Ac ne in isto erraretur, decretum, ut, quia Alexandriae potissimum Mathesios studia vigerent, ac Ptolemæi discipuli agerent, eo patriarcha Alexandrinus quotannis diem Paschatis ex motu Lunari definiret, deque eo Episcopum Romanum, ac Patriarchas alios, faceret certiores. Quæ consuetudo permanxit, usque dum Theophilus Alexandrinus paschata in catalogum xcv annorum disposuit. Id factum Theodosio principe. Ita factum, ut non esset quotannis necesse recurrere Alexandriam, & inde petere diem Paschalem.

19. §. *Hæc*

19. §. *Hæc universe de die. Quod ad partem diei, qua agnus mactaretur, ex Exodi xii cognoscimus, id fieri oportuisse inter duas vesperas: hoc est, inter horam diei nonam, quando incipit prior vespere, & horam à Solis occasu primam, quando incipit posterior vespere. Quod tempus optime convenit tempori jugis sacrificii.*

Id enim ut diximus, fiebat ab hora diei nona usque ad undecimam. Vide, quæ de isto Flavius Iosephus lib. vii de bello Iudaico cap. xvii.

20. §. *Quare non possum eorum opinioni calculum adjicere qui priorem vesperam incepisse volunt à meridie, quia exinde Sol declinat.*

Fuit in hac quidem sententia Rabbi Nathan; sicut legere est in Mechilta. Ac similiter R. Simeon, filius Iohai, in Zohar: item R. Salomon, & David Kimchi. Imo ex Christianis quoque eam amplexi sunt opinionem Nicolaus Lyranus, & Abulensis. Sed enim plane accedendum iis, qui priorem versperam ordiuntur ab nona pomeridiana, quæ æquinoctiali tempore nobis est tertia.

21. §. *Durabat vero hæc vespere usque ad Solis occasum: inde altera incipiebat vespere, quæ sequentem noctis quadrantem sibi vindicabat. Crepusculum id tempus appellant. Nempe duabus horis ultimi quadrantis jugulare victimam solent, & ad coquendum preparabant. Reliquo ejus quadrantis tempore assabant. At post Solis occasum primo noctis quadrante eundem comedebant.*

Sic Mosis verba de duabus vesperis etiam interpretantur Cajetanus in Exodi xii, Masius in Ios. v. 10, Iansenius Concordia Euan gelicæ cap. cxliii, & Franciscus Junius analysi Exodi xii, 6.

22. §. *Hactenus de mactatione, hoc est, jugulatione agni. In prima vero celebratione paschatis, quod in Ægypto fuit, jugulati agni sanguis excipiebatur vase, eoque tingebantur, postea cædium, & superliminare: idque ut angelus, qui in*

Ægyptiorum adibus primogenita occidere, parceret Isaelitis, ubi tinctos sanguine postes conspexisset. Quamquam vero hic sanguis fuit typus sanguinis pretiosi, quo Iesus Christus Ecclesiam redemit: nihil tamen de illa possum & superfluminaris tinctione nunc addam, quia non fuit perpetua observationis, sed primi paschatis in Ægypto proprius. Extra Ægyptum vero, hac tinctione omissa, mox agno pellis detrahebatur, ac fel educebatur, & viscera, que sordes continerent. Agnus sic preparatus, non capite, vel cuncta, aut pedibus abscessis, sed integer assabatur.

Hinc Exodi xii. 6. Caput (edetis) cum pedibus ejus, & intestinis. Quod eo additum, quia hæc non soleant assari, ob cartilaginosam naturam. Sed nunc id fieri præceptum, quia mora fuisset opus, si ista seorsum fuissent in aquis coquenda. Quare & istoc pertinuit ad iter accelerandum.

23. §. *De affatione sic ibidem Deus ait: Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assūm igni.*

Affari autem, non aqua coqui, agnum, Deus voluit duabus de caussis. Vna erat, propter festinationem abitus. Citius enim assantur carnes, quam elixantur. Altera est, ad significandam Christi integritatem. Nam partes carnis, aquo calore penetrante continuo aperiuntur, ac multum de se humorem effundunt in aquas, quæ inde sapidiores fiunt, & *juris* nomine à juvando nuncupantur. At in carnibus, quæ assantur, superfluis quidem humor ab igni educitur: mox vero, calore exterioris partes indurante, utilis humor intus concluditur: ac solum calore attenuatur, ut, siquid lensoris & crassitie habeat, id corrigatur. Vnde & affae carnes, et si difficultioris sint concoctionis, quam elixæ; solidius tamen nutrimentum præstant. Cum hac agni affatione confert Christi crucifixionem Iustinus in dialogo cum Tryphone. Nec ineleganter dicunt, martyres quidem elixari; affatum vero esse Christum: quia λόγος destituebat ad tempus naturam humanam, nec guttam solatii præstebat; cum contra aquæ spiritualis solatium martyribus ardorem passionis mitigaret.

24. §. *Terci*

24. §. *Tertium in ritibus, ad agnum pertinenibus, ejus erat comedio cum panibus azymis, & herbis amaris. Vbi tria attendimus; quid comedione significaretur, cur agnum cum panibus azymis comedetur, cur item cum herbis amaris. Quod ad primum, per hoc, quod de sacrificio cederent, notabatur fruitio cibi spiritualis.*

Recte Tertullianus de Baptismo: *Ea forma, qua SEMPER carna-
lia in figuram spiritualium antecedunt. Nec τριῶν hanc fuisse igno-
tam Iudeis, cognoscere est illo Philonis, libro de Allegoriis: Τὸ
φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τροφῆς ψυχῆς.*

25. §. *Panibus usi azymis, quia in memoriam revocarent,
quanta fuerit opus festinatione exituris ex Aegypto.*

Nam panes ejusmodi cito consunt: at in fermentatis exspectandum, donec fermentum digesserit ac attenuarit farinam. Itaque cum Abraham, & Loth, angelos exciperent hospitio, quia festinatio itidem erat opus, oppoluere illis panes azymos: ut est Genes. xvi 11, 9. Ac Gedeon itidem eos angelo obtulit: ut est in Iudicum libro. Atqui Israclitæ, licet libertatis desiderio, sponte egredentur Aegypto: tamen & periculis urgebantur, quia Aegyptii, primogenitis ab Angelo interemitis, animis erga eos erant maxime infestis, nec aliud æque sperabant, & spirabant, quam vindictam. Abituris igitur omnia erant omittenda, quæ moram injecissent profectioni.

26. §. *Præterea panes azymi significabant integritatem do-
ctrinae, ac vitae. Fermentum enim symbolum est malitiae.*

Et hanc, & superiore rationem, conjunxit Theodoreetus in Exodum quæst. xxiv: Διὰ ἡ τὸ ἀλύμων ἐμφαίνεται μένον τὸ ὄδοιπος εἰς τὸ σύντονον, καὶ τὸ τεοφῆς αὐτοχέδιον ἀλλὰ καὶ ὅπι τεσσάρης μηδὲν ἔχει τὸ Αἴγυπτικῆς θητοφέρεθαι πλατείας. Per azyma significat non modo accelerationem itineris, & facilem cibi apparatum: sed etiam nullum Aegyptiacæ vita vestigium retinere eos oportere. Confirmat hæc deinde, quod Dominus ipse fermentum dicat pro malitia: ut quando discipulis *Matth. 16, Marc. 8, Lyc. 12. ait*: *Cavete vobis à fermento Scribarum, & Phariseorum. Item Paulus, dum inquit †: An nescitis, quod paullum fermenti totam conspersio-* ^{nem} *† 1. Cor. 5.*

27. §. *Etsi vero comedetur agnus cum azymis, non tamen cum esu agni azyma cessabant. Nam comedio agni paschalis fiebat solum prima vespera diei decimæquintæ mensis Nisan. At azymorum esus durabat diebus septem: quorum primus, quo vescebantur agno immolato, κατ' ἔξοχῳ Pascha vocabatur.*

De hisce vii diebus ita Moses Exodi xii: Septem diebus azyma comedetis: non erit fermentum in domibus vestris: quicunque comedetur fermentatum, peribit anima illa de Israel, à primo die usque ad septimum. Solent vero Iudei nocte, quo tempore inactarent agnum paschalem, ad lumen lucernæ sedulo inquirere, ecquid fermenti uspiam foret in ædibus, ac si quid repertum, id foras projicere. Traditum hoc libro Thalmudico, qui Pesachim inscribitur: ac inde Iansenio relatum Concordiæ Euangelicæ cap. cxli.

28. §. *Herba vero amara notabant amarorem, & acerbitatem servitutis Aegyptiacæ. Præterea symbolum erant afflictionum, quibus premuntur pii. Est enim crux perpetua pena comes filiorum Dei, interim salubre vita condimentum.*

In vulgato interprete est cum laetucis agrestibus. Sed in Hebræo est כָּרְוִידָּלָי al merorim, h. e. cum amaris, puta herbis. Septuaginta pro eo habent πυρεῖδες, quod est speciale herba nomen. Et fortasse ea est laetula sylvestris: quando Theodorus Gaza πυρεῖδα ipse lactucam sylvestrem interpretatur Aristotelis lib. ix. Histor. Animal. cap. vi. Græcc est: οὗ δὲ χύνων, ὅταν ἐπωείξῃ, τὸ πὺρεῖδον ἐγόφει. ubi Gaza: Draco, cum per usum pomorum nausea infestatur, succum sylvestris lactuca exsorbet. Et sane in isto ducem sequitur Plinius: qui similiter reddidit lib. viii cap. xxvii: *Draco vernam nauream sylvestris lactuca succo restinguunt.* Cæsar tamen Scaliger* in superiori Aristote-
lis loco Græcanicam picridis vocem retinet. Et Gaza ipse alibi amaruginem reddit. Est vero πυρεῖδι intibus, non quidem sativus ille, Scaliger. cap. vel hortensis, quem vulgo endiviam nuncupant: sed is qui vulgo ci-
8. febr. 102. chorium sylvestre nuncupatur. Hic enim saporis est amari.

* Secun-
dum di-
stinct.

C A P . X I I I .

Accessum ad propria postremi Paschatis Dominici: vide-
licet ubi, quando, quo situ, & quibuscum illud
celebrarit Christus.

1. §. **H**ec universe tangunt comeditionem agni Paschalis.
Nunc ea considerabimus, quæ particulatim ulti-
mam Christi Cœnam Paschalem attingunt. Sed primum in
disquisitionem venit, utrum Christus celebrarit Pascha il-
lud typicum, ac legale.

Exstat enim Anonymi diatriba perperam inscripta S. Petro Ale-
xandrinus Episcopo, & Martyri. Hujus pars in eo est, ut probet,
Iesum extremo vitæ tempore non comedisse cum discipulis τὸν οὐ-
κόν καὶ οὐκώδην αὐχα, sed ipsum pro nobis esse mactatum ὡς ^b αληγῆ ^a legale ^c,
αὐμόν. Habes eum scriptoren in Vranologio, quo varios fideralis umbrati-
scientiae scriptores complexus fuit Dionysius Petavius ^{cum.}

2. §. *Nostra hac sententia est, Cœnam Christi fuisse bipar-*
titam: prius legalem ac typicum comedisse agnum: postea in-
stituisse sacramentum corporis ac sanguinis sui.

Quod planius fiet ex iis, quæ postmodo dicentur de Christi
cœna communi, quæ consecuta, quia agni paschalis eesus non ex-
plevisset famem.

3. §. *Hinc dispiciendum nobis de loco, ubi Pascha suum Do-*
minus celebravit. Deinde, an eodem die egerit illud, quo
Iudaorum alii. Hinc quibuscum ederit agnum Paschalem.
Denique quo corporis situ ederit. Ad primum quod attinet,
satis liquet, celebrasse illud Hierosolymis. Nec enim, facere
id alibi, fas erat.

Quod abunde me superiori capite arbitror commononstrasse.

4. §. *Porro etiam de loco queritur, cuius in domo. Pascha*
celebrarit Christus: de quo tacent Scripturae: neque ex
antiquis spondere aliquid certi possumus in tanto eorum
dissensu.

Apud Theophylactum legas, celebratio domini Simonis leprosi, patris Lazari à mortuis resuscitati; quasi is non habitarit Bethaniæ; ubi celebrare fuisse nefas. Nicephorus lib. I Histor. cap. xxviii tradit, fuisse domum Ioannis Euangelistæ, circa montem Sion sitam: quod si esset, Christus pascha celebraturus, Ioannem monuisset se domi ejus facere velle: non vero monuisset discipulos, ut illam ingrederentur domum, in quam viderent hydriam deportari. Atque idem dixero de sententia Hippolyti Thebani, in Chronico suo tradentis, fuisse domum Zebedæi, qui pater Iacobi majoris, & ejusdem Ioannis erat. Nam sic alterutrum discipulorum tantummodo communikeri opus fuisse. Minus etiam placet, quod Amalarius prodidit, fuisse domum Iosephi ab Arimatheæ. Sic enim scribit: *Ioseph ab Arimatheæ, discipulus Iesu occultus, propter metum Iudeorum, & ipse bajulator aquæ, qui suscepit eum in cœnaculo suo, cui Dominus mandauit, Dicit tibi Magister &c.* Saltem dixisset, fuisse patrem familias, non cum qui aquam illi deportaret. Nam hos fuisse diversos, clare ex Euangelistæ dilucet Marc. c. xiv, & Luc. xxii. Interca hoc largiamur ei, fuisse unum eundemque: in quo errore hæserunt B. Ambrosius in Lucæ cap. xxii, & Alexander Monachus in Laudatione Barnabæ apud Simeonem Metaphrastem xi Junii. Ne sic quidem negotium processerit. Nec enim Iosephus ab Arimatheæ usque adeo paupertate premebatur, ut ipse, more calonum vel lixarum, viliumve mancipiorum, vel eorum, qui artes colunt βαρύστες, sive mercenarias, ac sellularias, per urbem hydria, vel alio vasis genere, aquas deportaret. Quippe dives fuit; ut est Matth. xxvii; nobilis decurio, sive Senator; ut est Marci xv, & Luc. xxii.

Hæc igitur facile est refellere. Non æque (etsi valde etiam incertum videtur) quod Ioannis Marci domum fuisse narrat in suo Christo Patiente, sive Gregorius Nazianzenus, sive Appollinaris potius. Minus etiam refellere est, quod in monte Sion cœnaculum fuisse dicitur à Io. Damasceno orat. ii de dormitione Virginum, & lib. iv. Fidei Orthodoxæ cap. xiv. Item Olikæ dux epist. ii: ubi legas, nec Turcis aliter esse persuasum, eosque illud cœnaculum hodie etiam in magna habere veneratione. McMinit & cœnaculi ejus Burchardus vii, §. xlviij, ac statuit, unius lapidis jactu absente ab Hierosolymis. Beda de locis, auctor est, cœnas in superiori montis Sion planicie, prope templum ibi fundatum

datum ab Helena: sicuti memoriarum prodidit Nicephorus lib. viii.
cap. xxx.

5. §. Atque hic quæstio illa πολυθρύλης incidit, an Christus
codem die pascha celebrarit quo Iudeorum alii. De hoc ita
statuimus, Christum celebrasse pascha feria quintæ, ex le-
ge Mosaica: Iudeos autem feria sexta: cuius diversitatis
causam adduximus dissertatione de tempore Passionis Do-
minice Thesi xix.

Tempore igitur suo observavit Christus Pascha: atque aliter si
esset, objecissent id Iudæi Christo. Quo arguento etiam pugnat
Humbertus Cardinalis de Sylva Caudida, libro de azymo, & fer-
mentato. Putat Hentenius, præfatione ea, quam Euthymio præmisit,
abunde occurri huic argumento, si dicamus, nescivisse id Iudeos.
Sed potuere ex Iuda proditore cognoscere: atque is, præter alios,
testem adduxisset patrem familias, in cuius domo pascha celebrarat.
Quare fatendum, eo non ausos fuisse accusare Christum, quia is,
secundum legem Mosaicam celebrasset, & alii etiam multi legi-
timum tempus observarent: ipsis contra sibi consciï forent, quod à
lege recessissent, sive ut morem gererent traditioni, qua duobus
festis concurrentibus, pascha reiicerent in diem posterum; ut inter
alios voluit Rupertus lib. x de gloria & honore filii hominis, ac
Paulus Burgenis ex Hebræorum Calendario adstruit in Matthæi
cap. xxvi: sive potius origo ex eo, quod, anni Iuliani forma, juf-
su Augusti, recepta, ob diversam intercalandi rationem diversus
crederetur dies æquinoctii; ante quod tempus Iudeis pascha cele-
brare religio erat: ut pluribus dixi loco paullo ante memorato.

6. §. Proximum est, ut exponam, qui una cum Christo ede-
rint agnum paschalem. Hi fuere xii Apostoli. Sane nec
pauciores una edere poterant, quam deni; nec plures,
quam viginti.

Itaque ex numero hostiarum, quæ mactarentur in parasceve pa-
schali, colligi potuit multitudo eorum, qui tum temporis religio-
ne in Iudaicam Hierosolymis amplecterentur. Exemplum ejus rei
illustre adducit Flavius Iosephus lib. vii de bello Iudaico cap. vii:
ubi legas, quomodo Cestius Gallus, Syriæ præses, quo Neronem

Cæfaren, res Iudaicas contemnentein, edoceret de populi ejus multitūdine, à sacerdotibus exegerit, ut, qua ratione optime possent, numerarent, quanta multitudo conveniret ad festum Paschale: illi vero ejus numerum collegerint ex multitudine hostiarum, quæ ab hora diei nona usque ad undecimam cæderentur: fuisseque earum numerum ducenta quinquaginta sex millia & quingenta: cumque non pauciores una epulari soleant, quam deni, comperiri inde, fuisse Hierosolymis vices septies centena epulonum millia. Atque ita ille tantum denos tribuens contubernio: sed ait idem Iosephus, s̄p̄ etiam vicenos convenisse, quomodo fuerint quinquagesies quater centena hominum millia. Sed quia nunc deni, nunc viceni; medium incamus numerum, quasi fuerint unius contubernii epulones quindecim. Sic epulones fuerint supra quadragies centena nullia.

*§. 7. Supereft videamus, quo corporis situ Christus agnum e-
derit Paschalem. Verisimilius longe putamus, accubuisse men-
se, quia & alias comedens solebat accumbere: ut liquet ex
historia, qua refertur inunctus à muliere peccatrice, quæ re-
tro consisteret. Nam inunctio illa pedum stanti, ut seden-
ti, non poterat praestari. Accedit, quod dicitur in cena
ultima prius accubuisse, inde surrexisse ad lavandos disci-
pulorum pedes, ac, his lotis, iterum accubuisse.*

Ac in ea etiam sententia suit Franc. Iunius Analysis Exodi cap. xii, & Ribera lib. v. de Festis cap. i i. Qui dissentiunt, negant, esse verisimile, à Christo esse neglectum illud præceptum Dei Exodi xii. i i. Sic autem comedetis (agnum) illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & contenden-tes festinanter. Sed vere fculnum est hoc argumen-
tum; quia illud Mosis præceptum tantummodo pertinuit ad primi paschatis obser-vationem in Ægypto. Tum enim vere erat festinatione opus. Eoque necesse fuit, eos esse lumbis accinctos, calceatos, & baculo in-structos, viatorum instar. Temporibus vero consecutis præcep-tum hoc obligavit neminem: atque adeo ne observatum quidem fuit, ut Hæbræi testantur universi. Nec me fugit, ut contra hæc obtendant auctoritatem Philonis libro de Sacrificio Abel, & Cain: ubi, cum differuisset de tribus ingratorum generibus adversus Deum, adhortatur omnes, ut, sicuti pascha celebrantibus est præcep-tum,

ptium, suos accingant expediti ad exercenda omnia virtutis opera: atque, uti calceis continentur pedes, sic carnem molem ratione constringant: ac virgam disciplinæ in manibus habeant, ut ea dirigant omnia vitæ negotia. Sed quid si dicamus, allusionem esse allegoricam ad primi paschatis celebrationem? Sin de omni id paschate existimavit, plane erravit; quod & Ribera sensit lib. v. de Templo cap. 111. * Sane Christum non stetisse, sed accubuisse mensæ cum discipulis, arguant verba illa Ioan. xiiii: *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & pauxillo post: Cum recubuissest iterum, dixit iis.* Respondet, Iesum quidem stantei edisse agnum paschalem: sed, eo comestio, cum alii apponenterent cibi, accubuisse ex more, ac tum surrexisse ad lavandos discipulorum pedes. Verum quid attinebat, cum, qui ob ritum paschalem staret, sese in lectum recipere cum discipulis; si continuo surgendum foret? Nonne satius fuisset in stando persistere, ac demum post lotos discipulorum pedes accumbere? Vrgent, quod & Paulus ad vulgarem consuetudinem alluserit, cum ad Ephesios sic scribit cap. vi, 14: *State succincti lumbos vestros in veritate, & calceati pedes in preparationem Euangeli pacis.* Verum unde comprobant, alludi ad morem vulgarem, ac non potius ad præceptum Hebræis datum ex Ægypto egressuris: ut statuit Chrysostomus? Baronius arbitratur, stari solitum usque ad captivitatem Babyloniam: sed reduces sedisse, vel accubuisse: atque inde etiam esse quod accubuerit Christus. Placet, quod de Christo, & discipulis, consentit. Sed si post captivitatem obtinuerit accumbendi consuetudo, plane est verisimile, antea etiam, vel accubuisse, vel, si accubitus tum nondum obtineret moribus Iudaicis, saltuum sedisse potius, quam stetisse.

C A P. XIV.

De iis, quæ dixit ac fecit Christus à cœna paschali, antequam institueret Cœnam Eucharisticam. Vbi partim de Christo pedes lavante discipulis, partim de eo, per exhibitionem panis intincti, monstrante proditorum suum.

I. §. **A** Gno à Christo & Apostolis comeſto, de quo proxime vidimus, quia non ſufficeret agnus anniculus tam

* In fine,
ſive p. 319.
edit. Belle-
riana.

multis explenda fami, sequebatur cena communis, sive vulgaris.

Quam & agnoscit B. Augustinus lib. de Consensu Euangelistarum: *Peraacta paschali cena, & communi incepit, illis coenantibus surrexit Christus, & lavit pedes discipulorum.* Ac similiter idem tractatu LV. in Ioannem.

2. §. *Huic cena etiam Iudas interfuit, non item Eucharistice.*

Aliter, scio, B. Augustinus, & complures alii. Eos movit, quod Lucas post Eucharistiam institutam narret de intincta Iudea data. Sed cum Hilario censemus, antea excessisse convivio Iudam. Movet vero, quod Matthæus, & Marcus prædictionem proditionis narrant ante institutum Eucharistie sacramentum. Nec sane verisimile est, Christum suum corpus, quod pro suis traditum iri diceret, traditurum illi, quem se traditurum sciret, & quem quasi δακρυλοδείκτως mox Apostolis indicare vellet. Sed de hoc dicam quoque intio capit is seq.

3. §. *In vulgaris ejusce cena historia attendimus prius, quæ dicta, factaque, Iuda præsente, deinde quæ eo absente.* Præsente coniugere præcipue duo. Nam & Christus pedes discipulis lavit: & pane intincto proditionem discipulis monstravit. In lotione ea, quam solus describit Ioannes cap. XIIII, tria hæc considerantur: quis laverit, & quare laverit. Lavit Christus, qui dominus erat, discipulis suis pedes: in his etiam Iudea, idque ubi constaret diabolum esse in cor ejus ingressum.

Videlicet, ut hoc pacto animum molliret Iudea: sunul ut iste etiam humanitatis suæ cumulus accederet. Quin ab eo lotionis fatum esse initium sententia est Chrysostomi homil. LIX in Ioan. & cum more suo secutus Theophylact. Ioan. XIIII. Ac, ut aiunt, fortasse eo id fuit, quia homo impudens supra cæteros accumeret. Sanctus tamen Augustinus tract. LVI in Ioannem à Petro exorsum arbitratur. Evidem, si à Iudea cœpit, crediderim, eo id esse factum, quia voluerit ab infimo, imo omnium impurissimo, maximeque lotionis indigo, incipere: ut plurimorum è Græcis opinio est: in his Orige-

Origenis in Ioan. Ac fallitur auctor sermonis de Ablutione pedum, qui inter Cypriani scripta legitur, quando ait, Iudam fuisse illotum, quia ante lotionem discesserit. Contrarium enim ordo narracionis testatur.

4. §. *Causa, cur Christus pedes laverit discipulis, gemina fuit: moralis una, mystica altera. Moralis illa, ut dilectionis, & humilitatis signum exhiberet.*

*Quo pertinent hæc verba Christi: * Scitis, quid fecerim vobis? * Vers. 12. Vos vocatis me Magistrum, ac Dominum: & bene dicitis: sum enim. Si ergo 13. 14. lavi pedes vestros Dominus, & Magister, vos quoque debetis invicem alii aliorum lavare pedes. Exemplum enim præbui vobis. Non est servus major domino: neque legatus major est eo qui legavit ipsum.*

5. §. *Altera vero causa erat mystica, ad significandam remissionem peccatorum. Ad quam rationem nondum assurgebat Petrus, cum diceret Christo: Tu, Domine, mihi lavas pedes? Quemadmodum, cum diceret Christus, Quid ego facio, tu nescis nunc, scies autem postea: subiecit ille: Non lavabis pedes meos in æternum.*

Quæ verba ejus non indiscerte enucleat scriptor sermonis de ablutione pedum inter Cypriano falso attributa.

6. §. *Hinc Christus Petro, recusanti lavari, ait: Si non la vero te, non habes partem mecum.*

Atque ab hac causa fuit, quod communicaturis pedes olim solleant lavari: ut cognoscimus ex B.^o Augustino epist. cxix cap. viii. Nempe mundatione pedum putabant signari, mundandas esse animas, antequam accedant ad participationem corporis Dominicī: ut Rupertus etiā docet lib. v. de Divinis Officiis cap. xx.

7. §. *Porro etiā Petrus primitus lavari sibi pedes recusaret: ubi tamen didicit, quam lotio ea necessaria foret, non dubitavit poscere, ut totum corpus lavaretur. Sed responsum hujusmodi tulit à Christo, pedibus mundis, nihil ultra esse lotionis opus.*

Vbi respicitur gemina lotio veterum ; una corporis totius in balneis, altera pedum, quando venientes è balneis corpore quidem essent mundo , sed pedes in via essent aspersi pulvere : quos propterea opus esset ablui , priusquam in lectulis recumberent tricliniaribus. Ad ἀναγωγὴν vero pertinet, quod aliqui per corporis lotionem intelligent baptismum , ac per pedum lotionem pœnitentiam , qua, minimum propter quotidiana incursionis peccata, post baptismum opus est.

8. *S. Dicitur Christus, pedes loturus, deposuisse vestimentum, seque cinxisse linteo, quo postea pedes lotos tergeret.*
Dicitur quoque vestimentum adsumisse, cum lotione absoluta, novum instituere sacramentum vellet. Censet Baronius,
prius deposuisse canctoriam, in qua accubuerat. Censet,
postea assumisse novam vestem sacris convenientem, more
sacerdotum, quando celebrant λειτουργίαν. Sed non is luxus
Christo & discipulis, ut canctorias assumerent. Contenti
erant tunica, sive interiori veste, que χιτών in scripturis
dicitur, & pallio, sive veste exteriore, quæ ἄσπλαχνον vesti-
mentum, vel vestimenta, πίματον, vel πάτητα, vo-
caris solet. Cumigitur legimus, Christum à comestio Pascha-
li agno deposuisse vestem, pallium intelligere convenit: quod
eo deposituit, ut facilius lotionis ministerium obiret.

Nec enim id palliatus cominode poterat, quia brachia veste concluderentur. Servi eo sola tunica induebantur, & quidem absque manicis , vel cum una sola, ut ita paratores ad ministeria forent. Quam autem vestem deposuerat Christus ante lotionem , hanc post lotionem iterum assumit. De veste sacerdotali somnium est: nec debemus ex sequentium seculorum moribus mores Christi aestimare.

Particula unius lintei, quo Christus præcinctus discipulorum pedes detersit , monachi Cassinenses Hierosolymis detulisse in monasterium suum dicuntur anno Christi c. Ix iv. Vbi & miraculo clausisse traditur. Si voles, adi de hoc Leonem Ostiensem Chronicum Cassinensis lib. II. cap. xxxi.

9. *S. Alterum erat, quod Christus, postquam pedes discipu-*
lis

lis lavisset, denuo se in lectulum tricliniarem recepit, cumque discipulis accubuit: ac tum à Iudae proditum iri predixit.

De hoc Matth. xxvi. 21, 22, 23, 24, 25. Marc. xiv. 18, 19, 20, 21. Luc. xxii, 21, 22. 23. Ioa. xiiii, 18, & præcipue 21, & 9 sequentibus. Imo de intineto pane, & Iude tradito, solus narrat Ioannes.

10. §. In ea predictione novenas res consideramus. Primum est, quod Christus, ut Ioannes ait, turbatus spiritu (nimirum ob detestabile scelus, quod Iudas moliebatur) discipulis secum accumbentibus prædixerit, se ab uno eorum proditum iri, qui secum manducarent.

Quasi diceret, eorum uno, quos elegi, & in familiaritem intimam adscivi, quique tantorum mihi beneficiorum nomine sunt obstricti.

11. §. Alterum est, obortus inde discipulis dolor; unde & quisque Christum rogavit, utrum ipse foret, qui proditurus esset.

Christum sciebant veracem; sed quoniam nemo se satis novit, quasi conscientia suæ diffidentes primitus, ut ait Ioannes, se mutuo intuiti; & quia quisque vellet tanti criminis suspicione apud alias liberari; eo Dominum rogavit, ipsene foret, qui tam grandi scelere se esset obstricturus.

12. §. Tertium est, quod hinc Christus dixit, ab eo se proditum iri, qui manum secum intingeret in paropсидem sive catinum.

Genuæ est videre vas pulcherrimum sive ex smaragdo, sive gemma alia. Ac ferunt, eam pse lancem esse, in quam cum Christo manus immiserit Iudas. Sed refellitur haec opinio eo quod Clemens Alexandrinus dicat: Ο' Κύριε τευθλιώπην ψαπο διπλαῖ. Quod observatum Brodæo in Mischellan. lib. v cap. xix.

13. §. Porro hoc Christi responsum minus generale est, ac prius. Nec enim universos, qui mensæ accubuissent, una

ex paropside edisse, sed solum quaternos vel circiter, verisimile videtur.

Quod finihilominus placet, universos ex eadem edisse paropside; possis dicere, non frustra hoc iterari à Christo, quia *ἵτιμον πανώτερον* quam prius. Nam exprobationem continet, quod eorum unus fuerit, quos etiam mensa sua dignaretur. Atque ut bis idem diceret Christus (nam & hæc quorundam opinio est) non inanis eo fuerit *παντολογία*. Potuit enim Christus idem bis aliter atque aliter dicere, partim ut suos in cœrore diutius detineret, partim ut longiori spatio Iudam ad pœnitentiam invitaret, comonstrando illi & omniscientiam suam, & erga eum, qui hoc scelus moliretur, lenitatem. Chrysostomus homil. 1. de Prodit. putat, quando Christus diceret, proditorem secum manum intingere, satis indicasse, non aliud esse, quam Iudam, quia solus secum intingeret. Sed hoc si esset, iam agnitus foret: nec locum habuisset sermo consecutus. Quare non multo aliud dicit Christus, quam unum esse ex accubentibus.

14. §. *Quartum est, quod, ubi Christus vidit, hoc gemino monitu non corrigi Iudam, subjecerit, tum quod ad discipulorum consolationem pertinet, tum quod Iudam amplius terroreret. Consolationi discipulis fuit, quod diceret, ab eterno de morte Christi esse præfinitum, perque Prophetas prædictum.*

Verba Scripturæ sunt: *Filius hominis radit, puta ad mortem. Additur, secundum quod definitum est, nempe à Patre. Item, Sicut scriptum est de eo, videlicet per Prophetas.*

15. §. *Ad revocandum vero Iudam ab insanìa faciebat, quod ait Christus: Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum ei erat, si natus non fuisset homo ille.*

Euthymius Zigabenus, & Thomas Cajetanus, sic interpretantur, melius fuisse illi, si in utero matris fuisset suffocatus, ac mortuus, nequid hujusmodi committeret. Sed simplicius sit exponere, ut nunquam fuisset: puta nec natus, nec conceptus.

16. §. *Quin-*

16. §. *Quinctum est, quod exinde rogarit Iudas ipse, Nunquid ego sum, Rabbi? Christus vero responderit, Tu dixisti, quasi diceret, Sic est.*

Hebræa est phrasis. Sic Caiapha Dominum rogante, num ipse esset Christus, respondit hic, ut apud Matthæum est, *Tu dixisti: pro quo Marcus, Ego sum.* Similiter Pilato roganti, an rex foret, respondit, *Tu dicas, quia ego sum.* Hoc est, *Is sum, quem dicis.* Ita quoque interpretatur Ioannes Cantacuzenus apolog. 111 aduersus Musulmannos *. Aliter tamen Euthymius. Qui sic colligit. Si hoc * *Post medixisset Christus, lacerandum fuisse à Petro, qui zelus ejus erat. dium.*
Quare & ille, & alii multi arbitrantur, Christuni nec asserere, nec negare: sed, quid sit, dicentis conscientiæ committere: ut, Tu dixisti, tantudem valeat, ac, Tute novisti. Ac favet huic sententiæ Benedictus Arias Montanus: qui in Matth. xxvi. ex usu Hebraismi valere ait, *Bene habet, satis est, nihil ultra de eare agamus.* Mihi vero plane aliud evincere videntur loca similia, quæ adduximus. Argumento illi, quod eo responso metus non fuerit discipulorum aliis excusus, facile occurrit eo, quod responsum hoc non audierint, vel saltem non satis perceperint: fortasse quia submissius esset dictum à Christo.

17. §. *Sextum est, quod, quia hoc responsum non satis audij-sent discipuli, Petrus, pro zelo suo, à Ioanne, præcipue diligenti Christum, & ab eo dilecto, inque sinu Christi re-cumbenti, nutu petierit, ut ille rogaret Christum, quis pro-diturus foret.*

Non quasi Ioannes sedens, caput rustice Christi pectori admiror; sed quia mensæ accubuerit inferior. Quæ res nota ex veteri more accumbendi.

18. §. *Septima est, quod, Ioanne Christum hoc rogante, re-sponsum sit, eum esse, cui panem intinctum offerret, ac si-mul eum dederit Iudæ Iscariotæ.*

Quo jam plene innotuit omnibus, quis ille foret. Nisi de hoc signo secreto uni dictum Ioanni, ut aliquorum opinio est.

19. §. *Octavum est, quod ne sic quidem Iudas ad frugem sit*
 P 2 *revo-*

revocatus: sed, diabolus, qui eo usque animum occuparat Iude, magis etiam invaserit, sic ut plane redderetur insatibilis.

Iam antea pravos Diaboli instinctus admisisse, ostendit, quod Ioannes dicat, *diabolum misse in cor Iude, ut traderet eum.* Sed nunc se magis diabolo mancipasse, arguit, quod idein Euangelista hic ait, *Et post buccellam (ψωμίον) tunc magis introivit Satanás.* Buccellam autem ipse Ioannes *panem intinctum* interpretatur. Ut valde eum ratio fugerit, Abramium, qui ad Nonni paraphrasin in cap. xiiii annotavit, per ψωμίον signari carnis frustilluni medicatis frugibus conditum. Sed neque assentiendum Cyrillo Alex. in cap. vi Ioan. vel Anastasio Sinaite orat. de Synaxi, panem hunc intinctum fuisse Eucharistiam. Contra quam opinionem fuse disputat Hildebertus Cœnomanus epist. lxiv. Pro que eo est Augustinus tractat. lxii in Ioan.

20. §. *Nonum est, quod Christus tum dixerit Iude, Quod facis, fac cito. Atque hoc quidem Apostoli ita intellexerunt, quasi, quia loculos haberet, præciperet ei Christus, ut illa emeret, quibus opus foret, vel ut egenis daret aliquid.*

Neque tam stupori, quam caritati Apostolorum, tribuendum videtur, quod tum quoque verba Christi ambigua in partem interpretarentur meliorem.

21. §. *Revera autem loquebatur Christus de exsequendo quamprimum negotio præditionis. Nec tamen eam præcepit, sed prædixit. Scire enim se ostendit, quid Iudas moliretur. Quod absterrere eum debuerat à tanto scelere. Præsertim quia sic etiam bonitatem & affectum suum erga Iudam declararet. Præterea vero cum Iudam accelerare jubet, desiderium suum ostendit patiendi pro nobis.*

Leo Magn. serm. vii de Pass. cap. iv: *Videns Dominus, cui flagitio Iudas esset intentus; Quod facis, inquit, fac citius. Vox haec non jubentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed parati: qui habens omnium temporum potestatem, ostendit, se moram non facere traditori, & sic ad redemtionem mundi paternam exsequi voluntatem, ut facinus, quod à persequentibus putabatur,*

nec

nec impelleret, nec timeret. Vide Cajetanum jentaculi sexti quæst. secunda: ubi disquirit, an non verba Christi fuerint impellentis ad proditionis scelus.

22. §. *At non audiendi sunt, qui Iudeæ Iudeorumque facinus profectum aiunt à præscientia Dei ac decreto.*

Præscivit quidem Deus: quia, ut ait Augustinus lib. iv de Genesi ad literam cap. xxxii: *Cognitio fieri non potest, nisi cognoscenda præcedant.* Sed præscientia illa speculativa fuit, non practica. Nec facta sunt, quia præscita, sed præscita sunt, quia futura: ut de hac ipsa Iudeæ proditione scribit apud Iustinum Martyrem auctor Responsionum ad Orthodoxos quæst. lviii. *Quod similitudine hac Origenes illustrat apud Eusebium lib. vi Præparat. Euangel. cap. ix.* Ait, sic cum divina esse præscientia comparatum, ut Deus prævideat, quia est futurum, non autem ut moveat vel impellat: sicut homo cum temeritate alicujus novit, qui iturus est per viam periculofam ac lubricam, lapsum ejus prævidet, nec tamen causa est lapsus. Hoc interim est discriminis: quod homo falli potest; Dei oculus semper vigil infinitæ sit perspicaciæ. Eoque necesse sit futura omnia à Deo præsciri: nec tamen ex præscientia hac sit necessitas aliqua futuritionis, quia futuritio præcedat per modum objecti ac termini: ut necessitas hic non sit, nisi Logica, sive syllogistica; non Physica, sive caussalis. Hoc veterum omnium judicium fuit, quos alibi magno numero adduximus. Contentus igitur nunc ero Leone Magno, serm. xv de Passione: *Numquid iniqutias persequentium Christum ex Dei est orta consilio? & illud facinus, quod omni maius est crimine, manus divinae preparationis armavit?* Non hoc plane de summa justitia sentiendum est: quia multum diversum, multumque contrarium est id, quod in malignitate Iudeorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi: nec de uno exiit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim impensis furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit. Nec præsciendo, quod faciendum est, coegerit, ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret. Et paullo post: *Quod itaque Dominus Iesus Christus furorem freneticum pati voluit, in nullo auctor eorum criminum fuit.* Nec egit, ut hac vellet, sed cœsit, ut possent, & sic usus est obsecrata plebis insanis, quomodo & perfidia traditoris; quem ab inumanitate conceptis sceleris, & beneficiis est revocare dignatus, & verbis: *adsumendo in discipulum, provehendo in Apo-*

23. §. Nec magis decreto ſuo Deus cauſa eſt proditionis, vel ullius mali. Neque enim ſtatueri oportet cum Stoicis ali- quod fatum ineluctabile, quia Iudeſ potuit proditionem omittere: ſed prævidit Deus, cauſam liberam in circumſtantiis iſiusmodi, ſi ſibi relinquatur, in actum talem eru- pturam: decrevit autem, id permiſſere; malumque, quod ſic futurum prævidit, ad finem bonum ordinavit: in quo tam bonitas, quam ſapientia Dei eluxit.

^a Cap. 25. Atque hinc eſt, quod Synodus Arauſicana 11^a negat, hominem
^b Ad 15.ca- prædestinari ad malum divina potestate. Quam ſententiam quo-
pit. Gallor. que valide refellunt Proſper^b, ſcriptorque de vocatione gentium^c,
^c Lib. I. ac Fulgentius^d.

cap. 30.

^d Libro ad
Monimum,
paſſim.

24. §. Vera autem cauſa cur Iudas Dominum prodiderit, ejus avaritia fuit. Nam ut eſt Ioan. xii. 6. fur erat, ei- demque loculorum cura erat commiſſa. Talis cum foret, fa- cile, avaritia eum stimulante, incentore diabolo, nec tamen vim adferente, cui non poſſet reſiſtere, ad parricidium, imo & ſacrilegium parricidio copulatum, impelli potuit.

Vt eſt apud B. Hieronymum in Ief. cap. LIX. Idem ſcite ſic enar- rat Didymus lib. 111. de Spiritu S. Obſervans diabolus quibusdam moti- bus & operationum signis, ad que potiſſimum Iudea cor eſſet vitia proclivius: deprehendit, eum patere infidiſſis avaritia: & reperta cupiditatis janua, miſit in mentem ejus, quomodo deſideratam pecuniam acciperet, & per occaſionem lucri, proditor magiſtri & ſalvatoris ſui exiſteret, argento proprietate com- mutans, & ſuscipiens preſtum ſceleris à Pharisaīs, atque Iudeis. Hac ergo cogitationis occaſio locum tribuit Satana, ut in cor ejus introiens, impleret eum peſima voluntate. Introit ergo non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecun- dum operationem: quia introire in aliquem increata natura eſt, ejus que par- ticipetur à pluribus.

25. §. Poſt verba Chriſti Iudam accelerare jubentis, id quod ageret, abiit ille, ut ad Dominum tradendum conveniret Pontifices, ac Seniores.

Nocte abiit, nocte ipsa plus animo tenebrarum habens. Reliquit Christum; quoque longius absuit ab eo, qui erat lux mundi, hoc te-nebris majoribus animus fuit obseptus, spiritu tenebrarum eum sibi totum vindicante. At nondum ille abest; Christus neglexit tempus Eucharistiae instituendae: cuius proditor particeps non fuit. Plurimi tamen veterum arbitrantur, Iudam non abiisse tam cito; sed permanisse, dum Cœna instituitur Dominica: atque etiam à Christo, quia adhuc ignotus Apostolis foret, sacra symbola accepisse. In his, è Græcis quidem, fuere Origenes, Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Theophylactus, Euthymius: è Latinis vero, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus; ut Bedain, Rabanum, Bernardum, & juniorum alios immittam: Imo Federicus Staphylus hæresin censebat, id negare: ut videre est in Prateoli Elencho, voce *Iudas*. Negant tamen Clemens Romanus sive alius lib. v. Constitut. cap. xv, Hilarius can. xxx. in Matth. Rupertus in Matth. cap. xxv, & Ioan. cap. xiiii, Innocentius 111, lib. 111, de Myster. cap. xiiii, & alii complures: quos è junioribus sequuntur Turrianus in defensione loci è Clemente antea indicati, Barradius tom. iv lib. 111 epist. 111. Mendoza in Reg. cap. vi. 21, annotat. xxii. ut mittam ceteros.

C A P. X V.

De institutione Eucharistiae: item de tribus, super quibus, post Cœnæ institutionem, Christo cum discipulis sermo fuit.

1. §. **E**xinde tria de Christo refert Scriptura; quæ contингere, priusquam cum discipulis domo exiret. Eorum prius est institutio Sacrae Cœnæ. Alterum multiplex cum discipulis sermo ab institutione Cœnæ. Tertium hymnus dictus. Institutio Cœnæ èo justius inter præparationes Passionis refertur; quia non tantum proxime Passionem præcessit; sed eam quoque mystice significavit, perque eam discipulos præparavit ad tentationem tantam facilius exsuprandam.

De hac narrant Matth. xxiv, 26, & seqq. Marcus xiv, 22, ac dein-

2. §. *Contigisse eam inter cœnandum, sive potius post cœnam, (μετὰ τὸ δειπνοῦ, ut est apud Lucam *) satis ex Euangelistis liquet.*

* Luc. 22.
20.

Ac propterea in primitiva Ecclesia sacramentum Cœnæ in convivando celebratum; nempe una cum ἀρτῷ. Sed postquam convivia, quæ primitus fuere temperantia, in ἀνεξίᾳ degenerarunt; quod jam temporibus B. Pauli contigisse, ex eo liquet, quod propter intemperantiam in agapis Corinthios castiget. Quare etiam cum agapæ permanerent: separata tamen à mysteriis fuere. Agapas vero obtinuisse etiam post annum trecentesimum, ex concilio Laodiceno cognoscere est. Quamquam verò Christus in cœna instituit hoc sacramentum: veteres tamen celebrarunt in conventibus suis antelucanis: quod ex Tertulliano cognoscitur. Excipe anniversariam diem, qua Christus celebrasset. Quo id non fuisse observatum, doceatur hoc canone Concilii Carthaginensis: *Sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.* Neimpe eo die Christi exemplum sequi amabant.

3. §. *In hac Institutione quatuor nobis Scriptura exponit. Primum est exemplum Christi præeuntis. Alterum, sermo ejus hoc mysterium explicantis. Tertium est mandatum præcipientis, ut exemplum sequamur. Quartum, prædictio de non amplius cibum cum discipulis sumendo. In exemplo Christi duo attendimus: rem duplēm, & ritus adnexos. Res ea, est panis, ac vinum.*

Panis vero ille ἄζυμος, sive fermenti expers, fuit. Nec propterea opus, ut nos etiam simili utamur pane, quia quod Christus pane est usus azymo, plane ex accidenti fuit: videlicet, quia cum Christus Cœnam institueret, ex lege Mosaica, non alias panis, quam azymus, in ædibus esse poterat ex interdicto Mosaico. Vinum item, quod Christus bibit, aqua erat temperatum; uti & vini, & cœli natura postulabat; quod liquet ex Proverb. ix. 2, 5. & Apocalyps. xviii. 6. Ac propterea etiam veteres Christiani mixto

mixto usi, non mero; ut liquet ex lustino, Irenæo, Cypriano, & tot aliis.

4. §. *Ritus vel ad panem vinumque, vel ad solum panem, vel solum vinum, pertinent. Commune est, quod dicitur Christus benedixisse, sive gratias egisse.*

Apud Matthæum, & Marcum, est διλογίας, apud Lucam & Paulum διχαρισμάτων. Ut idem sint benedicere, & gratias agere. Atque hinc & sacramentum hoc διχαρισμάτων nomen accepit. Ab ea benedictione erat creaturæ ἀγαπητός, ac siebat precibus Deo dictis. Nam διλογίαν, & διχαρισμήν valet ἀργοδίχεια, ut ex Pauli interpretatione cognoscimus. Sane διλογίαν, & διχαρισμήν dicimus πατέρα θεού, pro διλογίᾳ καὶ διχαρισμῇ τὸν Θεὸν ὡς εἴδη καὶ πτυχίας.

5. §. *Ad panem solum pertinet, quod Christus dicitur eum accepisse, fregisse, ac discipulis dedit.*

Nam Euangelistæ dicunt ἐκλαστούς. Et Pauli est, τὸ ὡς εἴδη ὑμῶν κλασθεῖν. Nempe Hebræorum panes κλαστοί. Ab ritu vero eo, quod frangeretur panis, vetustas totum sacramentum etiam κλάσην τὴν ἀρχήν appellavit.

6. §. *Ad ritus autem poculi refer, quod & illud Christus accepit, & discipulis dedit, dicens: Bibite ex hoc omnes.*

Quo ex loco per vocem O M N I E S non aliud evincitur, quam de Apostolis, qui soli erant præsentes. Sed quomodo ulterius hoc mandatum extendatur, dicetur postea cum ad mandatum instituentis fuerit deuentum.

7. §. *Sequitur institutionis causa, sive explicatio veritatis per ea signa demonstrata: ubi prius de pane videndum: hinc de vino. De pane ita Christus apud Lucam: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Apud Paulum, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.*

Vbi tria videmus. Primum quod panis dicatur corpus. Augustinus contra Adimantum cap. xii: Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui. Deinde quod Christus ait, corpus hoc dari ac frangi. Fractione ea significabantur tum do-

lores ac laceratio corporis, tum corporis ab anima separatio. Fran-
gebatur autem panis ad distribuendum, h. c. alteri communican-
dum. Ut hoc symbolo etiam denotetur communio bonorum, quæ
per crucem pararentur. Denique dicitur *pro vobis*, h. c. in vestram, ô
discipuli, & omnium, in me credere volentium, salutem. Ῥ̄περ τὸν
ρότον ζωῆς, ut idem Christus loquitur Ioan. vi. 51. Est igitur pa-
nis vivificum Christi corpus: uti & vivifica ejus manducatio. Nec
enim panis ille est inane signum: sed efficax, inque usu legitimo
semper exhibens, ac conferens, quod obsignat. Non quasi sit con-
junctio panis physica cum Christi corpore, (nec enim panis ~~τούτοις~~
~~ταῦταις~~ unitur cum Λόγῳ) sed quia est conjunctio sacramentalis, ex
Christi instituto præstans animæ spiritualiter, quod visibili signo
denotatur corporaliter.

8. §. De vini significatione quatuor tradit Christus: quid sit
illud, quod signat: quale sit, quorum sit, & quem in fi-
nem. De primo sic ait apud Matthæum, & Marcum:
Hoc est sanguis meus.

Hoc est, signum sanguinis exhibitivum. In fœderibus sanguis
bibi solet, quandoque & humanus. Sed Christus in hoc fœderis no-
vi sacramento dat vinum, sanguinem uvæ, ut veteres vocarunt. San-
guis, qui in sacrificiis fusus, erat symbolum animæ ac vitæ, quæ in
sanguine consistit. Ita & symbolum sanguinis Christi significat com-
munionem mortis & vitæ, omniumque beneficiorum, quæ ex
morte Christi ad nos redundant. Sed & vinum, præterquam quod
nutrit, etiam lætitiam parit: eoque symbolum quoque est vitæ im-
mortalis, ac lætitiae non desituar. Ideo comparat Iesus poculum,
quod biberent, cum eo, quod bibituri essent in regno Patris. Ver-
ba mox adscram. Nimirum solet Christus cœlestem vitam, ac læti-
tiam, conferre cum epulis terrestribus. Vnde & illud Matth. viii. 11.
Accubent cum Abraham, & Isaac, & Jacob, in regno celorum. Et Luc.
xv. 23: *Videt Abraham eminus, & Lazarum in sinu ejus.* Videt cum
non solum cœlestibus epulis frui, sed præ aliis honoratum: quippe
qui in sinu Abrahæ recumberet: quod magni amoris indicium.

* Matth.

26. 28.

Mar. 14. 23.

† Luc. 22.

20.

9. §. De altero ait inibi*, sanguinem esse Novi testamenti.

Pro quo apud Lucam † est, Hoc poculum est novum
testamentum in meo sanguine.

Græ-

Græce est *ἀγρίκη*, quod valet idem ac Hebræum נִמְפָּה: nempe fœdus. Sententia igitur sit, esse signum novi fœderis, ac proinde magis efficax adspersionibus illis fœderis antiqui.

10. §. *De tertio est apud Matth. & Marcum, Qui (sanguis) pro multis effunditur: apud Lucam**, qui pro ^{*Luc. 22,}
vobis effunditur. ^{20.}

Ratione meriti pro omnibus, ratione efficaciaz pro credituris, sive qui conditiones fœderis observarint. Gr. τὸς οὐχιώματος, qui effunditur, pro, qui effundetur; sicut, *corpus*, quod pro vobis traditur, pro, jam jam tradetur.

11. §. *De quarto est apud Matthæum, cum sanguis is effundi dicitur in remissionem peccatorum.*

Remittuntur enim nobis peccata ob effusum Christi sanguinem, sive propter mortem Christi.

12. §. *Hæc exceptit mandatum, quod partim erat de eo tempore, partim de futuro. De præsenti sunt illa apud Euan gelistas, Accipite, comedite, dividite inter vos.*

De pane est, *accipite, comedite*, apud Matthæum xxvi. 26. Sive, *sunite, comedite*, apud Marcum xiv. 22. De poculo autem, *Bibite ex hoc omnes*, Matth. xxvi. 27. sive, *Accipite hoc, & dividite inter vos.* Λάβετε τέτοιον, καὶ ἀφεσθε αὐτοῖς. Luc. xxii, v. 17. Quo petitur, ut poculum, quod de manu in manu dedit, hoc in orbem iret.

13. §. *De mandato in posterum nihil expressum ab Euangelistis: sed docet hoc nos Paulus 1 Corinth. xi. 26: Quotiescumque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate donec venerit.*

Sensus est, sacro istoc ritu, quo præivi vobis, & nunc celebrate repræsentationem mortis meæ imminentis, & deinceps etiam memoriam mortis tum obitæ. Duretque ea consuetudo in vobis, atque omni Ecclesia, donec rediero, ut vos adsumam in cælos, quo istic accumbatis fruituri mecum epulis æternis.

14. §. *Mandatum id sequitur prædictio Christi de non amplius bibendo cum Apostolis.*

Verba Domini apud Matthæum & Marcum sunt: *Non bibam de hoc genimine vitis usque in diem ultum, cum bibam illud vobisum novum in regno Patris mei.* Per genimine vitis intelligitur vinum: per regnum Christi, id quod in cœlis est et obtenturus ad dexteram Dei sedens; præsestitum ab universalis resurrectione: per vinum novum, cœlestis; quod bibetur, quando cœlum erit novum, terra nova. Magis hæc placent, quam ut novum adverbialiter sumatur, pro noviter: vel novum quidem sit nomen: sed de spirituali dicatur vino, sive gaudio, quod post triduum erant percepturi ex resurrectione. Quorum utrumque apud Cajetanum legas Ientaculo sexto. At dixeris, interpretationi nostræ obstare illa Petri Act. x. v. 41. *Qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam surrexit à mortuis.* Propterea & Heldibia B. Hieronymum sibi consulendum putavit. Ac Eucherius Lugdunensis illa Christi verba inter obscuriora Scripturæ loca collocavit. Non puto rectius conciliari Scripturas, quam restringendo Christi verba ad hactenus consuetum bibendi morem, qui erat naturalis. Nam à resurrectione edit ac babit Christus, sed novo modo, ac supernaturali, non ad corporis necessitatem, sed ad veritatem corporis adstruendam: ut in Resurrectionis historia plenius explicabitur.

Atque hæc de verbis, quibus nobis in Scripturis Institutio Cœnæ Dominicæ enarratur. Cuncta nunc solum attigimus, quia fuse sati hujus Sacramenti naturam prosecuti sumus in Disputationibus de sacra Cœna.

15. §. Dubium vero, utrum statim ab Iude abitu, ante institutionem Sacramenti; an mox ab ea institutione, verba ista dixerit Christus: *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semet ipso, & continuo clarificabit eum.

Ita vulgatus interpres. Græce pro clarificare est δοξαζειν, quod est glorificare. Sententia est: *Vti Deus est glorificatus per filium, dum hic implet ejus voluntatem, ita filius glorificabit à Patre tum variis in Patrone miraculis, tum suscitando eum à morte, & attollendo in cœlos, ubi ad dexteram Patris considebit, missoque in mundum Spiritu S. supra omne nomen obtinebit nomen gloriosum in cœlo, & terra.* Quæ omnia post Iude abitum dixit, ad Apostolos consolandos.

16. §. Imo

16. §. Imo ex aliquorum sententia in capite Cœna iterum inter discipulos de primatu orta contentio fuit.

Sic, inter alios, Cornelius Lansenius Concord. Euangeli. cap. cxxxiv.

17. §. Colligunt vero hoc ex eo, quod post prædictionem proditionis Lucas cap. xxii. interferit contentionem Apostolorum de primatu. Sed tam multa habet similia istis, quae referuntur Matth. xxvi., Marc. xiv., Ioan. xiiii.: ut omnino verisimile sit, hanc eandem esse historiam, quam cap. ii. contigisse diximus in via, cum Christus Ephrem egressus tenderet Hierosolymam. Nec verisimile est, discipulos sic castigatos Christi verbis, iterum eo ambitionis prærupturos.

Quare de eo nihil hoc loco nobis dicendum putavimus.

18. §. Illud vero satis est apertum, Christum, ab institutio-
ne Cœna, de tribus esse cum discipulis collocutum, prius-
quam exiret. Eorum primum est, quod mortem suam præ-
dicit. De hoc sunt ista: Filioli, adhuc modicum vobis-
cum sum. Quæretis me, &c, sicut dixi Iudeis, Quo
ego vado, non potestis venire.

Intelligit autem, quod vaderet ad mortem.

19. §. Alterum est, quod occasione ea, quia de abitu mo-
nuisset, formam præscripsit vivendi inter se his verbis *: * Ioan. cap.
Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, 13. vers.
sicut dilexi vos. 33. 34. 35.

Non auctoritas novum, sed quia moribus seculi foret antiquatum, à
Christo nunc renovatum. Vel potius intellige novitatem, non in
præcepto, sed in diligendi modo, quia jubentur diligere exemplo
Christi, diligentis gratuito, ut observat Chrysostomus: imo plus
diligentis, quam se ipsum, ut additus Cyrillus: denique diligentis spi-
ritualiter, & ob vitam æternam; ut monitum Cajetano. Ac valde
hoc præceptum commendat, quod pollicetur Christus, si sic se mu-

20. §. Tertium est, quod prædictitur, Christum à Petro ab-
negandum.

Occasio hujus sermonis est istiusmodi. Dixerat Christus, se abi-
tum parare. Petrus, cum non asséqueretur, cuiusmodi abitus in-
telligeretur, rogabat, quo iturus: quasi diceret, sequi se paratum
quovis gentium. Sed Christus negabat, sequi eum, vel Apostolos,
tum temporis posse: postmodo tamen secuturum ipsum: quando
nempe & ipse moriturus foret pro Christo. Hic Petrus dicere, se
vel animam esse pro Christo ponere paratum. Dispicuit Christo
tanta de se præsumtio. Ergo significavit, eam esse à Satana, à quo
sic tentatione agitaretur, quo fidem labefaceret: cæterum se orasse
Patrem, ne illa deficeret. Quod quia jam consecutus foret, prox-
imum esse, ut Petrus, oratione Christi jam firmior, firmaret & ipse
fratres infirmos. Et ut magis humanam viderent infirmitatem, ad-
junxit, eapsc nocte scandalō se fore suis; ut à quibus, nec discipuli,
nec amici officio fungentibus, eo quod parum digne de domino suo
sint sensuri, turpiter sit deserendus. Atque ita locum tum quoque
esse habiturum, quod in re alia scriptum à Zacharia fuit, *Dum ipse
pastor percutitur, oves disperguntur*. Hoc Apostolis erat lapides lo-
qui. Ut igitur emolliat hunc sermonem, subjicit, solatii ergo, se
eos præcessurum in Galilæam. Hic Petrus, cum pristinam retine-
ret fiduciam sui, dicere, ut vel omnibus scandalō foret Christus,
saltem de se aliter futurum: ut qui & pro Christo, & cum eo, mori
paratus foret. Iactanti talia prædicit Christus, ter se ab eo abnega-
tum iri ante galli cantum. Nec Apostolos, melioribus hactenus,
dum Christum secum haberent, adsuetos, satis intelligere, qualis
deinceps rerum status immineret. De priori igitur tempore quæ-
rere, an hactenus iis, vel pecunia in loculis, vel cibus in pera, vel
pedibus calceamenta, simileve in aliis ejusce generis, desuisset. Ne-
gare illi. Hinc de secuturo tempore Christus subjecit, tam acerbum
illud fore, ut vel divendita exteriori ueste sollicitos esse conveniat
de gladio emendo ad defensionem sui. Hoc figurate dictum fuit à
Christo, quo significaret misera tempora, se tam dura diraque dein-
ceps perpessuro; quando & impiis esset annumerandus, uti prædi-
ctum erat à Prophetis. Apostoli parum intelligentes istorum, quia
de

de gladio emendo audierant, duos Christo gladios offerunt. Indoluit Dominus ob inscitiam eorum. Sed cum videret, eos nondum esse capaces illorum, quæ diceret, contentus fuit, illud quasi *εἰρωνικῶς* proferre, sufficere istæc. Videlicet sciebat fore, ut abunde verborum suorum mentem postea edocerentur, postquam esset passus, mortuus, sepultus, & a mortuis resurrexisset: præsertim ubi post adscensum in cælos iis misisset spiritum sanctum.

CAP. XVI.

De longo sermone, quem ab institutione Cœnæ habuit Christus cum discipulis, dum mensæ accumberetur; ut refertur Ioan. cap. xiv. Deque hymno, quem cum Apostolis dixit, priusquam egredetur.

I. S. *S*equitur longus ille Christi sermo, quem ab institutione Cœnæ Eucharisticae habuit ad discipulos. Est vero is bipartitus. Ex parte enim habitus est à Christo accumbente mensæ ad discipulos itidem accumbentes: ex parte vero postquam pariter à mensa surrexisserunt: sive id in eodem cænaculo, sive in via factum sit. Prior illa pars tota in eo est, ut discipulorum animi fermentur, ac firmentur, adversus futuram temptationem. Ea continetur Ioannis cap. x-iv. Partem alteram habemus capitibus duobus seqq. Ac initio quidem capit. xiv. petit Christus, ut ne perturben- tur animo, sed uti in Deo patre credunt, ita & in se fi- duciam collocent.

Verba sunt, vers. 1: Μὴ ταραχόσθω ὑμῶν ἡ παρδία. Ne turbitor cor vestrum. Némpe propter ea quæ dixi de scandalo futuro, & abnegatione mei: tum etiam quæ præmonui de magnitudine afflictionis fecuturæ, propter quam & gladio opus foret. Subditur: Πιστέετε εἰς τὸν Θεόν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστέετε, Vbi post Θεόν nota interrogandi collocanda: ut Latine sit, Creditis in Deum? etiam in me credite. Vel si id dis- plicit, initio intelligatur καθὼς sicut: ut Ioa. v, 17, & hoc xiv, 19. Vide-

Videlicet ad exsuperandum tantam animi perturbationem. Nam, ut est i Ioann. v: *Hæc est victoria qua vincit mundum, fides nostræ.*

2. §. Postea, ut perturbari desinant, toto capite consolatur discipulos: idque à septem bonorum generibus.

Sane consolatio, ut eam Cæsar Scaliger in libris de Re Poëtica non incommodo definit, est oratio reducens incoerentis animum ad tranquillitatem. Sed plenior erit definitio, si etiam causam tranquillitatis adferamus. Ea est, quod in consolatione malo opponitur bonum, cuius consideratione malum patienter feramus. Quamquam vero tot solatia, quæ Christus adserit, non ita multum profuere discipulis ante resurrectionem Christi: (nam, capto Christo, omnes se in fugam dederunt) post resurrectionem tamen plurimum profuere eorum augendæ spei, & caritati.

3. §. Primum bonum, quo suos solatur, statuitur in multis habitaculis.

Vers. 11: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: μοναχοῦ, multa habitacula. Pro quo, versu hoc ipso, mox dicitur τίττη, habitationis loca. Quæ multa dicuntur, & quidem, ut veteres explicant, honoris gradibus distincta. Tertullianus Scorpiaco; Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? quomodo & stella à stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum?*

4. §. Ne vero videatur eos inani spe lactare, addit, aliter si foret, nec hoc eos fuisse celatum.

Græce, εἰ δὲ μὴ, εἴπερ ἀνάγκη. Nisi id esset, dixisse vobis.

5. §. Addit, se vadere ad hæc loca iis paranda.

Nempe à Patre quidem erant parata loca prædestinatione, quæ fuit ante jacta mundi fundamenta. At deinceps erant Christo paranda per mortem, & ad scensionem suam: quibus iter erat aperitus alioquin invium: ut sequentia ostendunt. Quamquam nihil hic opus videtur, recurrere ad Prædestinationem. Nam simpliciter dicere licet, prius solum sermonem fuisse de habitaculis sive locis; hic vero agi de iis cuique præparandis. Ut similitudo sumatur à consuetudine vulgari, qua ex comitatu quispiam solet præmitti, ne deum, ubi advenerint, dispici sit opus, quem in locum se quisque sit recepturus.

6. §. Subjicit deinde , sc̄e , ubi ab iis recesserit , velle ad eos reverti , ut ipse eos assumat , quo fuerat praegressus.

Vers. i i i : Et si abiero (ἐὰν πορθῶ , postquam abiero) ad parandum vobis locum , iterum veniam (πάλιν ἐχρόμαι , pro ἐλθούμαι) & assumam vos ad me ipsum , ut ubi sum ego , (h. e. ubi ero) & vos sitis. Nempe gloriæ , ac felicitatis meæ consortes.

7. §. Hinc concludit , ex iis , que dixerat , scire jam discipulos , & quo iret , & qua iret. Dixerat enim , se vadere ad domum Patris. Dixerat quoque , se non alius visum ire: qua ratione moriturum se significabat.

Vers. iv : Et quo ego vado , scitis , & viam scitis.

8. §. Ea occasione Thomas p̄c ceteris , sive quod ingenio fōret tardiori , sive dolore aciem mentis p̄finguente , omnium nomine significavit , neutrum se nosse ; nec enim scire se , quo eat , & qui nesciat terminum , multo minus scire viam , qua eundum.

Vers. v : Dicit ei Thomas : Domine , nescimus quo vadās ; & quomodo possimus viam scire ? Dixerat Christus , scire discipulos , quia non tam obscura erant verba Christi , ut nulli , saltem obscurius aliquanto , ea intelligerent. Thomas contra ait , nec discipulos scire , quia ex se alios metiebatur: quasi omnes tam tardi essent in rebus fidei , ac ipse.

9. §. Christus igitur respondet vers. vi i , Ego sum via , veritas & vita. Hoc est , viæ exemplum , veritatis doct̄or , viæ dator.

Exspectabat Thomas , ut aperiret Christus , qua via esset per venturus ad Patrem. Christus vero pro summo erga discipulos suos amore , satius judicavit aperire eis hoc tempore , quo pacto ipsi essent per venturi ad Patrem , h. e. quomodo essent consecuturi æternam vitam , qua non fruimur , nisi apud Patrem. Hoc eos docet , significando , se esse illam viam. Quasi dicat , ad Patrem venietis , si insistatis viæ , ad quam p̄aivi vobis. Hac enim datur adscensus in cælos. Nec se modo viam ait , sed etiam veritatem : h. e. doctorem veritatis. Nam Euangelium est sermo veritatis; ut est Ephes. i. xiii.

Atque hoc additum à Christo , ut ostenderet, sibi habendam fidem. Denique se ait vitam , h. e. eum , qui jus habeat dandæ vitæ æternæ: solis vero eam largitur , qui sequuntur se , h. e. exemplum imitan- tur. Vnde Ioan. viii: *Qui sequitur me , non ambulet in tenebris, sed ha- bebit lumen vita.*

10. §. Nec Christus solum est via , veritas , vita : sed & solum est illa. Vnde continuo subdit , Nemo venit ad Pa- trem , nisi per me.

Quasi dicat , non est via præter me : solus etiam sermo meus est omnis mendacii expers , solus quoque vitam largior æternam , quæ est apud Patrem. In Christo igitur , ut via unica, ambulandum per caritatem : ei soli , ut veritati , credendum per fidem : in eo solo , ut vitæ datore unico , confidendum per spem. Vnde dicitur Leoni Papæ serm. x i de Resurrect. Via sanctæ conversationis , veritas doctrine divinæ , vita beatitudinis sempiterna. Est & B. Bernardi serm. ii. de Ascensione Domini: Sequamur Domine te , per te ; quia tu es via , veri- tas , & vita : Via in exemplo , veritas in promissis , vita in premio.

11. §. Hinc rationem adfert , cur Patrem non norint. Esse enim hoc inde , quod neque Christum recte norint. h. e. ejus sapientiam , ac bonitatem.

Vers. vii: *Si cognovissetis me , & Patrem meum utique cognovissetis.*

12. §. Nec tamen omnem iis notitiam Patris adimit. Nam cognoscere eum , ac vidisse ait : nempe in effigie ejus Filio. Sed nesciebant , eum esse characterem Patris. Viderant igitur , & non viderant : cognorant , & non cognorant. Iam viderant vitam Patris imaginem , inque ea viderant & Patrem. Sed non recte viderant , vel cognorant , quia nesciebant , eum quem viderent , & cognoscerent , characterem esse vitamque imaginem Patris sui: eoque & Patrem in Filio cognosci.

Hæc mens verborum , quæ subjungit: Et nunc cognoscitis eum , & vidistis eum.

13. §. *Philippos , quia non caperet , quod Christus dixisset , Deum*

Deum esse ab iis visum : optat sibi Deum ostendi , non quasi nesciret Deum esse spiritum , eoque αὐτὸν , sed cum Christus ipse visum diceret , & sciret Deum variis modis apparuisse in Veteri Testamento , rogat , ut aliquo corum modorum sibi confpicere cum detur .

Vers. viii : Dicit ei Philippus : Ostende nobis Patrem , & sufficit nobis .

14. § . Christus propterea quodammodo cum eo expostulat : quod cum tam diu adeo illi fuerit familiaris , necdum tamen ab eo cognoscatur .

Vers. ix : Dicit ei Iesus : Tanto tempore vobiscum sum , & non cognovisti me ?

15. § . Tum explicat , quomodo videri Pater possit . Nempe in Filio , tanquam viva imagine .

Verba Christi : Qui videt me , videt Patrem . Quæcum dixisset , subdit , liquere exinde , quam absurdum sit hoc postulatum Philippi : Ostende nobis Patrem .

16. § . Hinc , quod dixerat , si videatur ipse , etiam Patrem videri , eo illustrat , quod & ipse sit in Patre , & Pater item in se .

Vers. x : Non credis , quod ego in Patre sum , & Pater in me ?

17. § . Quia vero hic sermo durus videatur , (sane ob verba hujuscemodi Iudei voluerunt lapidare Christum , ut est Ioan. x. 38. 39.) eo addit , se non dicere ista ex se , sed è Patris mandato .

Vers. x : Verba , quæ ego loquor vobis , à me ipso non loquor . Si ex fese loqueretur , videri possit ea dicere suæ gloriae studio : cum contra agat omnia ad honorem Patris . Vide Ioan. cap. VII. 17. 18. Dixeris , & Deum esse locutum per Prophetas . Locutus sane , sed ut dominus per servos : in Filio autem locutus , ut Pater .

18. § . Postea arctissimam sui , & Patris conjunctionem qua ipse in Patre , Pater item in se , foret , comprobat ex operibus mirandis , quæ non nisi à solo Deo possint proficiunt .

Vers. x, & xi: Pater autem in me manens, ipse facit opera. Credite autem, quod ego in Patrem sum, & Pater in me: alioqui propter ipsa facta credite. Vbi cum dicit, Patrem in se manere, puto ωψεῑ poni pro inesse, ut sumitur à Ioanne cap. v. 38, & alibi. Hinc ad opera sua provocat. Nimirum hoc vult, ex eo liquere, Patrem in se esse, quod cæcis det visum, omnis generis morbos solo sanet verbo, in diabolos habeat imperium, cogitationes etiam hominum videat. quæ opera Patris sui vocat Ioan. x. 37. Si, inquit, non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si vero facio, & si mibi non creditis, operibus credite: ut cognoscatis & credatis, quod Pater in me est, & ego in eo. Quasi dicat, Si mihi non creditis, nihil non divinum, neque id ex me, sed ex Patre, dicenti, saltem propter opera tam miranda, & omnem naturæ vim exsuperantia, credite, Patrem in me esse, pérquæ me, ut vos credatis mihi, operari, quæ fieri non possint, nisi à Deo. Unde colligitur, cum audimus, Patrem esse in Christo, eo significari, Patrem illi inesse per virtutem tam miranda operantem. Quodque & Christum in Patre esse audimus, id capere sic possumus, ut inesse dicatur, per obedientiam omnibus numeris absolutam. Nempe manet Christus in Patre, manendo in omnibus ejus mandatis. Porro hujus arctissimæ conjunctionis fundamentum fuit, quod Christus esset ejusdem naturæ, ac Pater: nempe quatenus Λόγος foret: quo intuitu ὑπόστος, καὶ οὐκανδίς Patri dicendus.

19. §. Hac tenus de solatio primo. Sequitur alterum, à miraculis, quæ facient, petitum. Dixerat antea de mirandis operibus suis. Ea occasione dicit; & ipsos paria facturos, atque etiam majora. Neque hæc discipulis modo, sed omnibus creditibus promitti.

Vers. xi: Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora his faciet. Sanc & Apostoli morbos sanare, & ejecere dæmonas, & mortuos suscitarunt. Majora vero facturos ait, quia cum Christus præsens paucos solum converterit Iudæos, absens per Apostolos convertit totum terrarum orbem. Sic hunc locum cepere etiam Chrysostomus, & Augustinus. Dixeris, miraculorum donum hic promitti, non Apostolis solum, sed simpliciter in se credituris. At innumeros esse ac fuisse fideles, qui nulla operati sint miracula. Ad hoc malo respondere verbis Cornelii

Iansenii, Episcopi Gandavensis, Comment. in Concordia Euan-gelicæ cap. cxxxiv: *Idem est de hoc loco, quod de simili loco apud Marcum, ubi post resurrectionem predicit, qualia credentes signa sint operaturi. Signa, inquit, eos, qui crediderint, hec sequentur &c. Sicut enim illa promissio ad literam intellecta (sicut proprie debet intelligi) pertinet potissimum ad credentes seculo Apostolorum; in quo signis & prodigiis gloria Christi debuit illustrari: ita & haec promissio. Deinde non voluit Dominus aut hoc, aut illo loco significare, fideles vel illius seculi, vel cuiuslibet alterius, semper, & temere, ea signa & miracula operaturos; sed cum ea peterent, & recte peterent; quæ recte non petuntur, nisi cum pro Dei gloria illustranda illa fuerint necessaria. Itaque sicut etiam in primitiva Ecclesia non singuli Christiani miracula opera-bantur; quod non per singulos, sed precipuos quosdam Dei gloria eo modo illu-stranda erat; quodque non semper occurreret occasio illustrande illo modo glo-riae Dei: ita non est mirum, si nunc vel nulli, vel pauci ea operentur miracula, cum Euangelica doctrina jam satis in orbe toto sit confirmata: quæ tamen miracula & hodie fierent à fidelibus, si cum firma fiducia peterent ea à Deo, quod viderent illa illustranda gloria Dei necessaria. Quod ergo non siant, aut est propter fidei imperfectionem, aut propter necessitatis cessationem. Sed hac de re etiam dicimus in octava Resurrectionis apparitione.*

20. §. *Hinc versu xii, & xiii, promissionis sue de mira-culis rationes hæc subdit: Quia ego ad patrem vado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc fa-ciam, ut glorificetur pater in filio. Siquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.*

Significat, se hactenus in humili statu fuisse in carne mortali; cui non convenit tanta gloria per miracula. At postquam federit ad dextram Dei, magis se gloriam per eos declaraturum. Vos solum potestatem miraculosam petite à Deo; quia non poteritis miracula patrare virtute propria; sed duntaxat divina. Petentes vero exaudiām; non gloriæ meæ studio; sed ut Patris gloria per orbem totum diffundatur. Atque hoc de exauditione, siquid in nomine suo peta-tur, repetit vers. xiv. *Quod factum, eorum ut spem sic magis firma-ret. Nam altius animis inhærent, quæ semel iterumque dicta.*

21. §. *Posit exinde vers. xv, ut si vere se diligent, demon-strarent hoc observatione mandatorum ejus.*

Quasi dicat, ne amore vestri erga me ostendite in corendo ob
discetum meum; sed ea faciendo, quæ præcepi.

22. §. Tertia hinc sequitur consolatio à promissione Spiritus
Paracleti: de quo sic Christus vers. xvi, & xvii: Et
ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vo-
bis, ut maneat vobis in æternum, spiritum ve-
ritatis, quem mundus non potest accipere, quia
non videt eum, nec scit eum. Vos autem cogno-
scetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

* Cap. 14.
v. 16.

Primum ait, se rogaturum Patrem. Καὶ * ἐγὼ ἐρωτῶ τὸν Πατέρα. Vbi ἐρωτῶ, more non Græco, sed Romano, sumitur pro orare: quia *rogare* Latinis non tantum interrogare, percūndari, significat, sed etiam *orare*, *precari*. Addit, quid oratus. Est id, ut mittat discipulis Spiritum τὸν Αἵγιαλόν. quæ vox tuum consolatorem signat, tum *advocatum*: uti τὸν Αἵγιαλόν & solari, & patrocinari. Vtrumque facit Spiritus S. Ideo Latini veteres sæpe retinent vocem Græcam. Hic loci tamen satius est *advocatum* interpretari: quo modo & i Ioan. ii. 1. Christus dicitur τὸν Αἵγιαλόν, h. e. *advocatus*, ut etiam vulgatus ibi reddit interpres. Similiter vero hic sumi, arguit, quod spiritus contrarius Apocalyp. xi. 10. vocetur κατηγόρος, accusator. Proxiimo versu spiritus ille τὸν Αἵγιαλόν etiam nuncupatur τὸν δύμα τὸν αἱρετα, spiritus veritatis: quia solus est sinceræ veritatis docto. Cui opponitur τὸν δύμα τὸν αἱρέτην spiritus erroris: ut i Tim. 1, & i Ioan. iv. 6. Præterea exponit, quo fine sit missurus, nempe ἵνα μὴ μεθύσῃ εἰς τὸν αἰώνα. ut æternum sit atque inhabitet in vobis. Denique rationem subdit, cur discipulis sit datus, non mundo. Negat, spiritum veritatis posse accipi à mundo, h. e. hominibus mundanis: quorum animus, quamdiu tales esse perseverant, rebus semper vanis & inanibus occupatur: ut proinde Spiritum eum non expetant, quia ignorant: at discipuli eum norunt, & expetunt; in quibus propterea spiritus & habitet, & porro sit habitaturus.

23. §. Quarto loco consolatur Apostolos reditu suo, quo ite-
rum visuri, eaque cognituri, quæ nunc non capiunt, ne-
que unquam capiet mundus. Verba sunt ista vers. xviii,
xix, & xx: Non relinquam vos orphanos; veniam

ad vos. Adhuc pusillum , & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me , quia ego vivo , & vos vivetis. In illo die vos cognoscetis , quia ego sum in Patre meo , & vos in me , & ego in vobis.

Quasi dicat , Vos , filioli mei , (sic enim alibi eos vocat Christus) pauxillo tempore , puta triduano duntaxat , orbat eritis paterna præsentia mei: exinde autem vobis restituar. Ac licet homines mundani me nec oculis conspicient corporis , quia non quibusvis me sis tam ; nec item oculis spiritualibus , quia fidem in me non habent: vos tamen utroque modo me intuebitur; corporis quidem oculis mox à resurrectione ; spiritualibus præcipue ab ascensione. Videbitis me , quia vivam , quippe resuscitatus à morte : videbitis ipsi , quia vivetis ipsi , & gaudebitis. Ac quoniam à resurrectione vobis interpretabor Scripturas , & ab ascensione mittam Spiritum veritatis , cognoscetis , tum & me vivere nunc in Patre , obsequendo ei in omnibus , & vos in me , per obedientiam & fidem , & me in vobis , per custodiam atque auxilium. Hæc germana videtur loci sententia : potiorque illa interpretatione B. Cyrilli , intelligentis adventum spiritualem in corda Apostolorum : velilla B. Augustini , capientis de adventu corporali , qui erit in resurrectione Spirituali : nec enim adversari censet vel illud de modico tempore , eo quod mille anni coram Deo sint velut dies unus. Dixeris , quo minus sic capiantur verba Christi , uti dicebamus , adversari illud , quod mundus in adventu secundo videbit Filium Dei in nubibus. Sane visurus quidem , sed non durante hoc mundi statu , qui tum desinet. Christi verba intelligenda de visione ante judicium extremum.

24. §. Quincta consolatio petitur à triplici promissione , quam facit , uti non omnibus , ita nec solis discipulis , verum universis sè diligentibus , hoc est , mandata sua non responentibus , sed servantibus. Prima promissio est dilectio Patris. Altera , dilectionis sua. Tertia , manifestatio sui.

Vers. xxii. Qui habet mandata mea , & servat ea , ille est , qui diligit me. Græce , ὁ ἔχων τὰς ἐντολὰς με , καὶ τηρῶν αὐτὰς , ἐνīνος ἐστιν ὁ ἀγαπῶν με. Vbi ἔχειν ἐντολὰς dicitur , qui fidem habet Christo mandata sua annuncianti , atque in intimum ea pectus adniitit. Sed quia non sufficit nosse , eo mox requiritur , ut etiam observet. Nam alioqui est
Deo

Deo exosus, qui scit voluntatem Dei, nec facit; qualis pluribus vapulabit plagis. Sequitur deinde, quæ bona maneant diligentem. *Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Dilexit nos Pater, priusquam diligeretur à nobis. Sed dilectionem nostram prosequitur dilectione, quæ priorem exsuperet. Atque idem de Christi dilectione dictum esto. Nam aliter nos dilexit, dum inimici essemus, aliter postquam fide cum recepiimus. Per manifestationem sui intelligit tum manifestationem corporalem; ut qui non Apostolis solum, sed etiam mulieribus, ac quingentis fratribus, se ostenderit: tum item spiritualem, quandoquidem in Pentecoste Spiritum S. Apostolis misit. Aliqui & illis, qui tum neccidum fuere, promissum hoc accommodant. Nimirum quia manifestat se nobis in hac vita, quando per Spiritum S. homini inspirat notitiam sui: ac porro manifestabit in vita altera, cum se de facie ad faciem conspiciendum præbabit. Verum prior illa manifestatio non videtur hic locum habere, quia loquitur Christus de iis, qui diligunt illum: hoc est, qui jam norunt Christum, & ejus mandatis obtemperant.

25. §. *Iudas, Iacobi frater, audiens, Christum dicere, se manifestatum iri discipulis, non mundo: querit, quomodo hoc cum eo conveniat, quod Messias à resurrectione restituet Israëlem, totoque orbe regnabit.*

Vers. xxii: *Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes, (sed Thaddæus:) Domine, quid factum est, (pro qui fit, more Hebræo) quod manifestatus es nobis te ipsum, & non mundo?* Nempe quæstio hæc provenit ab opinione falsa de regno Christi terreno. Nec enim sic rogasset, si cogitasset, regnum Christi non mundanum fore, sed spirituale.

26. §. *Christus respondet, eo se mundo non manifestare, quia non diligatur à mundo: atque in eo se exemplum Patris sequi. Sed si quis se diligat, quales soli sunt illi qui mandata ejus observant, & se, & Patrem, ad eum venturos, & velle apud eum divertere, imo habere domicilium: qui homines magni esse amoris argumentum solet.*

Vers. xxiii: *Respondit Iesus, & dixit ei; Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diligit eum: & ad eum veniemus, & mansio-*
nem

nem apud eum faciemus. Amoris erat, in visere; majoris, apud eum divertere; sed maximi, velle eum se locum inhabitare. Valde autem hoc pacto dilectionem sinceram urget: quam multi temere jactant, cum frigere illam liquido videamus ex mandatorum Dei neglegētu.

27. §. Atque hoc magis illustrat nāt' ἀνθρώποι, cum ait, nos diligiſe ab iis, qui non obſervant mandata ſua: quaſi di- cat, nihil mirandum eſſe, ſi non veniat ad tales. Præfer- tim, quando ſermo ſuus non ſit ſuus, ſed Patris. Ut neque Pater tales amare poſſit, quem imitari ſtudeat.

Vers. xxiv: Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat: & ſermo, quem auditis, non eſt meus, ſed ejus, qui misit me, Patris.

28. §. Sextum inde ſubdit ſolatiū de mittendo ſpiritu S. ut doceat eos cuncta, quæ nunc non intelligunt.

Vers. xxv, & xxvi: Hac locutus ſum vobis apud vos manens. Paracle- tūs autem, Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quecumque dixi vobis. Cogitare pote- rāt, iis, quæ Christus respondiſlet, non ſatis clare expediri quæſtionein, quam moViſſet Iudas, & quam alii etiam, faltem Philip- pus, & Thomas, ſibi cuperent exſolvi. Potuere etiam alia id genus ſcificari, ut omnis ſibi ſcrupulus eximeretur. Verum Christus, qui ſciret, quorum needum eſſent capaces, hoc pacto cogitationi iſti occurrit. Ait, multa ſe haec tenus cum iis locutum pro breviculo tempore, quo in mortali adhuc corpore ſit versatus: ſed à reſurre- Etione miſſurum iis Spiritum, qui prius dicta in memoriam ſit revo- caturus, & omnia eos edocaturus neceſſaria. Quod & iſpum potuit inceſtis magnum adferre ſolatiū.

29. §. Septima ſequitur conſolatio, à pace, quam haec tenus con- ceſſiſſet diſcipulis, ac deinceps eſſet relicturus.

Hunc enim in modum locutus eſt vers. xxvi: Pacem relinquo vo- bis, pacem meam do vobis. Nempe ex Hebræa valedicendi formula. Ut enim Latinis vale, ita Hebræi η̄εων dixerū: h. e. pacem, ſive fa- lutem. Nec temere ait pacem meam: quia ſolus veræ pacis & doctor, & largitor. Pax ea complectitur haec tria: pacem cum Deo, hoc eſt reconciliationem hominis cum eo: pacem ſecum, hoc eſt, tran- quillitatem animi, ſive compositionem affectuum hominem in di-

versa auferentium: pacem hominis cum proximo, sive mutuam hominum concordiam. Nam discordia nascitur ex affectuum dominio. Quod Iacobus ostendit cap. iv: *Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris?* Atque hanc pacem, epistolarum initio, precari Apostolus solet. Vt Philipp. iv: *Pax Dei qua exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Iesu.* Hinc exponit Christus, quo pacto suam pacem det discipulis, his verbis, *Non quomodo mundus dat, ego vobis. Supple, Pacem meam do.* Hoc enim proximie antecessit. Vt in consideratione veniat provocabulum **M E A M**, & particula **Q u o m o d o**. Mundus pacem exoptat, qua molliter & secure agant, ut nobilis, potentes, divites, ac fortunati solent. Sed Christus non modo optat, sed efficaciter largitur, neque illam mundanam, ac brevi duraturam tempore, sed suam, sive spiritualem, ac perpetuam; imperfectam quidem in hac vita; quia semper caro concupiscit adversus spiritum; sed perficiendam in caelis.

30. §. Post septem ista solatii argumenta concludit Christus, quod antea proposuerat, ac præcipuum etiam repetit argumentum.

Vtrumque facit versus xxvii extremis verbis. Prius quidem, cum ait, *Ne turbetur cor vestrum, puta miseratione mei: neque formidet,* videlicet, sollicitudine de vobis, quia nesciatis, quid de vobis sit futurum. Posterius vero facit his verbis, *Vado, & venio ad vos.* Hoc est, inox redibo. Vtrumque vero hoc, quod nempe & concludit, & potissimum reponit argumentum, à Rhetoribus etiam observari videoas. Quippe propositio, & conclusio, non nisi situ differant. Illa *τινίσιν*, sive Contentionem, antecedit: hæc subsequitur. Epilogus vero, sive conclusio, præter affectus quos ciet, præcipuum unum, plurave, sed potiora, repetit argumenta; quod *ἀναφελαιώσιν* vocant. Quemadmodum in Oratoriis Institutionibus diximus lib. IIII. cap. VI.

31. §. Ut magis vero dolorem abstergeat discipulis, addit, si ab iis diligenter, quantum ac quomodo oporteret, profecto non tam ob abitum hunc mastos fore, quam gavisuros. Quod eo probat, quia Pater, ad quem se abire dixerat, sit major se: ut omnino, se ad Patrem evecto, plus tutela

tutelle ac præsidii sint habituri, quam in sola sui corporis præsentia.

Versu eodem xxviii : *Si diligenteris me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.*

Non major tantum ratione naturæ humanæ, quod satis per se est apertum : sed etiam quatenus Pater est Deitatis fons, ac principium, quo pacto hanc excellentiam intelligunt Gregorius Nazianzenus lib. 111. de Theologia, & Hilarius lib. ix. de Trinitate. Eo autem minus dolendum ob abitum Christi fuit, quia vadebat ad Patrem, ut ab eo glorificaretur, unde Ecclesiæ pendebat glorificatio. Ut sic plus boni à Patre sit redditum, quam à corporali sua præsentia.

32. §. *Hæc cuncta ait Christus à se dicta esse, quo facilius credantur, ubi fuerint impleta. Ac deinde subiungit, vel le nunc se in ea temporis angustia finem facere sermonis, quia appropinquet princeps mundi, siue diabolus, qui per satellites suos, puta proceres Iudeos, & ministrum Iudam, se studeat apprehendere. Nec tamen quicquam diabolo in se juris esse, quia omnis peccati sit expers : sed hæc sibi perferenda esse, quo obediat voluntati Patris in peccato mundi expiendo.*

Vers. xxix, xxx, xxxi: *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobis. Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quod diligo Patrem, & sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio.*

O ḡιστος τετρα ἀρχων, princeps hujus mundi, quem κατηγόρον sive accusatorem vocari in Apocalypsi dicebamus, nihil habuit in Christo, h.e. adversus Christum, quia cum peccati fuerit exsors, non potuit euin κατηγορῆσαι, sive accusare, ac culpare, prout diabolus credentes solet. Itaque cum idem dicatur habere imperium mortis, liquet, Christum non esse mortuum ob culpam ullam, sed sponte perinisisse se capi, damnari, & morte ignominiosa occidi.

33. §. *Quibus dictis, petiit à discipulis ut qui hactenus accubuerint mensæ, de ea consurgerent.*

Verba sunt Christi: Εγείρεσθε. Surgite, Imo & addidit, αγωνίζομαι, εανυστές, eamus hinc de quo mox. Atque hæc de Ioannis cap. x. iv.

34. §. Postremo Christus, nempe priusquam domo exiret, hymnum cum discipulis cecinit: de quo Matth. xxvi. 30.
Καὶ ὑμεῖς οὐκέτε ξέχαστον εἰς τὸ ἡρό.

Is mos Iudæis, ut & cibum sumturi, & eo sumto, precarentur Deum. Quod ex lege Mosaica fecisse, è Philone constat. Paulus Brugensis est auctor, solere Iudæos tum recitare vii psalmos pœnitentiales, h. e. à psal. cxii. usque ad cxviii. Pulcrum sane quod ne gentiles quidem à cibo sumto precari neglexerint. Naucratitæ enim solent eo tempore ἐπανιστᾶσθαι εἰς γέραντα, sacerdote precibus præeunte, teste Athenæo. Et Diogenis Pythagorici, Stobæo auctore, præceptum erat, ut tum animo composito invocarentur Ἰησοῦς τὸν εὔστοι.

C A P. X V I I.

De alterius longi sermonis Christi, seu in cœnaculo inter stantes, seu in via inter eundum habitu, parte priori, quæ refertur Ioannis cap. xv.

1. §. **S**equitur hinc sermo Christi alias; quem Cygneam Christi cantionem dixeris. Sed de eo non satis apertum videtur, utrum habitus sit in cœnaculo inter stantes: an in via. Quibus placet prius, arbitrantur surrexisse quidem omnes de mensa: sed non continuo exiisse: verum prius hanc habuisse orationem.

Nempe ut saepe, inter amicos, à mensa etiam sermo continuari solet, quia ægre alter ab altero divellatur.

2. §. Videtur tamen non minus probabile, in via habitum; cum Christus, ut clare Ioannes ait, non solum de mensa surgi, sed etiam exiri jusserrit; nec quicquam dicatur, unde suspicio possit concipi, et si surgendum, ex eundemque dixisset, ipsum tamen novo sermone moram huic dicto injicere voluisse.

Qui-

Quibus mens alia est , hi negant , tam longum sermonem viæ convenisse. Nam , inquiunt , non potuisset Christus inter eundum à discipulis omnibus exaudiri. Non diffiteor. Sed sufficit , si dicamus , exaudire potuisse eos , qui cum Christo ordine præcederent : uti Petrum , Iacobum , Ioannein ; quorum tertius hæc , uti audierat , exaravit.

3. §. Is sermo continetur cap. xv , & xvi . Priori capite tria facit. Primum comparationem instituit inter Patrem , & vinitorem ; se , & vitem ; discipulos , & palmites. Deinde adhortatur ad observationem mandatorum , ac præcipue dilectionis mutua. Denique consolatur suos adversus odium mundi.

Prima continetur sex versibus primis : altera undecim proximiis : tertia decem postremis.

4. §. Prima occasio esse potuit , quod in Cœna institutione dixerit Christus , vinum esse sui sanguinem . Nam à vino ad palmites vitemque , & ipsum vinitorem , commode potuit adscendi. Ac patrem quidem comparat agricola , sive vinitori ; se viti.

Idque vers. 1 : Ego sum vitis vera , & Pater meus agricola . Quasi dicat. Non sum fera vitis ; sed neque illa vulgaris : verum ἀληθινή illa. Quippe longe melius nomen vitis mercor , quia excellentius in me conspicitur , quicquid in vite laudatur. Cum vero Patrem dicit γένερον , agricolam , intelligendus is , qui proprie est αὐτελεξεός , vinitor.

5. §. Discipulos vero comparat palmitibus . Palmitum autem duo facit genera. Quosdam ait non ferre fructum , quosdam ferre. Priores tolli , sive ferro amputari : ut cunque videlicet frondibus luxurient. Postiores vero purgari , b. e. luxuriem iis frondium imminui , quo uberioris ferant fructum.

Vers. 11 : Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit : & omnem , qui fert fructum , purgat ; ut fructum copiosorem adserat. Vbi αἴρειν , sive tollere , valet , ferro recidere , atque amputare , ac pro sarcinamento habere. Καθαΐρειν , sive purgare , est vineam pampinare , quod

Græcidicunt βλαστολογεῖν. Itaque significat eos, qui non obediunt Christo, haut meliori loco censeri, quam sarmenta inutilia. Siquis vero mandata ejus servet, non recidi, atque abjici à Christo, sed solum purgari, quo magis & magis fructus proferat. Purgatio vero hæc per afflictiones fit: ut quando valetudo, opes, honores, potentia, quæ pro frondibus solum habenda, imminuuntur nobis, ne animus iis nimis immergatur, sed solutior his curis, de divinis, atque animæ salute, solicitus labore.

6. §. Hæc, generatim ita dicta, accommodat deinde discipulis: quos ait jam esse purgatos, propterea quod fidem haberent Euangelio.

Vers. 111: *Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Mundi nimirum corpore, non tamen pedibus, quorum lotione omni vita indigerent: juxta illud Christi apud Ioann. cap. xiiii. 10: *Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lavet; sed est mundus totus.* Nempe quotquot Christum vere recepimus, mundi sunus; ulterius tamen purgandi; non quidem baptisinate, sed interiori pedum lotione.

7. §. Ex eo, quod se vitem esse dixerat, ac discipulos compararat palmitibus; colligit, iis curandum esse, ut sint in Christo, & Christus in illis: quæ duo non divelluntur. Eo autem id curandum, quia ut palmes à se ipso non profert fructum; sed tum demum, si ex vite succum hauriat vitalem: ita nec ipsi quicquam boni possint, nisi sibi sint insiti. Fore alioqui, ut habeantur pro palmitibus infecundis, ac à vite recisis: quæ ubi exaruerint, igni cremari solent.

Vers. iv, v. vi. *Manete in me, & ego in vobis.* Sicut palmes non potest ferre fructum à semet ipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vospalmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Siquis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligunt eos, & in ignem conjiciunt, & ardent. Ex iis vero, quæ antea diximus, cognoscere fuit, Christum esse in nobis per Spiritus S. influxum, atque auxilium: nos esse in Christo per fidem, & obediendi atque imitandi proposatum. Atque

Atque hæc de parte capitinis prima, qua Pater, Christus, discipuli cum vinitore, vite, & palmitibus comparantur: idque ut inde intelligeretur, quam necessarium sit, ut Christus inhabitet in nobis per Spiritus sui influxum, ac nos ei fide viva, sancto que vitæ proposito inhærentes fructus dignos proferamus. Quomodo item, qui Christum repudiant, quia extra Christum non est vita, tandem puniendi sint morte æterna.

8. §. Altera capitinis pars est adhortatio ad observationem mandatorum Dei, ac potissimum dilectionis mutuae. Primum argumentum petitur à promissione exauditionis.

Vers. vii: *Si manseritis in me, & verba mea manserint in vobis: quodcumque volueritis, petetis, & fieri vobis.* Primum videndum, quibus, sive qua conditione fiat promissio. Deinde quid promittatur, sive quomodo promissio fit intelligenda. In iis, quibus promissio fit, exigitur, ut maneat in Christo, nempe fide, & obediendi proposito: item ut verba sive doctrina Christi maneat in ipsis; puta non solum quod ad notitiam, sed etiam secundum affectum, quem subjiciant Dei mandatis. Promittitur autem impetratio omnium, quæ petierint: puta quæ petierint ad Dei gloriam.

9. §. Deinde altera, imo gemina adfertur caussa; cur debeant observare verba, sive mandata Christi. Videlicet quia inde gloria Dei augebitur, & cunctis apparebit, eos esse genuinos Christi discipulos.

Verba Christi sunt vers. viii: *In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum multum feratis, & efficiamini discipuli mei.* Græce est ἐν τέτω ἑδοξαση, in hoc inclariuit, pro inclarescit. Sæpe aoristus pro futuro, aut præsenti. De quo diximus in Grammaticis Institutionibus. Vnde videtur hic non tam finem signare, qui per vt exprimitur: quam conditionem, quæ effertur per si. Sententia est, Si homines videant, vos non solum nomine, ac professione, sed opere etiam, esse discipulos Christi.

10. §. Tertium argumentum, quo hortetur Christus ad mutuam dilectionem, desumit à sua dilectionis exemplo.

Vers. ix, & x: *Sicut dilexit me Pater, ita & ego dilexi vos: manete in dilectione mea.* Sic verit Erasmus. Sed illud, ita, potius ante manete
repo-

reponendum, hoc p[ro]acto: *Sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos: ita & vos manete in dilectione mea: h. e. mei.* Geminum igitur, & Patris, & Filii, exemplum proponitur ad imitandum. Atque ita & illustrissimus Grotius accepit. Sequitur deinde: *Si præcepta mea servaveritis: manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Sententia est: *Vidistis, qualis fuerit Patris erga me dilectio, atque ut ego vicissim ostenderim dilectionem meam mandata ejus observando.* Vidistis etiam, quanta fuerit in me dilectio vestri. Vos itidem persistite in dilectione mei, & præstate, quæ præcepi. Priora verba similia sunt istis *Ioan. xiv. 31: Ut norit mundus, à me diligi Patrem; prout Pater mibi mandavit, ita facio.*

11. §. *Quartum argumentum, cur discipulos adhortetur ad dilectionem mutuam, petitur à fine eo, quod, quo gaudio Christus gauderet in dilectione Patris, eodem discipuli gavisuri sint. Atque hoc ex parte completum fuit à resurrectione Christi, & ascensione ejus: perfectissime vero implebitur à resurrectione universalis.*

Christi verba sunt hæc vers. xi: *Hec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.* Græce est, ἵνα χαεῖ η ἐμὴν ἐν ὑμῖν μείνῃ. *Gaudium meum, pro, gaudium propter me.* Καὶ ἵνα χαεῖ η ὑμῶν τἀντωθῆ. Quo significat, verba hæc sua istoc tempore quidem non ita gignere solatium: sed magno gaudio fore ubi Christum viderint à resurrectione: majori, ubi confixerint cælos pe-tentem: maximo, cum secum in cælestia eos transferet gaudia.

12. §. *Quia vero hoc gaudium mentis spirituale nascitur ex observatione mandatorum Christi, subicit mandatum suum consistere in eo, ut se mutuo diligant; ac ut eos magis ad dilectionem hanc accendat, provocat eos exemplo suo, etiam vitam impensuri pro amicis. quo in hominibus nullus est luculentior caritatis gradus.*

Audiamus magistrum vers. xii, & xiii: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: Majorem hac dilectionem nemo habet (quam) ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

13. §. *Ac quoniam proxime discipulos suos vocarat amicos: addit*

addit, tum vere eos fore amicos, si servent mandata, manendo in dilectione ejus. Addit quoque, licet revera servi forent, (unde superius illud, non esse servum majorem dominum) non tamen se eos servos vocitare, quia non habeat eos ut servos, sed ut amicos. Nam cum servi veri non soleant esse gnari, quid oculii agitat consilii dominus; sed contenti sunt exsequi ea, quae is juss erit; contra se omnem iis exposuisse voluntatem Patris celestis.

Ponam de eo ipsius Christi verba, vers. xiv, & xv: *Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego præcipio vobis. Iam non dico vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, qui omnia, que cuncte audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

14. §. *Atque ut magis liqueat de caritatis hujus dignatione; addit, non se ab iis electum, sed eos à se electos; idque dupli fine; uno, ut fructum possent proferre, ad utilitatem sui, & gloriam Dei; altero, ut quacunque salutaria sibi poscerent à Deo, ea impetrarent. Hinc universe concludit præcepto brevissimo, ac suavissimo, ut se invicem diligerent.*

Vers. xvi, & xvii: *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat, ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hec mando vobis, ut diligatis invicem. Commode vero capiendum, quod hic audimas dicentem: Omnia, quae audivi à Patre meo, nota feci vobis. Intelligendum enim de iis solum, quae in carne mortali iussus esset eos edocere. Qualia sunt illa, quod resurrecturus à mortuis, adscensurus in cælos, missurus Spiritum S. Adhæc de gentium vocatione, judicio universali, & vita æterna. Alioquin pugnet cum eo, quod dicet postea, Multa habeo vobis dicere; sed nunc non potestis portare. Qualia fuere, inter alia, de regno suo spirituali, & de cessatione legis Mosaicæ. Atque hancen-
nus de secunda parte hujus capit is: quae præcipit observationem mandatorum, ac potissimum dilectionis mutuæ.*

15. §. *Tertia capit is parte à dilectione mutua transit ad odium mundi: idque commode omnino, quia mutua dilectione odium mundi exsuperandum est; non vero ob odium mun-*

mundi ab amore Christi recedendum. Ac primum quidem consolationis argumentum petit ab exemplo suo. Quis vero fidelis nolit in omnibus fieri similis Christo?

Vers. xviii: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odit. Vbi Graece, πειρῶν υμῶν. Quod non solum interpretari possumus, priorem vobis; hoc est, ante vos: sed etiam primum vestri, hoc est, doctorem vestrum, ac dominum. Quam interpretationem amplexus est Cajetanus, ac fortasse etiam Cyrillus: & videri possint favere verba vers. xx; quae mox adferam. Simplicius tamen dixeris, πειρῶν sumi pro τεγέρησον, ut sententia sit, antequam vos: quomodo & Syrus interpres acceperit.*

16. §. *Alterum argumentum est à causa ejusce odii. Ea est, quod mundus non possit non odisse, quos Christus à mundo secrevisset.*

Verba Christi sunt vers. xix: *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Non videtur hic loqui de electione, qua Pater ab aeterno eos praedestinasset ad vitam aeternam: sed qua Christus in terris eos destinasset munici Apostolico, ac mundi conversioni. Quemadmodum neque 11 Maccab. 1. 25, cum Deus dicitur Patres elegisse, & sanctificasse, id ita accipi debet, quasi singulos destinasset ad salutem aeternam: multi enim fuere Abrahæ filii solum secundum carnem: sed significatur, Deum Israelitas è mundi colluvie selegitse, sibique consecrasse, ut populum peculiarem: quem propterea ingentibus beneficiis, praे reliquis gentibus, afficerit. Sententia igitur Christi videtur, etsi futuri sint mundo exosi, non propterea animum abjicere debere, sed cogitandum iis esse, hoc se odium sustinere quia Christus ad hoc eos secreverit è mundo, ut sui essent discipuli; quo honore iis sit gaudendum: tum etiam non posse aliter esse, quin eos oderit mundus, cum simile capiatur simili; Apostoli autem sint dissimiles mundanis. Atque hæc lucem capiunt ex iis, quæ de similitudine, nunc amorem, nunc odium parente, dicebamus in Oratoriis Institutionibus lib. 11. cap. iv. sect. iv.*

17. §. *Tertium argumentum sumitur à proverbiali γνώμῃ; non esse servum majorem domino.*

Ver-

Verba sunt vers. xx: Mementote sermonis mei, - quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. Si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt. Proverbiali huic sententiæ simile est istoc Matth. x, 24: Non est discipulus supra magistrum, nec servus supra dominum suum. Neque hic consistit intra odium, sed de persecutione addit, odii effectu. Nam quem quisque odit, periisse expetit. Qua de re dictum nobis in Oratoriis Institut. lib. II. cap. v. sect. i. Denique subjungit, non exspectandum iis esse, ut cum contemferint sermonem Christi, non etiam discipulorum sermonem aspernentur.

18. §. Quartum est argumentum ab odii, & persecutionis causa. Ea dicitur esse odium Christi.

Vers. XXII: Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Hoc est, odio mei, sive propter me, ἐνεγένετο μου, ut pro eo est Matth. v. II. Nomen alicujus, pro aliquo: ut nomen Romanum, Thebanum, agelli; pro Romani, Thebani, agellus; ut diximus in Oratoriis Institut. lib. IV. cap. VII. sect. XI. Ac alibi item adducimus hoc è Catonis distichis, inimici nomen amici, h. e. inimicus amicus, φίλος καὶ φίλος. Porro non putandum, leve adferre solatium, quod essent hæc perperfuri propter Christum. Nam quia scirent hoc scire Christum, eo scire etiam poterant, Christum iis fore auxilio, qui amore ejus hæc tolerarent: præfertim qui hoc esset pollicitus: uti & postea præstiterit: cuius rei illustre in Petro, carcere per Angelum educito, exemplum refertur Act. V.

19. §. Cur autem oderint Christum, ratio ad fertur, ignorantia ejus, qui miserat Christum.

Ibid. quia nesciunt eum, qui me misit. Quasi dicat, præ ambitione, & aliis carnis affectibus, ita sunt excæcati, ut non attendant ad Patrem, à quo missus sum in mundum.

20. §. Ac quam fædum ignorantia hæc peccatum sit, ostendite eo, quod Christus ad eos venerit, mandatum Patris ille enarravit, prophetarum testimoniis, ac miraculis firmavit. Absque iis foret, negat, pro peccato fuisse habendum, quod nescirent, à quo missus foret.

Vers. XXIII: Si non venissim, & locutus fuisse eis, peccatum non haberent:

brent: nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo. Non negat, si non essent veritatem à Christo ipso edocti, nihilominus peccatum habituros: sed negat, hoc peccatis tum fuisse accensendum, quod non crederent Patri, ac Christo. Nunc contra turpi adeo inscitiam παράτασιν vel colorem nullum posse invenire.

21. §. *Quinctum est ab odii hujus fæditate: quod bifariam comprobat. Prius ex eo, quod non Christum modo oderint: sed pariter Patrem, qui eum misit. Alterum eo, quod miraculis tam illustribus aliud potuerint edoceri.*

Audiamus Scripturæ verba vers. xxi i i, & xxiv: *Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non fecissen in eis, que nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderant me, & patrem meum. Nimirum cum viderint, & audierint Christum; proprie sunt & odisſe dicendi. Sed proprie non oderant Patrem: verum improprie, quatenus ille in suam tendere contumeliam judicaret, quicquid contumelia fieret Filio, etiam à se ignorantibus, dummodo & enarrando doctrinam, & firmando eam miraculis, veritatem aperte essent edocti, quam per malitiam rejecissent. Similia habemus, cum alibi, tum Matth. x x v: ubi Rex dicitur benedictis dicturus, se ab iis pastum, visitatum, vestitum: eos vero responsuros, nihil horum à se factum: sed Regem sic verba sua interpretaturum, se sibi facta censere, quæ minimis fratrum fecissent. Adi & 1 Sam. x. 19.*

22. §. *Addit deinde sermoni suo pondus ex eo, quod jam olim typum hujusc rei cernere fuerit in Davide.*

Vers. xxv: *Sed, ut compleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est, Odio habuerunt me gratis. Verba sunt è Psalim. xxxiv, sive xxxv. 19. Post S E D κατ' ἔλευθερον desideratur, hæc acciderunt. Particula v t hic, ut passim alibi, non finem significat; sed eventum. Cum dicitur I M P L E T V M in Christo, non signatur propheta aliqua: sed id quod τύπως præcesserat in Davide, id ἀνελέως, sive eminentiori sensu evenisse in Christo. Atque ita capiendum sapius, quando, quod antea adumbratum, εν τῷ ηρώωμα: factum ab Euangelistis narratur. Quod non attenderunt veteres Iudei, & horum exemplo Celsus, Julianus, Porphyrius, cum veritatem Scripturæ oppugnarent. Per L E G E M*

non intelligitur Lex Mosaica; sed universa Sacra Scriptura; qualis tum exstaret: uti etiam sumitur Ioan. x. 34. & 1 Corinth. xiv. 21. ubi ex Lege citatur, quod legitur apud Propheten Iesaiam. Similiter enim, quod hic memoratur, est ex Psalmo xxxiv. sive xxxv. 19. **G R A T I S** ponitur, pro immerito. Hebraice est δῶν hinnam, quod οἱ ἐδομῆνοι & nunc δωρεὰν vertunt, ut hoc loco: nunc ἀδίκως, ut Proverb. i. 11. 17. Similiter 1 Sam. xix. 5. Ionathas Sauli ait: *Quare peccares contra sanguinem immoxium, morte affiendo Davidem gratis?* Vbi Hebraice itidem est δῶν.

23. §. *Sextum est argumentum à dupli^ci testimonio adversus iniquum hostile odium. Prius est Spiritus paracleti, quem missurus esset.*

Vers. xxvi: Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Vbi primo videndum quis mittendus. Is est Spiritus Παρακλητός. quomodo vocatur, quia caussam agit Christi, ac nostram, ut antea dictum. Deinde quis missurus, & unde missurus. Missurus est Christus, idque à Patre, è quo procedit. Denique dicitur, quid is facturus. Nempe testimonium Christo perhibebit: quod certissimum erit, quia dicitur *Spiritus veritatis*, &c. à Patre procedit. Ut si angelis sit credendum, multo magis fides habenda sit Spiritui Sancto, qui non est spiritus creatus, sed, ut Athenagoras appellat, Διόποια Θεός, tertium numen divinitatis, tertium numen maiestatis; ut Tertullianus loquitur adversus Praxeam.

24. §. *Alterum testimonium est ipsorum Apostolorum; qui buscum, ex quo cāpisset prædicare, semper esset conversatus: ut omnium, quae vidissent, & ex eo audissent, testes essent certissimi.*

Vers. xxvi 1: *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum es*ti. Græce est, μαζί υπείπετε, testes es; ut vertit Erasmus. Sed recte vulgaris, perhibebitis: quia μαζί υπείπετε per enallagen temporis ponitur pro μαζί υπήστε. Eo autem dicuntur testes fore idonei, quia secum fuerint απ' δόχης, ab initio: nempe prædicationis Euangelicæ, sive ex quo exercere munus suum cāpisset. Atque hæc tenus ea sermonis Christi pars, quam exhibet Iohannes cap. xv.

C A P. XVIII.

De sermonis ejusdem, sive in cœnaculo, sive in via habitu,
parte altera, quæ refertur Ioan. cap. xvii.

1. §. **P**roreditur Christus cap. xvii in sermonem, qui in-
stitutionem Cœnæ, postquam jam surrexisserent, exce-
pit: sive ubi exierant, videlicet in via, habitus sit; seu an-
tea, in cœnaculo, factus sit.

Posteriorius præferebamus superius. Sed de eo contendere nolu-
mus cum quoquani.

2. §. Quatuor vero ea sermonis parte facit. Primum disci-
pulis prædictis aduersa, quæ obvientura essent à discessu suo.
Vbi initio aperit, cur tam multa hactenus adduxerit de ma-
lis, quæ discipulos manerent. Atque ait, hoc ideo à se fa-
ctum, non ut mæstiores reddat; sed quo minus offendan-
tur, ubi in hac inciderint.

Nam quod dici solet, Tela prævisa minus feriunt. Verba sunt
vers. i: *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Vbi Hæc non
refertur ad id, quod proxime antecederat de testimonio Spiritus S.
& Apostolorum: quamquam sic Augustinus, & Euthymius, cepe-
re; imo, ut Iansenius observat, etiam id voluisse videtur Officium
Romanum, in Dominica, quæ Pentecosten præcedit. Sed omnino
referri convenit ad ea, quæ istis præmissa fuere de odio, ac perse-
cutione.

3. §. *Ejusce odii duos subjungit effectus: prior est, quod eos
forent relegaturi à cætu suo, qui σωματικὴ dicebatur.*

Vers. ii: *Α' πονωμάγεις πιησθεῖν νῦμας.* Pro quo Luc. vi. 22.
ἀφορεῖσθαι νῦμας. Erat hoc pœna genus, quo quis à sacris arcebatur.
Atque hoc usi sunt Iudæi erga confitentes Christum, ante resurrec-
tionem ejus. Sed à resurrectione, postquam etiam doceretur legis
Mosaicæ antiquatio, accessit Maranatha, sive ἀνάτεμα: tanquam
non adversus lapsos, sed fidei desertores, eoque dignos, qui diris de-
voventur. Imitati sunt Christiani; quibus pœna levior, abstentio.

Hac

Hac à Cœna arcebantur ad tempus præfinitum. Gravior autem erat
 & videretur, cum sine ulla temporis præfinitione abscederentur. Sic
 tamen ut is, qui pœnitentia duceretur, non semper à sacris exclu-
 deretur, præfertim in vitæ extremis. Quamquam vero primis Ec-
 clesiæ temporibus, cum vigeret donum discernendi spiritus, faci-
 lius erat dijudicare animos humanos, atque exinde statuere de pœna:
 non tamen postmodò cessare omnino hæc pœnae genera debue-
 runt: quandoquidem disciplina in Ecclesia est necessaria, & judi-
 cium ex magnitudine criminis, & contumacia hominis, fieri possit.
 Vide, quæ tota hac de re pereruditæ scripta Illustrissimo viro, Hu-
 goni Grotio, in Lucæ v. 22.

4. §. Alter effectus est, quod operam sint daturi, ut auferant
 vitam, & in scelerata hac mente ita sibi placituri, ut vi-
 deantur sibi gratum Deo cultum prestatæ.

Eodem vers. 11: Sed veniet hora ut omnis, qui interficit vos, arbitre-
 tur, obsequium se prestatæ Deo. Vbi S E D (Gr. Α'λλα) non tam particula
 est adversativa, quam adfirmandi vel intendendi: q. d. quin, vel imm.
 Vbi vulgatus habet obsequium, Grace est λατεριαν, quod Erasmus
 reddidit cultum. Sententia est, credent se sacrificium Domino offer-
 re. Sic Paulus, quando, ut est Gal. 1. 13. καθ' ὥραλω * ἐδίκω * Supra mo-
 τὸν ἀνθησίαν τὸ Θεόν, καὶ ἐπέθεν αὐτῷ, sc mirifice placere Deo dum perse-
 credebat, tanquam, ut mox subdit ipse, ἀπεισορέως γηλωτῷ τὸ πάσχεια queretur
 χοντα τὸ πατεριῶν με τροχόστεων †. Atque idem de Iudæis sic lo- Ecclesiam
 quitur Rom. x. 2: Μαρτυρῶ αὐτοῖς, διπλον Θεόν ἔχουσιν, αὐλ' ε κατ' Dei, ac de-
 ὅπτιγων. Testimonium illis perhibeo, quod studium Dei habent, sed non se- popularē-
 cundum scientiam. tur eam.

† Véhementius tradi-
 tionum pa-
 ternalium
 studiosum.

5. §. Tanti odii adfertur causa, quod neque Patrem, neque
 Christum norint.

Vers. 111: Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.
 Quasi dicat, nesciunt, quam Pater sit φιλάνθρωπος, ac quanto ma-
 joris faciat pectus purum, quam ritus universos.

6. §. Deinde exponitur, cur ea mala hac ultima concione
 prædicat discipulis, antea vero de iis filuerit. Nempe nunc
 se ea ait exponere, ut recordarentur dictorum quando con-
 tingent: at reticuisse antea, quia dum secum haberent

Chri-

*Christum, nihil magnopere attinere ea scire: sed nunc scito
iis esse opus, quando quidem suus discessus instaret.*

Vers. IV, & V: *Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit tempus illud;
reminiscamini eorum, que ego dixi vobis. Hæc autem vobis initio non di-
xi, quia vobiscum eram. Nunc autem vado ad eum, qui misit me.*

7. §. *Hinc accedit ad partem capitinis alteram: qua Christus
studet mederi eorum mœrori. Ac primum significat, unde
eorum mœror sit: nempe ab sermone de discessu suo.*

Vers. V, & VI: *Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed quia
hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Inquit aliquis, Pe-
trum dixisse antea, Domine, quo vadis? Thomæ etiam verba fuisse:
Domine, nescimus, quo vadis: & quorūdō possimus viam scire? Verum non
hæc Christo exciderant: sed voluit, ut, se Jainjam abitum parante,
more amantium instantius id rogarent, quo sibi sic occasio daretur
planius, pleniusque istoc eos edocendi. Dolebat, mœstitia præpe-
ditos usque adeo eos distinere, ut, hac sola præpediti, tam cito desi-
sterent ab inquirendo, quod palmarium nunc erat rogare: ut quo
non aliud utilius esset tantæ eorum mœstitudini medendo. Ipse igit
tur novam præbet occasionem deniū cogitandi de priori quæstio-
ne: quo ea perspecta dolorem exuerent conceptum è discessu suo.*

8. §. *Exinde solatur eo, quod ipsis discessus ille sit salutaris:
quia, absque eo foret, non posset illis mittere Paracletum.*

Vers. VII: *Sed ego veritatem dico vobis, expedite vobis, ut ego vadam.
Si enim ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam
eum ad vos. Vbi quod ait, se dicere veritatem, tum attentionem pa-
rat, tum fidem conciliat: cui subjicit, quam utile sit, se cælos pete-
re, quia antea non possit mittere Spiritum sanctum.*

9. §. *Hujuscce Paracleti effectus adfertur triplex. Primus est
ratione mundi; alter ratione Apostolorum; tertius ratione
ipsius Christi. Primus ille tria itidem continet. Nam mun-
dum arguet de tribus. Ex quibus principe loco ponitur il-
lud de peccato; puta quod noluerit Christo credere.*

Vers. VIII, & IX: *Et cum venerit ille Paracletus, arguet mundum,
de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non cre-
dunt*

dunt in me. Q. d. Tum apparebit, me esse prophetam illum, de quo sic Deus Deuteronomii xvii. 18, 19: Prophetam suscitabo eis de medio fratribus tuorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, non audierit, ego ultor existam. Vbi verba ponam in ore ejus, valet, per eum loquar, sive, is voluntatis erit meæ interpres. Quod addit Deus, se graves de eo pœnas sumturum, qui prophetæ illi non habuerit fidem; id impletum in Hierosolymitanæ Vrbis excidio: quod supplicium in se fuit horrendum, ac totum personuit terrarum orbem.

10. §. Proximum est, quod Spiritus mundum arguet de justitia. Nam cum natura æqui bonique requirat, ut bonis multa mala immerito perpetuis bene tandem sit, hoc in Christo etiam relucebit, quem Deus mundo huic eripiet, ne amplius conspiciatur, & in cœlis imperii gloriaque sue participem faciet.

Ver. x: De justitia vero, quia ad Patrem vado, & posthac non videbitis me. In hoc Spiritus effectu considerandum, quid arguat, & quo arguat. Iustitia arguet: nempe illa retributiva: de qua i. 11 Thes. 1. 5: In exemplum (sive documentum) justi judicij Dei, ut digni habeantini regno Dei, pro quo & patimini. Nam si justum est, ut Deus pios, propter Deum passos, dignetur regno suo: justum etiam sit, ut Christum recipiat in regnum suum, eique donet nomen supra omne nomen. Id, quo arguet, est Christi assumptio in cœlos: ubi non ultra obnoxius sit injuriis, ac contumeliis, sed de viëtis hostibus triumphet.

11. §. Tertium, de quo Spiritus arguet, judicium est: quo diabolus, qui causa fuit, cur Christus adjudicaretur morti, ipse regno suo exutus, adjudicabitur igni eterno.

Ver. xi: De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. Quicum optime convenit illud Ioan. xii. 31: Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Hoc est, diabolus, qui per idolatriam, & omnis generis vitia, toto pene orbe, quasi Deo excluso, imperium obtinebat, (unde & Deus hujus seculi, ὁ Θεὸς Σαϊὼν τοτε, appellatur à Paulo *) is nunc hoc regno suo spoliabitur, mundusque vindicabitur in libertatem. * 2 Cor. 4. 4.

12. §. Altera paracleti utilitas est, quod discipuli, multorum

adeo ignari, (que Christus, magister optimus, eo noluit illis exponere, quoniam necdum horum capaces sciret) ista tunc docebuntur à paracleto, spiritu veritatis: ut qui solum vere edoceat doctrinam salutarem; nec aliud loquatur, hominique inspiret, quam quod à Patre, ac Filio, accepit: qui etiam iis sit annuntiatus tum particulatim de certis hominibus, tum universe de mundo, Iudeis, ac Ecclesiæ statu.

Vers. xii, & xiii: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare nunc. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semet ipso; sed quaecunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Postrema verba pertinent ad spiritum propheticum: de quo Act. xiiii. 1. & Ephes. iv. 11. Sic Agabus prædictit famam sub Claudio Cæs. futuram: Act. xi. 28. item Paulum Romæ vinciendum. Act. xxii. Extremis temporibus multos à fide defecturos, multorumque impietatem, prædictit Spiritus 1 Tim. iv. 1. & 11 Tim. iiiii. 2. Mortem suam instare prædictit Petrus epist. secunda. 1. 14. Mitto Apocalypsin pene universam.

13. §. Utilitas tertia paracleti redit ad Christum, quem illa futurorum prædictio, de qua proxime est locutus, clarum reddet ac gloriosum. Siquidem Spiritus ille doctrinam suam dicitur accepturus à Christo: non quasi non accepturus à Patre, sed quia omnia Patris etiam sunt filii: ut quæ Ecclesiæ prædicet, sit hausurus de communibus archivis.

Vers. xiv, & xv: Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis, quod de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Vbi videmus, Christum statui tanquam alterum dominum: Spiritum S. tanquam utriusque coeconomum, sive dispensatorem. Qua mente etiam capere oportet illa Tertulliani, quando Spiritum S. vocat villicum Patris, vicarium Christi.

14. §. Tertia capitilis parte transit Christus ad solarium aliud, nempe à reditu suo, post pusillum, quasi tridui tempus, futuro: quia tunc iterum alter alterum visurus.

Ver-

Verba Christi sunt vers. xvii: *Pusillum, & non videbitis me, & iterum pusillum, & videbitis me; quia ego vado ad Patrem.*

15. §. *Verum discipuli, partim ob mærorem, qui totos occupat, partim ob tam inopinata, quæ audirent, non capiebant, quæ Christus diceret.*

Etiam poterant putare, in ejus verbis esse *αὐλογίαν*. Quasi dicerent, ut est apud Chrysostomum: *Si te videbimus, quomodo abis? Si autem abis, quomodo videbimus?*

16. §. *Quare inter se conferre capita, & colloqui cœperunt. Nec tamen, multorum more, aspernati sunt, quæ ignorarent; nec superbe simularunt se scire, quæ nescierunt, sed ingenuæ insciam fabantur.*

Vers. xvii, & xviii: *Dixerunt ergo quidam ex discipulis etiam inter se: Quid est hoc, quod dicit nobis: Pusillum, & non videbitis me; & rursum pusillum, & videbitis me? & Quia ego vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Pusillum? Nescimus, quid loquatur. Vbi cum legimus, Dixerunt ex discipulis, Εἴπερ εὖ ἐν τῷ μαθητῶν, intelligitur πόνος, aliqui. quod præterit vulgatus; sed Erasmus expressit. Similiter Matth. xxii. 34. Εἴ τοι τὸν δοκτονεῦτην, καὶ σαυπώσῃ. Pro αὐτῶν πνεος, illorum aliquot. Ac similiter in iis, quæ sequuntur: ac sèpius alibi. Additur, τοιοὺς αἰδήσας, inter se, quia sic inussitarent, ut non potuerint exaudiri à Christo. Hinc mirari se ostendunt, quod diceret, se jam vadere ad Patrem, & pusillum duntaxat cum iis fore. Hoc enim est, quod non caperent, minuto adeo spacio secum fore.*

17. §. *Christus partim exteriori signo, quod discipuli capita collimarent; partim etiam spiritu divino edoctus; non pavit, sibi cessandum, donec rogaretur; sed, boni fungens magistri officio, prior interrogando occupat: ac continuo eos solatur eo, quod licet ex passione, ac morte sua, magnum sint percepturi luctum, mundo interim gaudente; mox tandem eorum tristitia sit convertenda in lætitiam; ut simile hic sit futurum, ac in muliere pariente, quæ in partu quidem ingentem sustinet acerbitatem, ac cruciatum; sed, ubi*

prole feliciter fuerit aucta , abstergo omni dolore , magnum concipit gaudium.

Hæc mens vers. xix, xx, xxii, xxiii. Verba sunt : Cognovit autem Iesus , quod vellent ipsum interrogare ; & dixit eis , De hoc queritis inter vos , quod dixi ; Pusillum , & non videtis me , & iterum pusillum , & videtis me . Vbi , non videtis me , ait , pro nou videbitis me : præsens pro futuro , ut sæpe . Hinc sequitur : Amen , amen , dico vobis , plorabitis , & lamentabitimini vos . Dolorem eum signat , quando cernent Christum capi , capto à militibus illudi , illusum crucifigi , mox mori , & sepeliri . Addit , Mundus contra gaudebit . Præcipue Pharisæi ; qui de Christo devicto quasi triumphabunt . Sed solatur continuo verbis hisce : *Vos autem contristabitimini ; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Atque hunc discipulorum dolorem , ac lætitiam , illustrat similitudine per-accomodata . Ejus prior pars est : Mulier cum parit , dolorem habet , quia venit hora ejus : cum autem pepererit puerum , jam non meminit anxietatis , propterea , quod gaudeat , hominem esse natum in mundo . Hoc est , quia auxerit genus humanum . Atque hæc est ἀπόστολος , quæ indicari solet per particulam veluti , quemadmodum , aut similem . Sequitur ἀπόστολος , cuius nota fere est , sic , similiter , aut ejus generis particula . Ea hujusmodi est : Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis : sed iterum video vos , & gaudebit cor vestrum , & gaudium vestrum nemo tollit à vobis . Græce est , οὐδὲν δέ τι αἴρει , gaudium nemo tollit . pro ἀπεῖ , tollet . Dixi-ris , etiam conspecto iterum Christo , inque cælos evecto , sæpe ob-persecutiones magno in dolore fuisse discipulos . Verum ut tum ma-gno fuerint in moerore versati : caussa tamen gaudii permanit ; quia scirent , Christum non iterum moriturum , sed jam sedere ad dexte-ram Patris , atque ibidem sibi ab eo habitaculum esse destinatum .

18. §. Felicitatem leti illius temporis , quo gavisuri sint conspecto iterum Christo , etiam postquam denuo fuerit sublatus , eo monstrat , quod qui antea solerent , quo-tiescumque aliquid adversi , vel periculi , incideret , ad Christum se recipere , ac suis eum precibus sollicitare : hi deinceps non essent rogaturi Christum , sed Patrem , quem in nomine Christi rogantes , imperarent , quod rogassent .

Verf. xxiii , & xxiv : Et in illo die me non interrogabis quicquam . Amen amen dico vobis , quæcumque petieritis Patrem in nomine meo , dabit vobis .

vobis. Hactenus non petistis quicquam in nomine meo : petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Vbi duo præcipue dicit Christus. Primum, non amplius se præsentem rogatum ab iis iri, uti solet. Nam dum Christum haberent secum, in adversis omnibus, atque adeo periculis, continuo ad illum confugiebant, eumque precibus suis sollicitabant. Ut Matth. v 11. 25. cum tempestate coorta aiunt ; Domine, servanos, perimus. Et, quantum tribuerint præsentia Dominicæ, arguit illud Mariæ, & Marthæ : Domine, si fuisses hic, frater noster non esset mortuus. Cum vero hic de precibus sit locus, liquet, non adversari huic dicto Christi, quod discipuli à resurrectione rogarint Christum, an eo tempore restituendum esset regnum Israel : & multa etiam alia de Scripturis inquisivisse, credibile est. Quod movit B. Augustinum, ut, quod Christus ait, non rogandum se amplius, id intelligi dixerit oportere de tempore à resurrectione universali, quando plenum erit gaudium, nec quocquam rogato opus fore, contra quam erat, dum in terris Apostoli degerent; præsertim antequam Christus vaderet ad Patrem, nec accepissent Spiritum S. Nempe non attendit satis sanctissimus ille Hipponensis Pontifex, vocem ἐπωταῖς hic sumi non pro interrogare, sed pro orare : quo de Latinisino superius dicebam. Et hæc de primo. Alterum tria comprehendit, quem rogaturi, & in cuius nomine, & qua fiducia, Christo ablato, rogaturi dicantur Patrem : idque in suo nomine : precando nimirum, ut exaudiantur, non tam ob patres, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, vel etiam ob Davideum, uti sub veteri fœdere precari solent : sed per, & propter Iesum Christum : quæ nova erat precandi forma. Quanta autem fiducia sint precaturs, aperit, cum addit, eos certo impetraturos, quæ Patrem in suo nomine rogarint. Puta omnia Deo gloriofa, sibiique salutaria : non si potentiam, honorem, opes, exposcant : immo ne quidem, si citra conditionem rogent malis præsentibus liberari : sed neque si vel salutaria aliis rogent; quandoquidem, pro quibus rogan, sæpenumero indigni sunt spiritualis gratiarum donis : in cuiusmodi etiam cum hac conditione poscendum, siita ferat Domini voluntas. Occulta enim divini judicij quis novit ? Nec dubium, quin Deo grata sit ejusmodi pro peccatoribus oratio; utcumque non semper piorum exaudiat preces, ne quidem pro conversione malorum liberorum orantes. Nempe precum talium fructus quando non percipitur ab iis, pro quibus funduntur, ad ipsos tamen precan-

tes redit. Quo pertinet illud Christi Matth. x, & Luc. x : *Et si fueritis filii pacis, requiescet super illum pax vestra.* *Si autem ad vos revertetur.* Quod vero hic dicebamus, novam dari formulam precandi, id firmatur, quando subjungit Christus, haec tenus eos non esse precatos in nomine suo. Nimirum Deum haec tenus rogarant, & ut propter foedus cum Patribus initum, & ob promissiones populo factas se vellet exaudire. Sed non disertum in nomine Christi: quem ne- sciebant esse μεσίτην inter Deum, & homines.

19. §. *Finem huic sermoni impositurus, quia poterat videri pleraque obscurius dixisse, non illud inficiatur Christus: sed ait, utcumque nunc multa sic locutus sit: instare tamen tempus, quo libere, aperteque sit expositurus omnia.*

Vers. xxv : *Hæc per proverbia locutus sum vobis: veniet tempus, cum jam non per proverbia loquar; sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Græce est, Ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάθηκα ὑμῖν. Παροιμία proprie est allegoriz genus: ac interdum laxe accipitur pro allegoria: imo interdum allegorianam continet nullam: qua de re differimus Oratoriarum Institutionum libro iv cap. xi. Hic vero loci παροιμίας vocabulo quilibet signatur sermo figuratus, vel obscurus. Cujusmodi ea fuere quæ proxime Apostolis dicebat, necdum intelligentibus, quæ precari oporteret.

20. §. *Præterea, cum antea dixisset, impetraturos à Patre, quicquid in nomine suo petierint, adiungit nunc, tantum esse amorem Patris erga ipsos, ut sponte etiam, & intercedente nemine, paratus sit eos exaudire. Quo profecto quid majori esse solatio poterat? Cur vero tam bene sit affectus Pater erga discipulos, gemina ratio adfertur: quod ipsi amarint filium, & quod eum crediderint exiisse à Patre: ut videas, Deum, & fidem, & caritatem, amplecti.*

Vers. xxvi, & xxvii: *In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quod ego rogaturus sim Patrem pro vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis, & credidistis, quod à Deo exiverim.* Dixeris, Christum negare hic, se pro nobis advocatum, ac deprecatorem fore: id vero obstat istis epist. ad Hebr. ix: *Introivit in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et B. Ioann. i epist. cap. ii: *Advocatum habemus*

mus in cælis apud Deum patrem, Dominum nostrum Iesum Christum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Aliqui, ut hæc concilient, aiunt, bifariam posse intercedi, quasi inter judicem iratum & reum, ac tanquam apud eum ubi sufficiat memoria reconciliationis factæ. Christum loqui de priori intercessione, qua negat opus fore, ubi pro omnium peccatis satisfecerit. At in epistola ultraque sermonem esse, non de advocate, qui supplex in genua procumbat apud iratum: sed in quo sufficiat, si corpus vulneraque pro homine accepta semper coram Deo compareant. Sed hæc longius videntur quæsita: longeque simplicius dixeris: non hoc negare Christum, se fore advocateum nostrum in cælis: sed dicere solum, se nolle nunc de istoc loqui: quia longe maius esset, quod velit subjicere: putā, quod tantus sit amor Patris erga nos, ut, se etiam non intercedente, ultiro nobis daturus sit, quæ petimus. Tanti vero amoris erga discipulos ea adfertur cautela, quod ipsi Filium amarint, & in eum crediderint. Quod non ita capiendum, quasi homo prior diligit Deum; sed quia, postquam Deus hominem ex amore gratia sua prævenit, atque is per Spiritus gratiam credit Deo, eumque diligit, fidem amoreinque hunc hominis Deus exosculetur, & majori novoque amore prosequatur.

21. §. *Quia vero dixerat Christus, amari à Patre, postquam crediderint, Christum exisse à Patre: fidem hanc, ut rectam, tali pronunciato firmat vers. xxvii i i: Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Exivit à Patre, cum adsumeret naturam humanam: in mundum venit, cum nasceretur. Exivit mundo, atque ad Patrem ivit, cum à resurrectione adscenderet in cælos. Iterum, inquit, mundum relinquo. Πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον. ubi πάλιν valet *ex adverso*, è contrario. nec enim secundo mundum reliquit. Sic Matth. iv. 7: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Πάλιν γέγενται. Quasi dicat, Scripturæ verbis à te adductis alia oppono, ut liqueat, non debere eum locum, quem adduxisti, sic accipi, uti eum capiebas. Relinquo mundum, ἀφίημι τὸν κόσμον, pro relinquam, usitata temporum enallage. Sic vado, pro vadam.

22. §. *Sequitur quarta capituli pars, qua dispersionem discipulorum prædict.*

Quod

Quod sit ejusmodi occasione. Cum illa Christus dixisset, quæ discipuli se capere negarent; in his illud, *Paulisper me non videbitis, paulisper videbitis*: multa his subjecit ad eorum lucem, quæ solatio essent futura à discessu suo: clareque addidit, se exire à Patre in mundum, & nunc è mundo exiturum ad Patrem. Ex eo quod ait de egrediè è mundo ad Patrem, intelligere incipiunt discipuli de quali abitu sit locutus. Christo igitur aiunt, nunc clare eum locutum, videreque se, cum esse omniscium, ut qui viderit clare, quid non cepissent; nec opus esse ut rogetur de obscuris, qui etiam prius quam rogetur, ea enunciet: ac in hoc, sive per hoc, quod etiam cogitationes hominum norit, se credere ei dicenti, quod exisset à Patre. Christus, modestiæ annator unicus, qui sciret quam infirma esset eorum fides, pro more & amore suo existimavit, arrogantiam illam, vel, si malis, ignorantiam sui, castigari oportere. Proinde eos in hanc mentem adfatur: Itane jam creditis in me? Vel potius sine interrogandi nota: Vos quidem jam credere vos dicitis, dum omnia tuta sunt. Qualis vero sit ista fides, in aperto mox erit, ubi periculum ingruerit. Tum enim me capto mox diffugietis, alii alio, me relinquentes solum: solum, inquam, si attendam vestri præsentiam, qui me omnes deseretis, sed non, si cogitem Patrem meum, qui mecum erit, h. e. à partibus meis stabit: ac quamvis sinet me aliquantis per male tractari, non tamen me solatio destituet: cuius præsidium mihi pluris erit, quam auxilium orbis universi. Verum audiamus ipsum Euangelistam, vers. xxix, & quatuor sequentibus, loquentem. Dicunt ei discipuli ejus, Ecce nunc aperte loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc scimus, quod scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget: per hoc credimus, quod à Deo exivisti. Respondit eis Iesus: Nunc creditis. Ecce instat tempus, & jam venit, ut dissipemini unusquisque in sua, meque solum relinquatis: & tamen non sum solus, quia Pater mecum est.

23. §. Quo tandem tam longi sermonis, sed longe utilissimi, pausa fieret, concludit orationem eo, quod cuncta haec præcipue de præsidio Paterno dixisset, ut considerent in Christo, ac per, & propter eum, mediis in undis animis forent tranquillis: gravia quidem esse, quæ perpessuri sint à mundo, at non tanta tamen, ut ea illos dejectura sint de felicitate

licitate futura : quandoquidem Christus sit ille , qui devicerit mundum : quippe qui hactenus tam multa esset à diabolo , & infidelibus , perpessus , ac jam jam per mortem crucis passionem suam esset consummaturus .

Dabo aurea Christi verba , quæ leguntur versu capitinis ultimo : *Hac locutus sum vobis , ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habebitis : sed bono animo sitis , ego vici mundum. Gr. Εγώ ρενίην τὸν κέρμαν. Hoc est , jam jam devincam. Devicit Christus obediendo Patri usque ad ignominiosam mortem crucis : eoque & nobis vires peperit , quibus vincimus mundum. Eum in Christo vincimus , quando illi credimus. Vnde apud Ioannem i epist. cap. iv : Vicisti eum , quoniam major est , qui in vobis est , quam qui in mundo. Et cap. v : Omne quod natum est ex Deo , vincit mundum : & hac est victoria , quæ vincit mundum , fides nostra. Quis est , qui vincit mundum , nisi qui credit , quod Iesus est filius Dei ?*

C A P. XIX.

De oratione Christi ad Patrem , quæ refertur
Ioannis cap. xvii.

i. §. *P*ostquam Christus mortem aditurus solatus est suos ,
 eosque salutaribus monitis instruxit : ferventissimas
ad Deum preces fudit.

C A P. XVII. I : *Hac locutus est Iesus , & sublevatis oculis in cœlum dixit , Pater &c. Hic , dum discipulis adest , oculos in cœlum attollit. Cum solus vero in horto foret , in faciem procidisse dicitur. Prius valuit , ad mentem ipsam in cœlum attollendam. Posterior ad magis ostendendum animum supplicem ac demissum. Porro superius jam dictum , magis mihi eorum sententiam probari , qui longum illum sermonem , qui est Ioan. xv. & xvii , in via à Christo habitum arbitrentur. Multoque magis id censeo de precibus ad Patrem subsecutis. Planeque subscribo illustrissimo Hugoni Grotio , Sueonum ad Christianissimum Regem , dum viveret , Legato , id factum videri in templi conspectu , cum id transiret , & paullum subsisteret. Hoc eo credibilius , quia porticus Templi septentrionalis , atque orientalis , valli Cedron proxima foret : ut cognoscere est è Flavio Iosepho lib. vi belli Iudaici cap. xix.*

2. §. Eiusdem orationis partes sunt quatuor; una, pro se se; altera, pro discipulis; tertia, pro credituris per eorum sermonem: quarta, qua iterum ad Apostolos redit. Ac pro se quidem initio poscit, ut quia hora venerit præfinita glorificationi Filii, nunc eum glorificare velit, sive ostendere, quis, & quantus sit.

Vers. I: Pater, venit hora: clarifica filium tuum. Vbi per horam, quæ venerit, signatur tempus, quo amarus ille calix esset bibendus: puta cum damnandus, illudendus, cruciatus ac mors contemptissima subcunda. Hinc petit, ut quem Deus adeo per testimonium suum in Iordanè, per tot miracula, & aliter, glorificasset, eum porro glorificaret. Quod postea factum: prius per prodigia in passione: inde per resurrectionem: tum per ascensionem in cœlum: ac denique per missionem Spiritus Sancti: quam consecuta est omnium gentium fides.

3. §. Tum finis is subjungitur, quo & filius glorificet Patrem.

Nam uti Pater glorificavit Filium, resuscitando eum: ita & Filius resuscitatus glorificavit Patrem, non modo quatenus ex Christi resurrectione Patris potentia eluxit; quomodo interpretatur B. Augustinus: sed etiam quia, Christo in tente Spiritum Sanctum, nomen Patris prædicatione Patris inclaruit per orbem universum.

4. §. Hinc subjicitur alter finis ille, ut, quemadmodum à Deo accepisset potestatem in omnes homines, ita & ipse vitam æternam largiatur, non omnibus quidem, sed quos ei dedit: hoc est, credentibus.

Vers. II: Sicut (χαράς, qua ratione) dedisti ei potestatem omnis carnis: ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam. Vbi duo hæc distinguere oportet, potestatem, & usum potestatis. Potestas est in servando, & damnando hominem: usus ejus, in dando illis vitam æternam, quos Pater sibi dedit.

5. §. Proxime addit, in quo sit ea vita æterna: eaque dicuntur consistere in cognitione Dei, & legati ejus Iesu Christi.

Vers. III: Hac est autem vita æterna, ut cognoscant te solum, Deum verum,

verum, & quem misisti, Iesum Christum. Vbi vitam æternam considera, quatenus tum hic inchoatur, tum in cælis perficitur. Intellige autem cognitionem περικλετῶ', hoc est, vivam & efficacem per caritatem. Nam ut est i^r Ioann. 11. 4: *Qui dicit, se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & veritas in eo non est.*

6. §. *Iustam esse petitionem suam, coque dignam exaudiri, demonstrat eo Christus, quod jam, secundum Patris mandatum, nomen illius sermone, miraculis, ac conversatione, clarum fecerit, atque illustre: sic ut solum restaret, idem ut nomen nunc redderet gloriosum opere redēctionis; quam rationem jam jam erat aggressurus.*

Vers. iv. Ego te glorificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem. Quæ verba illustrat B. Polycarpus, Smyrneus episcopus, & B. Ioannis Apostoli discipulus, in Responione Capitulorum: *Quomodo opus salutis humana adimplesse commemorat, cum necdum crucis vexillum consernederat? Sed definitione voluntatis, de qua cuncta veneranda passionis insignia adire decreverat, jure se opus perfecisse significat.* Prout è Græcis reddidit Victor, Episcopus Capuanus, in Catena sua super iv Euangelistas *. Vixit ille paullo ante annum quingen-

** Apud Feuer-
ardentium
habes in no-*

*tis ad Ire-
naum lib. 3.*

cap. 3.

7. §. *Modum addit idem, quo petat glorificari: nempe ut ea ornetur gloria, quam apud Patrem habuit ante constitutionem mundi. h. e. ut non merum esse hominem, sed hominem deum declaretur.*

Vers. v. Et nunc glorifica me tu, Pater, apud temet ipsum, gloria, quam habui, prius quam hic mundus esset, apud te. Placet, quod B. Augustinus hæc interpretabatur de gloria, quæ Christo fuit præparata, destinataque ante omnia secula. *Quonodo Apocalypſ. xi 11. 8, agnus dicitur occisus ab initio mundi;* puta destinatione: quomodo item Eph. 1. 4. dicitur, *Deum nos elegisse ante mundi constitutionem.* Ac firmitat etiam ἀντίθεσι illa i^r Petri 1. 20: *Qui præordinatus (πρεγνωτός) quidem fuerat ante mundum conditum: manifestatus autem extremitatibus propter vos.* Imo & Hebræi similiter legenti aiunt fuisse ante mundum. Nec tamen multum adverser, si quis malit intelligere gloriam, quam, quatenus Λόγος foret, habuit semper. Nempe ut

poscat Christus, divinam quoque gloriam ab hominibus exposci, quæ non relucebat clare adeo in homine ignominiæ exposito, & mox cruci affigendo, morituro etiam, ac sepulturæ tradendo. Magis tamen censem, non tam rogare pro gloria Ω Λόγως, quam gloria naturæ humanæ, à Λόγῳ assumtæ: quam gloriam sibi ab æterno destinatam sciret, sed non nisi à passione, ac morte, posse obtineri.

8. §. Quod vero paullo ante, ad aequitatem petitionis sua comprobandum, dixerat Christus, se Patrem suum glorificasse in terris: id plenius deinceps voluit explicare. Itaque glorificationem eam exponit manifestationem nominis divini: hoc est, sapientiae, bonitatis, potentiae. Quam se manifestasse hominibus ait; puta cum eo effectu, ut sibi credetur. Proque eo, quod aiebat ante, id fecisse in terris, dicit, se manifestasse hominibus ex mundo universo electis à Patre; qui, eo trahente, credidissent illis, quæ jussus erat iis tradere; qui etiam constanter, quæ acceperant, retinenter, certi, Christum à Patre exiisse, hoc est, ab eo missum esse ad mandata Patris exsequenda.

Vers. VI, VII, VIII: Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, (qui erant, & mihi eos dedisti) & sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quod omnia, quæcunque dedisti mihi, abs te sunt. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt; & cognoverunt vere, quia à te exiri, & crediderunt, quod tu me misisti.

9. §. Pars altera sequitur precum Christi. Ea discipulos, quos à fide, & obsequio, proxime laudarat, commoda admodum transitione commendat Patri. Negat, se orare pro hominibus mundo immersis: sed rogare ait pro iis, quos Pater, cuius forent, dedisset Filio: ut nunc non Patris solum, sed & Filii forent; uti omnia paterna etiam Filii, omnia item Filii forent paterna: coque se justius pro his rogare, quia & suum nomen per eos, eo quod ab iis agnosceretur, gloriostius fieri capisset.

Vers. IX, & X: Egopro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti

dedisti mihi , quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt , & tua mea sunt , & glorificatus sum in eis. Vbi tria considerantur. Primam postulatum Christi pro discipulis : nempe ut Pater se absente eos conservet. Deinde illustratio petitionis per ἀνθεστοριν , quando ait , se non pro mundo rogare , sed iis , quos sibi Pater dedit. Interduum quidem & pro infidelibus Deus rogat : ut Luc . xxi 11. 34: Pater , remitte illis : nesciunt enim quid faciant. Sed has preces proprie instituit pro discipulis , sibi per fidem iam insitis ; inferius oraturus pro iis , qui postea per sermonem eorum essent inferendi. Hujuscemodi particularis petitio , qua , hostibus exclusis , discipuli commendarentur Patri , tanquam amici ipsius , & Christi , magno erat futura solatio , ne Christo absente vel moerore , vel hostilis odii metu , absorberentur. Post hancce ἀντεστοριν sequitur tertium , quod est gemina ratio postulati. Siquidem illud καὶ , quod est initio versus x , est caussale : ut valeat Nam. Quare sententia est : Dixi , eos mihi datos à te : nec eo desinunt esse tui : quandoquidem Patri , Filioque , cuncta sunt communia : cum paterna cedant in usum filii : & filius cum iis , quae habet , subjectus sit Patri. Atque haec prior est ratio postulati ; Altera ratio petitur ex eo quod illorum fide ac confessione sit glorificatus. Quasi dicat , Etiam eo justius discipulos meos tibi commendo , quod per eos nomen meum jam fieri cœperit gloriosius , atque illustrius.

10. §. *Tertiam inde cur pro iis roget , rationem hanc producit , quia jam jam abiturus esset è mundo : ut eos , quos Pater sibi dedit , opus sit deinceps ab ipso servari , quo unum fierent secum , sicut ipse unum foret cum Patre. Ergo paternæ se custodiæ , ac curæ , illos committere , quos ipse hac tenus servasset ; ac sic quidem servasset , ut in tanto mundi odio perierit nemo , præter eum , qui jam olim perditioni esset destinatus ; ac in quo impleta essent quæ Scriptura fore tanto ante prædixerat. Addit præterea , se eo Patri illos committere , ne mœrore ob discessum suum amittant gaudium ex sui notitia conceptum , quod iis optet perpetuum.*

Vers. xi : *Et jam non sum in mundo , pro , non ero. Et hi in mundo*

sunt, quos ego in mediis tempestatibus relinquō. Et ego ad te venio, nempe relicto hoc mundo, & in eo discipulis meis. Ex ἀνθέστα fa-
tis liquet, per mundum signare loca illa, quæ vivi incolimus. Seque-
tur, Pater sancte. quomodo convenienter hoc loco Patrem com-
pellat, quia pro iis rogat, quos sanctificari cuperet. Serva eos per no-
men tuum, quos dedisti mihi. Gr. εὐτῷ ὀψευστίσ. h. e. per te, sive ope-
tua, qua opus cultoribus tui, ac nomen tuum profitentibus coram
imundo. Sic Actor. ix. 27. Barnabas Apostolis narrat, quomodo
Paulus, haec tenus suspectus, libere esset Damasci locutus εὐ τῷ
ὄνοματι ἡσθ, h. e. in Iesu, sive profitendo Iesum. Hinc finein sub-
dit hujuscem postulati; Ut sint unum, sicut & nos. Eo petit, ut unum cum
Patre, & Filio, fierent; sicut ipse, & Pater, unum essent: non quasi
æqualitatem exposceret, sed similitudinem, quæ gradibus magnopere
variat. Nec enim in consensu cum Deo, & Christo, tanta est
similitudo nostri cum Christo, quanta Christi cum Patre.

Vers. xi i: Cum essem (sive dum haec tenus fui) cum eis in mundo, (il-
lud εὐ κόσμῳ vertere neglexit vulgatus interpres, vel præterit libra-
rius) ego servabam eos in nomine tuo: puta, semper iis & præcipiendo, &
exempli præeundo, cum successu felici. Quos dedisti mihi, custodivi:
& nemo ex eis periit, nisi filius perditionis: quasi dicat, solum defecisse
Iudam, ob tam horrendam perfidiam exitio dignissimam. Græce
est, οὗτος τὸ πωλεῖα: quod & de Antichristo legas 11 Thes. 11. 3.
Sic Matth. xxii. 15. scribis & phariseis dicitur: Cum (profely-
tus) fuerit factus, facitis eum filium gehenna (γὰρ γέρνης) duplo magis quam
ros estis. Sic David 11 Sam. v. 12, in sententia, quam adversus se
ipsum protulit apud Nathanem, vocat divitem illum, qui pauperis
pecus epulabatur, filium mortis. Ac Sirachides similiter Ecclesiastici
cap. xvi. 10, οὐδὲ πωλεῖα. Denique Iudas dicitur periisse, ut
impleretur Scriptura; non quasi perierit, quia Scriptura prædixer-
it; sed quia in eo sit impletum, quod prædictum erat Scripturis.
Quod vulgo sic efferrunt, ut sumi non finaliter, sed consecutive.
Nec enim Iudas prodidit Christum, quia Scriptura prædixerat: sed
prædixit Scriptura, quia Christum erat proditurus. Præviderat
Deus proditum, nisi impeditret: decretat vero permittere, & tam
atrox facinus dirigere ad bonum generis humani. Scriptura autem,
quam signat Christus, est Psal. cxi. 1: ut Petrus cum locum expli-
cat Act. 1. Subjicit & hanc rationem, cur pro iis roget: quia nisi
discessu suo mœstos favore suo dignaretur Pater, amitterent initia-

gaudii, quod exoptet augeri ac perfici. Græce est, $\chi\alpha\epsilon\gamma\nu\tau\omega\epsilon\mu\lambda\omega$, gaudium meum, hoc est, quod de me conceperunt.

Vers. xiii: Nunc autem ad te venio: & hec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in se ipsis. Sensus est, Quoniam ad te jamjam venturus sum, eo, dum adhuc sum in mundo, discipulis praesentibus, haec iis optare, ac precari volui, ne gaudio, quod, me praesente, percepérunt, excidant me absente: cum contra perfici illud, quam imminui, nedum tolli, malim. Græce est, $\tau\omega\chi\alpha\epsilon\gamma\nu\tau\omega$. hoc est, gaudium quod ex me capiunt. Quomodo & superius sumi dicebamus Ioan. cap. xv. 11.

11. §. Tertia sequitur ratio, cur pro discipulis roget. Ea est, quod mundo sint exosi; & quidem propterea, quod postquam receperint sermonem Patris, à Filio sibi traditum, non amplius sint de mundo, sed exemplum suum sequentur, qui nihil saperet mundanum.

Vers. xiv: Ego traxi iis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Quasi dicat, mundus amat sui similes; puta eos, quibus nihil placet, nisi mundanum: illi vero, quos mihi dedisti, mundo relicto, se addixere Deo, & mihi. Quocirca subeuntes iam nunc tantum odii, & porro perpesuros, atque id tui & mei causa; tuo servari praesidio, longe & quisum est.

12. §. Nec tamen, sicut ipse, cuius causa essent exosi, mox erat è mundo tollendus, ita & illos secum tolli cupit: quippe quos adversis multis probari, & longe, lateque, sermonem sibi à Christo traditum diffundere, Patris, Filiique honori longe consulius foret.

Vers. xv: Non rogo, ut tollas eos è mundo, sed ut serves eos à malo. Græce est, ἐν τῷ πνεύματι. Vbi, quia articulus apponitur, non absurde sentiunt, qui diabolum intelligunt: uti & in oratione Dominica, cum dicimus, Liberanos à malo. Malim interea utrobique peccatum intelligere. Quandoquidem ὁ κόσμος ὁ λόγος ἐν τῷ πνεύματι κεῖται, mundus totus in malo constitutus est: ut est 1 Ioan. v. 19.

13. §. Iterum hinc subjicit, licet infirmos esse non ignoraret, esse

esse tamen alienos à mundi malitiæ. Quia tam insigni laminatione eorum animos erexit.

Vers. xvi: *De mundo non sunt; sicut nec ego sum de mundo. Vbi similitudinem, non æqualitatem, signari, fatis est apertum.*

14. §. *Quia vero non satis est, ut à contagione mundi sint immunes; sed præterea requiritur contraria malitiæ virtus, sanctimonia, regat porro, ut eos efficiat sanctos, idque per veritatem, siue Euangelii doctrinam, quam Iesus erat mundo prædicare.*

Vers. xvii: *Sanctifica eos per veritatem tuam. Sermo tuus veritas est.*

15. §. *Hujuscem postulati gemina affertur ratio. Prior, quia, sicut ipse à Patre esset in mundum missus ad eum de peccatis suis arguendum: ita & illos in mundum mitteret ad idem opus urgendum: in qualibus imprimis requiritur constantia, ne corrumpantur à mundo. Posterior est, quia pro iis se ipsum sanctificaret, hoc est, victimam offerret, quo & ipsi sanctificantur, hoc est, præ oculis habentes obedientiam Christi, purius sanctiusque indies vivant.*

Vers. xviii, & xix: *Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati per veritatem. Illud sicut (ναθως) similitudinem indicat; sed in qua dissimilitudo etiam sit magna. Etiam illud sanctificare (ἀγιάζειν) aliquanto aliter priori sumitur loco, quam posteriori. Christus eo sanctificatus, quia se obtulit victimam pro nostris peccatis. Nos sanctificamur obediendo præceptis Christi, & sequendo vita exemplum.*

16. §. *Sequitur Dominicae precationis pars tertia: qua cum primo pro se, inde pro discipulis orasset, nunc rogat pro cunctis fidelibus, ac porro credituris, usque ad mundi finem.*

Vers. xx: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro iis, qui credituri sint per sermonem eorum in me.*

17. §. *Duo autem hic videre oportet: quid petat, & quare petat. Petit, ut omnes unum sint fide, ac caritate. Vide-licet,*

licet , ut quemadmodum Pater , & Filius , conspirant in promovendo Euangelio : sic etiam illi conspirent obediendo Euangelio. Petit autem eo fine , ut credat mundus , se missum esse à Patre.

Hoc postulatum cum fine eo continetur vers. xx i : *Vt omnes unum sint , sicut tu Pater in me , & ego in te : ut & ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus quod tu me miseras.* Est quidem longe excellentior ratio , qua Deus idem est , ac Λόγος : ut qui sit ὁ Θεός συνίπποια ; eoque natura Deus : sed hic loquitur Christus , quatenus Filius est hominis , ut similitudo debeat adsignari , quæ Deo ac homini sit communis . Tali vero est , quod quem Spiritum Filius à Patre accepit , hunc mitat in corda nostra : & ut Filius obediit Patri , ita & nos obediamus Patri ; Filioque .

18. §. Alteram etiam caussam , ob quam petat , adjungit : nempe propter gloriam , quam discipulis dedisset .

Vers. xxii : *Et ego claritatem (δόξαν , sive gloriam) quam dedisti mihi , dedi eis , ut sint unum , sicut & nos unum sumus.* Vbi plerique intelligunt gloriam divinæ ἡγεσίας : hoc est , ut quemadmodum ipse à Patre hoc acceperit , ut sit Filius : similiter illi à Christo hoc acceperint ut sint Filii Dei . Id vero fit per influxum Spiritus S. Hic enim efficit , ut in hac etiam vita simus unum cum Christo , ita ut Christus est unum cum Patre . Possis & per gloriam Christi intelligere potestatem patrandi miracula . Nam videoas hanc nunc gloriam Christi appellari , ut Ioān. i. 14 , cum ait Apostolus , *Et vidimus gloriam ejus : nunc gloriam Dei , Ioannis xii. 40 , ubi suscitatus Lazarum , Marthæ , quæ aiebat iam olere , ait , Nonne dixi tibi , quod , si credideris , visura es gloriam Dei ?*

19. §. Repetit deinde , quæ dixerat de arctissima conjunctione Patris , ac sui : item sui , ac discipulorum : ac geminum inde fructum adfert : nempe quod mundus inde cognoscet , tum se missum à Patre ; tum discipulos etiam à Patre diligit , sicut Filius , in quo unice Patri est complacitum , diligitur à Patre .

Vers. xxiii : *Et ego in eis , & tu in me , ut sint consummati in unum , & ut cognoscat mundus , quod tu me misisti , & eos dilexisti , sicut & me dilexisti.*

20. §. *Quarta parte recurrit Christus ad Apostolos.* Cumque pro iis prius orasset custodiam Patris in hac vita; (ut nec pro credituris per horum sermonem alia rogavit quam quæ ad consortium gratiæ in hac vita pertinarent:) nunc pro Apostolis etiam exposcit consortium gloriæ, ac felicitatis, in vita altera.

Vers. xxiv: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem (δόξαν sive gloriæ) meam, quam dedisti mihi, qui dilexisti me ante constitutionem mundi.* Vbi videndum, pro quibus preces fundat. Nempe pro iis supplicat, quos Pater dedisset. Hoc est pro discipulis præsentibus: quorum gratia potissimum hæc dicebantur. Hos pater instituendos dederat Christo, idque cum effet; quia receperunt doctrinam, quam audierant. Augustinus statuebat, preces fieri pro omnibus credituris. Quod si placet, sententia fuerit, quos mihi dedisti in prædestinatione tua. Sed videtur loqui de iis, qui dati erant per vocationem, quorum nemo periit, præter filium perditionis. Quamquam vero proprie hæc ad Apostolos pertineant: tamen ad electos omnes recte referuntur, quia quicunque constantis gratiæ fuere participes in hac vita, etiam gloriæ erunt participes in altera: secundum illud Rom. viii. 30: *Quos justificavit, eum glorificavit.* Nunc videamus quid oret: *Volo, inquit, h. e. velim, ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* Quibus cælum signatur.

21. §. *Postulato huic subiungit ejusce causam.* Hec est, ut coram contemplentur honorem Christi. Nam pars est beatitatis, habere suæ felicitatis amicos: tum spectatores, tum confortes.

Eodem vers. xxiv: *Vt videant gloriam meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante conditum mundum.* Hoc est gloriam ab æterno à Patre ex amore decretam. Hanc à resurrectione deum accepit. Itaque dedisti, idem hic est, ac dare decrevisti, destinasti.

22. §. *Alteram etiam rationem eruere est inde, quod mox Patrem vocat justum.* Nam justi est, remunerari. At mundus, inquit, te non cognovit: contra vero cognovere discipuli, quos hactenus docui nomen tuum, & à resurrectione ple-

pleniū docebo. Atque in his id prepositum mihi , ut sic edoc̄ti , sentiant se diligi à te , quemadmodum me diligi à te declarasti : item ut firmius insistant doctrina mea , ac fidei exemplo .

Vers. xxv, & xxvi ; Pater justus , mundus te non cognovit : ego autem te cognovi ; & hi cognoverunt , quod tu me miseris . Et notum feci eis nomen tuum , & notum faciam , ut dilectio , qua dilexisti me , in ipsis sit , & ego in ipsis . Loquitur Christus de cognitione περιγλυκην . Sola enim notitia est vera , quam quis comprobat vita . Dicit , se docuisse discipulos nomen Dei : h. c. bonitatem , sapientiam , & alias Dei proprietates . Factum id duabus de caussis . Primum , ut in discipulis foret dilectio Dei : puta , qua discipuli diligantur . Vt 1 Ioan . 4v. 9: In hoc apparet caritas Dei in nobis , (η&ράπτη Θεος εν ιματι) quod Filium suum unigenitum misit Deus in mundum , ut vivamus per eum . Deinde id factum , ut & Christus sit in discipulis : videlicet per Spiritum fidei , & obedientia . Quomodo & Christus in nobis formari dicitur Gal . 4v. 19. Similiter Ioa . xiv . 20. Atque hæc de cap . xvii .

CAP. XX.

De precibus , quas Christus , in monte Olivarum , in summo animi morore , & angore , ob imminentem passionem ad Deum fudit ; deque solatio , quod per angelum accepit , priusquam se sponte sua sisteret proditori .

I. §. Post hosce sermones Christus tandem transgressus torrentem Cedron per vicum Gethsemane pervenit ad montem Oliveti .

Videndum , unde , & qua , & quo iverit . Vt ante è Bethania solebat ire ad precandi locum : ita nunc eodem ex Hierusalem egreditur . Egressus autem è domo , ubi cœnaverat , atque instituerat , (ut Dionysius nuncupat) δέχθουμενος δεῖπνον . Hinc per urbem iit : ac transgressus est torrentem Cedron , è sublimiorum , quæ circumjacent , locorum aquis pluviosis incrementa sua capiente . Apud interpretem Syrum , ubi Græce est μέρον τημασός , legas רוגלהַרְבָּה lehebra dargeltha , h. c. ad transitum pedis . Quod Latinis fuerit , ad va-

dum sive locum, ubi pedibus per torrentem vadere liceret. Inde enim rado nomen. Quærerisatis otiose video, cur Christus pertransierit hunc torrentem. Ac volunt id fecisse, ut significaret se prope-
rare ad rem perpetuo memorandam, & ut aiunt cedro dignam. Sic Zacharias Episcopus Hierosolymitanus: & è Latinis Haimo, Thomas, Lyranus. Nec dubitat eam quoque adferre caussam vir eruditus Christophorus Pelargus: qui & quatuor rationes alias addidit: sed nihil meliores. Ut hanc caussam adferrent, eo impulsi fuere, quod putarent, hunc torrentem sic vocatum esse à cedris ejus loci. Et sane in plerisque codi. apud Ioannem legere est Ioa. xvii. 1. οὐδὲν οὐ κειμένος τὸ κέδρων, trans torrentem cedrorum. Quam lectionem etiam fecutus est Nonnus. Sed verius Euangelistæ codices, aliis οὐ κέδρων, vel αὐτῶς, κειμένος Κέδρων. Quomodo & vocabulum hoc sine articulo legitur 11 Regum xv. 23. & 111. Reg. xv. 13. & iv. Reg. xxiiii. 4. Eo autem minus putandum, torrentem hunc à cedris nomen accepisse, quod arbor ea non habeat simile vocabulum apud Hebraeos: sed iis cedrus sit אַרְזָה arizim. Torrenti vero inde nomen Κέδρων datum, quia in valle flucret umbrosa, coque coloris esset nigricantis, ob loci obscuritatem: puta ἡ τάρρη, Kad Ruth. h. e. nigritia, tenebra. Ab hoc torrente itum ad Olivariuni montem. Cum autem varia ejus sint montis loca, partem eam adiit, ubi prædium, & villa Γεθσμανῆ: נַעֲמָנָה, Ies. xxxvii. 1. Hortum vocat Ioannes: Hebrais notat vallem pinguem: unde liquet, non in monte fuisse, sed cis montem. Alii interpretantur vallem octavam vel octauum hortum; ut ex eo fuerit nomen, quia hortus foret octavus ab Hierusalem. Is locus, ut B. Hieronymus libro de locis Hebraicis auctor est, situs est ad pedem montis. Bocardus, qui curiose admodum lustravit Palæstinæ situm, ait, locum eum, ubi oravit Christus, concavæ rupi adhærere: hodieque ostenduntur saxa cavata: quod à vestigiis Christi precantis esse, communis est opinio. Sed cum Beda ipse dicat, magno eum locum studio frequentari solere ad preces ibidem fundendas, ubi eas fuderat Christus: non paullo est verisimilius, excavata esse crebra hominum frequentatione, qui precandi gratia, ac saepius fortasse curiositate quadam, eo com-
mearent.

2. §. Cum vero non potuerit Iudas ignorare, Christum eo se conferre solitum: neque ejus mentem nesciverit Christus;
nec

nec propterea remanserit, ubi fuerat: liquere arbitror, in orationis, quam convivii loco, capi maluisse.

Conveniens etiam fuit, ut sicuti Adamus prior male agendo perdidit nos in horto Eden, sive paradiſo: sic in horto Gethsemane Adamus secundus passionem suam ordiens, eadem ordiretur præcipuum nostræ redēmptionis opus à peccatis. Quam rationem Cyrilus, & Theophylactus ad Ioannis cap. xvi i i. annotarunt.

3. §. *Hinc non universos quidem discipulos reliquit; solos tamen secum adsums̄it, Petrum, & duos Zebedai filios, Iacobum, ac Ioannem; puta quos adhibere soleret in rebus secretioribus.*

Eos potissimum selegit, ut sicuti illos in monte habuerat gloriae suæ testes; ita nunc haberet spectatores religiosi certaminis cum infirmitate humana. Minus quippe scandalō futura iis fuit imbecilitas: qui soli interfuisserent transfigurationi.

4. §. *Tam gravia vero hic perpessus est Christus, ut hinc etiam possis ejus Passionem ordiri.*

Quod video facere inter alios etiam Christophorum Pelargum, Commentario in Euangelium Ioannis cap. xvi i i.

5. §. *Potius tamen præparationi ad passionem ea accensemus, quia hic precibus sollicitis ad Deum fusis animum ad passionem instantem præmunitivit: & iisdem ab Angelo solatum meruit ad acerba quoque animo infraicto deinceps suffferenda.*

Atque hæc ratio est, cur Passionem Dominicam, sic pressius dictam, libro proximo potius à capto, vincitoque Domino auspicemur.

6. §. *Gravitatem passionis tum Euangelistæ verba indicant; tum Christi ipius, quando ait, se sic commoveri, ut unde quaque tristis sit anima usque ad mortem.*

Matth. xxv i. 36. dicitur cœpisse λυπεῖσθαι, καὶ αἰδημονεῖν, h. c. contristari, & gravissime angi: Marci xiv, 33, cœpisse ἐνθυμεῖσθαι, ή αἰδημονεῖν, expavescere, & gravissime angi: ut optime translulit Beza.

Vim verbi non satis assecutus est vulgatus interpres, cum apud Matthæum ἀδημονεῖν reddit *mæstus esse*: minus etiam, cum apud Marcum reddit *tædere*. Sane Suidæ ἀδημονεῖν est λίαν λυπηθεῖν, valde λυπηθεῖν, valde tristem esse. Hesychio autem, cuius gravior etiam nobis auctoritas, ἀγωνιᾶν: quod est, *cum dolore*, & animi angoribus luctari. Vnde & Lucas xxii. 44, Christum fuisse ἐν ἀγωνίᾳ. Hæc Euangelistarum sunt verba: at illa Christi Matth. xxvii. 38: Περιλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἔως θανάτου, *Pertristis est anima mea usque ad mortem*: hoc est, sicut videmus in moribundis, prout exponit Euthymius. Nam *tristis*, ut est apud vulgatum interpretem, non sufficit voci exprimendæ, quia *ῳδι* in compositione auget. Vnde Aristoteles lib. iv. Ethic. cap. iii: Καὶ γέ τε δύναμαι φέματα τοῦτον, γέ τε αὐτούς φέματα. Neque in secundis valde latus erit, neque in adversis valde tristis. Nimirum *ῳδι* eam vim habet, quam apud Latinos per: ut in percitus, perdoctus: vel *præ*: ut in *præpinguis*, *prælustris*.

*Comment.
ad hunc
locum.

Valde autem falluntur, qui cum Origene * colligunt; quia dicuntur, Christum cæpisse contristari, eo volunt, solum principium doloris sensisse: eoque & cum ait Christus, animam suam esse pertristem, initium solum magnæ tristitiae intelligi. Nam huic sententiae adversatur, quod animam dieat esse φέματα, & usque ad mortem, hoc est, letaliter: item quod de grumis sanguinis refertur: denique reclamat precatio consecuta, & quod angelus ad solandum missus: de quorum singulis mox dicam. Etiam ex eo, quod Christus animam dicit esse undiquaque tristem, recte adversus Apollinarem colligitur, non fuisse Christo divinitatem loco animæ.

7. §. *Tanto angore, & mærore, stimulo optimo, compulsus Christus, tum ipse oravit Deum Patrem; tum Apostolis præcepit, ut, se paullo longius progreso, officio ne decessent in vigiliis, ac precibus. In orante Christo attenditur, tum dispositio orantis, tum oratio ipsa. Ad prius pertinet, quod oraret solitarius, ut oraret ardenter: quodque oratus, primum ceciderit in terram, quod summa submissionis est signum.*

Matth. xxvi. 36. 37. 38. 39. Mar. xiv. 32. 34. 35. Luc. xxii. 40. 41.

8. §. *In oratione tria considerantur, persona, quam orat, res,*

res, quam orat, & modus sive conditio, qua orat. Invocatur pater, cui Syrus interpres præmitit Abba.

Non quia aliud sit, ac Pater: sed quoniam ipsum sit vocabulum, quo usus sit Christus. Vel etiam quia Christus dixerit, Pater, pater mi: quomodo apud Syrum est, *Abbah, abbi*, h. e. Pater, pater mi. Vbi illud mi fidei, majoremque fiduciam declarat. Ut cum dicimus, *Pater noster.*

9. §. *Res, qua oratur, continetur his verbis, Transeat à me calix iste; sive poculum hoc: ut est Matth. xxvi. 39. Vbi per calicem, sive poculum, intelligitur afflictio, quam decreto Dei erat subiturus. Similis nempe locutio est, ac illa Matth. xx. 22: Potestisne bibere poculum quod ego bibiturus sum? Et ibid vers. 23: Poculum quidem meum bibetis. Item Ioa. xviii. 11: Annon bibam ipsum poculum, quod dedit mihi Pater?*

Vbi satis apertum est, intelligi non poculum suave, sive hilaritas: sed amarum, sive ebrietatis, omniumque malorum qua dare ebrietas consuevit: ut pluribus ostensum, cum explicaremus responsum Christi ad postulatum Salomes & filiorum Zebedæi.

10. §. *Modus, sive conditio, qua orat, indicatur, quando subjicit Christus, Si possibile, transeat à me calix iste: ut est apud Matth. xxvi. 39.*

Dixeris, sine conditione ponи apud Marcum xiv. 36: *Abba pater, omnia possibilia sunt tibi: aufer poculum à me hoc.* Sed pugna hic est nulla inter Euangelistas. Omnia Deus potest divinæ naturæ consentanea, nec *αὐτίλογίαν* continentia; dummodo non obstet decretum prius. Cum igitur ait Christus apud Matthæum, *Si possibile est;* sententia est, nisi decreto tuo contrarium definiveris.

11. §. *Affectum interea paruisse rationi, argumento est, quod Deum rogat, ut voluntas ejus fiat, non sua: hoc est, non id, quod expliceret, desiderium naturale.*

Non igitur exculpere hinc possumus geminam Christi voluntatem; sed potius duas unius voluntatis partes. Quarum prior ostendit,

dit, quid expertat, soluni attendendo naturam: altera, quid appetat, consideratis omnibus circumstantiis. Nec enim appetitus abolebatur in Christo, sed regebatur perfecte. Est quippe naturalis. Natura enim omnes aversamur mortem: quæ per se destruit naturam, nec à Deo est facta, sed invidia diaboli intravit mundum. Nec ulteriorius naturalis ille se exserit appetitus, quam ut feratur ad ea, quæ naturæ commoda sunt. Ratio vero expendit omnes circumstantias, ac deinde præfinit, quid factò sit opus. Quamdiu solum attendimus, quid appetat natura, unum videimus, non omnia, ut illis usus venit, quibus caligant oculi. Cuncta vero cernere incipiimus, ubi ratio omnes circumspicit ~~ad~~ ^{ad}spicit. Quamobrem dum solum obversatur, quid natura desideret, non possumus non mortem aversari. Sed per accidens etiam possumus eam desiderare, sedulo cogitando, ita Deum velle, proq[ue] vita hac redditum infinitis partibus meliorem. Quæ quidem in nobis etiam habent locum: in Christo autem se multo perfectius exserebant. Quippe in eo ratio quidem sivit, ut appetitus sensitivus appeteret, quod est suum: sed non ulteriorius sivit, quam placuit, vel decuit. Quare cum in Christo distinguere oporteat, quid appetitus appetat natura, & quid appetat cum moderamine rationis; liquet, mentem Christi verborum hanc esse: Natura abhorreō à morte, præsertim tani dura, quam instat. Eoque appetitus naturalis non alias est, quam ut calix iste passionis à me auferatur. Sed scio, quorsum in hunc mundum sim missus: eoque rationali appetitu non peto, quod naturæ desiderium exigit: sed potius voluntatem meam divinæ voluntati submitto. Hinc aliqui dicunt, prius illud esse *velletatem* potius, quam *voluntatem*: ut quod conditionem habeat. q. d. hunc, pater, calicem auferri vellem, si tu velles: sed volo, quod tu vis. Vel si hic etiam, ut fit apud Matthæum, particulam si retineas, omnino, cum dicitur, *volo, si vis*, valebit, *Quandoquidem vis, plane acquiesco*. Nec enim Christus, quid pater vellet, ignorabat. Atque hinc etiam liquet, quomodo intelligi debeant veteres, cum ex hoc loco differunt adversus Eutychianos, & Monothelitas. Duplicem enim Christi voluntatem hinc collegere veteres: corumque sententia est firmata in Concilio Lateranensi Rominano cl episcoporum, præside Papa Romano Martino primo, anno I^oc^{xxix}l^{ix}, & exinde in altero Concilio Romano, cxxv Episcoporum, præside Agathone, Romano episcopo, ac denique synodo vi generali Constantinopoli celebrata an. I^oc^{lxxxii}i. Interim

terim hæc voluntas Christi , qua mortem recusavit , licet plena fuit , conditionata tamen , quia sententia est , Non quidem nolo mori ; sed nolle mori , si fieri posset . Quæ voluntas non est peccatum , quia nulli repugnat præcepto . Neque cum Christus desiderium suum subjicit voluntati divinæ , tamen orationem corrigit , quam perficit . Nam desiderium quidem naturale præcessit : sed sequitur , quod congrueret cum eo propter quod venerat in mundum : ut appetitus illi non fuerint adversi , sed diversi : utpote à diversis facultatibus adversi .

12. §. Etiam indicat angoris hujus magnitudinem , quod ter eo angore corruptus , toties etiam oravit , magno ut anxietatis , sic etiam pietatis arguento .

Nec obstat Lucas : quia is ternas & anxietates , & preces , uno ἀγωνίας & orationis vocabulo complexus fuit .

13. §. Præterea certissimum est maxime anxietatis indicium , quod sic sudavit , ut sanguinis grumi defluerent in terram .

Nec enim , quod dicitur , ὁσὲὶ Θεόμεοι δι αἷμα , id nuda comparatio est , quod voluit Euthymius : vel proverbialis hyperbole , sicut creditit Theophylactus : sed vere , & simpliciter capiendum . Nimirum sanguis guttatum manabat , propemodum , sicut ictis ab eo serpentis genere , cui inde hamorrhœi nomen . In Christo vel , deficiente sudoris materie , tenuior etiam sanguis profluxit ; ut vult Cajetanus : vel , crassiori sudoris materie se permiscens , istos sanguinolentos sudoris grumos effecit . Sane rarum quidem hoc , nec tamen plane adversum naturæ ; ut testatur Aristoteles lib . vi i Hist . Animal . cap . xvi , & lib . 111 de Part . Animal . cap . v . Atque historici alia etiam exempla suggerunt . Vide & Galenum lib . iv , & vii Methodi medendi . Διαπηδησιν vocant : quando nempe sanguis serofus , isque tenuis & calidus , rarefactis vasorum tunicis , vel osculis , per cæcos cutis meatus , sudoris in modum , parvis grumulis transmittitur .

14. §. Denique tanta fuit anxietas , ut etiam angelum Deus calitus mitteret , qui confirmaret . Porro hoc non post pri- mas , sed postremas preces , contigisse , existimandum . Nec enim verisimile est , post missum angelum anxietatem nihil remisisse .

In nonnullis Græcorum, & Latinorum codd. omittitur illud de guttis sanguincis, & angeli confirmatione: ut testantur Hilarius lib. x de Trinitate, & Hieronymus lib. i i aduersus Pelagianos. Nempe videntur ea præteriisse, quia putarent, non convenire Christo tanta naturalis in homine imbecillitatis documenta. Hieronymi quidem verba sunt ista: *In quibusdam exemplaribus, tam Græcis, quam Latinis, invenitur, scribente Luca, Apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum, hanc dubie dominum Salvatorem.* Hieronymum interim agnoscit ea verba pro genuinis, ostendunt hæc ejus verba: *Salvator in passione ab angelo confortatur: & Critobulus meus non indiget auxilio Dei.*

15. §. Mirantur non pauci tantam anxietatem: eo magis, quia martyrum plurimi ad mortem processerint alacres, ac leti. Veterum nonnulli aiunt, sic doluisse non propter se, sed propter alios, partim amicos, partim inimicos: illorum periculum; horum etiam exitium, prævidisse.

Ambrosius in Lucam cap. xxii: Tristis videbatur, & tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Denique ait: Percutiam pastorem, & dispergentur omnes. Tristis enim, quia nos pàrvulos relinquebat &c. Neque distat à vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos. Hieronymus in Matth. cap. xxiv: Contristabatur non timore patiendi, qui ad hoc venerat, ut pateretur, & Petrum timoris arguerat: sed propter infelicissimum Iudam, & scandalum omnium Apostolorum, & rejectionem populi Iudeorum &c. Tunc ait illis, Tristis est anima mea usque ad mortem &c. Quæ contristatur, anima est: & non propter mortem; sed usque ad mortem contristatur, donec Apostolos sua liberet passione.

16. §. Sed uti ista magnum attulisse Christo mærem exstimo: ita non dubito, quin angor ille imprimis sit profectus ab instantis horrendæ passionis metu, τῷ Αγρῷ, sive divina Christi natura, nolente exercere suam potentiam, ut sic, ad tempus, humana paciente natura, graviores perpetetur pœnas pro nobis. Itaque non tam angebatur ob passionem, quam ob passionis causam.

Vt recte observavit Thomas Aquinas: idque præeunte B. Ambrosio in cap. xxii Lucæ.

17. §. Nempe animo Christi obversabatur ira Dei ob peccata-

ta generis humani, propter que atrox adeo supplicium esset subiturus. Martyres autem Deum sensere placatum; eoque cum gaudio accedebant ad tormenta, & mortem præsentissimam. Præterea in hac supplicii acerbitate, à Patre imposita; sponteque suscepta, non, ut in martyribus, solum oppugnabatur bonum animale, quod commune iis cum Christo fuit, sed etiam bonum spirituale, communioque cum Deo. Nec opitulabatur Λόγος infirmitati humanæ: unde illud, Deus mihi, cur me deseruisti?

De quo bifariam hic videoas peccari à compluribus. Sunt qui nimis jejune loquuntur: sunt qui nimis exaggerent. Prius faciunt, qui inter Christi & martyrum cruciatus non distingunt, cum hi solum pertulerint corporis cruciatus, in Christo iinprimis attendere oporteat cruciatus animæ. Etiam in martyres ubertim solatia à Spiritu S. defluebant: in Christo cessabant ad tempus solita solatia. Martyres non sentiebant Deiram: sentiebat Christus, non quidem erga se, sed erga genus humanum, pro quo se stiterat vadem.

Nimis vero cruciatus Christi exaggerant, qui existimant, ita fuisse inferni cruciatibus immersum, ut dubitarit de amore Dei, nec spem senserit emergendi è tantis malis. Sensit Christus tantum dolorem quantus cadere possit in animani, sed Dei amantem, Deoque caram: de cuius erga se amore nec leviter dubitavit, nec tantillum desperavit: quemadmodum nec ullos conscientia angores persensit, sponte omnibus malis obviam ivit, latroni etiam promisit paradisum: animam etiam cum magnō clamore exhalavit: infiniti fuere cruciatus, verum non tempore, vel magnitudine, sed personæ dignitate. Plura si de ipsis voles, vide Robertum Loeum Angulum in Effigiatione veri Sabbatismi*.

18. §. Videamus nunc, cujusmodi in hoc animi sui angore sermo fuerit Christi cum tribus discipulis. Mandarat iis, ut dum anima ejus usque adeo tristis foret, illi sustinerent, & seqq.
una cum Christo vigilarent. Inde paullum progressus, in faciem prociderat, Deumque orarat. Hinc rediit ad suos: quos reperit dormientes. Tum Petro dixit, Non potuistis una mecum hora, hoc est, brevissimo tempore, vigilare?

* Edit. Lond.
din. an.
1605. pag.
122. & 9.

Vbi Petrum potissimum compellat, quia is jactantius sese antea gesserat: ut nunc præcipue ejus esset vigilare.

19. §. *Tum iterum precepit hoc pacto: Vigilate, & orate, ne intretis in temptationem.*

Græce est, γεννησατε. quod proprie valet, ne somno indulgete: sed figurate significat, attendite rebus vestris. Hic id verbi sumitur communiter, Επιστολὴν, neimpe tum proprie, tum tralatitie: cuius generis compluria adduxi exempla Institutionum Oratoriarum lib. iv. cap. x sect. vii. Sententia igitur est Christi, non convenire Apostolis, ut nunc sint sonniculosi, cum gravissima immineat tentatio, quia jam jam morti sit tradendus. Non poterat aliter esse, quin iis, qui temporale; ac mundanum Christi regnum somniarent, ea res gravi esset offendiculo. Proinde jubet eos orare, ne intrent in temptationem: h. e. non ut ne tententur, quod ex decreto de morte Christi omnino consequebatur; sed ne temptationi gravissimæ, quam effugere non liceret, turpiter succumperent.

20. §. *Atque ut ad orandum magis excitaret, addidit quoque pulchram hanc ψώμων: Spiritus quidem promptus est, at caro infirmă.*

Græce est Math. xxv. 41: Τὸ μὲν πνεῦμα ἡγεθύμον, ἡ δὲ σάρξ ἀσθενής. Per πνεῦμα, sive spiritum, signatur facultas animæ ea, quæ dicitat, quid recta ratio postulet. Per carnem vero facultas illa, quæ suadet, ut obsequiamur desideriis carnis. Πνεῦμα igitur, ut alibi saepius, ita hic est, quod Apostolo Paulo tum νῆσι sive mens vocatur, tum ὁ εσωτερὸς ἄνθρωπος, interior homo. Nec tamen πνεῦμα hominis sic semper accipi putandum. Nam pro toto animo, sive utraque animæ facultate legimus Matth. v. 3. μακαρίον πνεύματι, & Act. xix. 21, de Paulo, qui decesset ἐν πνεύματi, transita Macedonia, & Achaia, ire Hierosolymam.

21. §. *Iterum inde abiit, ac oravit, ut superius relatum. Secundoque reversus ad discipulos, secundo reperit dormientes. Videlicet oculi plane erant gravati præmæstitudine. nec satis ipsi capiebant, quid dicerent.*

Cur mœsti remedium à somno petant, diximus lib. iii. Idolatriæ gentilis, & Physiologiæ Christianæ cap. xxxiv.

22. §. Ter-

22. §. *Tertio recessit, ac non verbis quidem, sententia tamen, eadem precatus fuit. Sed tertio rediens, denuo dormientes invenit discipulos: quos sic compellavit^a:* Dor-^{2 Matt.}
mite jam, & requiescite. Quae est εἰπωνικὴ concessio.^{26. 45.}
Nam, ob advenientes milites dormire iis non permitteba-
tur. Sequitur enim: Ecce appropinquavit hora, &
Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Sur-
gite, eamus. Ecce, appropinquavit, qui me tradet.

Vbi per horam intelligit mortis tempus. Vti & sumitur Ioa. xii, 27:
Pater, servato me ex hora hac, sed propterea veni in horam hanc. Per pec-
catores autem (ἀμαρτωλούς) milites Romanos ē cohorte illa, quam
Præses Romanus festis soleret diebus adhibere ad templi custodiam
*vigilibus Iudæis: quos ἡγρέτας in Euangelio vocant Marcus^b, ac^b Marci
 Ioannes^c, & in Actis Lucas^d. Ipsam cohortem πετίχη nominat^{14. 65.}
 Matthæus^e, & Ioannes^f: πάξιν Flavius Iosephus: quem de hac con-^{c. 6. 32. &}
 suetudine vide lib. viii. Antiquit. Iudaic. cap. iv. Στεφανὸς τῷ ἵερῷ,^{45. Item}
 sive vigilum præfectus, ut Romani vocatassent, unus erat ē facerdo-^{c. 18. 3. 12.}
 tibus, dignitate Pontifici Maximo proximus. De quo fusius dissc-^{& 22. Ad-}
 ruit illustrissimus Hugo Grotius.^{hac c. 19. 6.}*

F I N I S L I B R I P R I M I .



GERARDI IOANNIS VOSSII

HARMONIAE EVANGELICÆ

D E

DOMINICA PASSIONE,
Morte, Resurrectione, ac Ascensione,

LIBER SECUNDVS:

Qui est de passione, morte, ac sepultura.

C A P. I.

De apprehensione Christi, prima ejus
passionis parte.

I. §.



*Ec fere sunt, quæ dicere habui de iis, que
præcessere passionem Dominicam, ac proxime
quidem, de Christo sc̄e precibus sanctis prapa-
rante ad Passionem, ac quodammodo etiam
auspicante.*

Omni pene vita multa quidem Christus perpessus fuit: sed ea re-
ctius censentur nomine περιπαθείας, q. d. *propagationis*, quibus probari
oportuit patientiam, ac tolerantiam Christi priusquam in vita ex-
tremo gravissima illa, & animo, & corpore, sustineret. Quod
non ita capiendum, quasi Deus non antea perfecte sciret, quantum
perferre Iesus posset: sed quia idem vellet cognoscere scientia, ut
vocant, experimentalis: secundum quem modum Deus etiam in
Scripturis saepius aliquid cognovisse dicitur: ut Genes. xxii. 12, &
alibi. De hujusmodi igitur passione nunc loquemur. Ac uti obe-
dientia communis initium capit à circumcisione, ministerium à ba-
ptismo; ita passio hoc modo intellecta incipit à captivitate.

2. §. Pas-

2. §. *Passus autem, non prout est Λέγονται, sed quatenus car-*
nem adsumit.

Aliter illi, qui dicebant, Επαγγελίου οὐ Θεός, αἰσθέλησεν^a, *Passus Deus*, ^a Athanasius tom. 2.
sicut voluit. Sed eos in suo adversus illos sermone abunde refellit Athanasius. Culpat vero, quod de natura rogati, quæ passione obnoxia non est, respondeant de voluntate, quæ naturæ nequit repugnare, cum Deus nequeat se ipsum negare, teste Apostolo^b. Hinc est, quod ait, σὺ με φωνῶν δεῖ τὴν φύσιν τὴν βεβλησσον εἶναι, consentaneam de- pag. 301.
cet naturæ esse voluntatem. Hoc ab iis negligi, quia adscribant Deo
τὸν ἐφαρμόζοντα θεία φύσιν. non convenientia naturæ divinæ.

3. §. *Passionis sex facimus partes pro sex locis, in quibus Christus fuit.*

Sed septem partes pro septenis fuerint locis, si annumeremus angores, quos in horto Gethsemane est perpassus, paullo antequam caperetur: uti dictum extremo libro præcedente. Malui vero passionem ordiri ab eo tempore, quo cœpit in hostium esse potestate, ut dixi. Id quo pacto evenerit, deinceps exponam.

4. §. *Prima Passionis pars est, quod, à monte olivarum pro-*
grediens Iesum, proditione Iudeæ capitur, mox vincitur, ad
Annae domum rapitur, atque ab eo, ita uti erat ligatus,
ad Caiaphæ domum mittitur. In hac parte, quæ varias cir-
cumstantias complectitur, primum considerabimus, quomo-
do Iesum, omnium, quæ futura erant, gnarus, processerit
obviam Iudeæ, adventanti cum cohorte Romana, & Iudeis
ministris, perpetuis templi custodibus: idque cum laternis,
facibus & armis: ut est Ioan. xvii. 3.

Cohortem vocat περίεργην. Erat vero Romanis cohors sexcentorum militum. Nam, ut L. Cincius apud Agellium ait lib. xvii cap. iv: *In legione sunt centuria sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.* Cohorti qui præcesset, tribunus dictus: uti & qui legioni. Nempe duplices fuere tribuni, alii legionis, alii cohortis. De priori Horatius^c: *Quod mihi pareret legio Romana tribuno.*

Nec tamen unus uni legioni tribunus: sed senis commune impe- sat. 6.
rium: sic interim, ut per vices bini binique regerent. Hic de tribu-

no non legionis, sed cohortis est sermo: Sane vulgatus interpres tribunum vocat: idque præente Cæsare lib. 11 belli Civilis, & Plinio lib. 111 Epistol. Ac vetus Iuvenalis Scholiaastes, illud sat. 1: Curam sperare cohortis; interpretatur Tribunatum militum. Quod jamdiu Lipio monitum lib. 11 De militia Romana. Dial. ix. v. Qui vero Romanis tribunus, is Græcis χλιαρχος, etiam si cohorti solum præflet. Hinc Ioa. xvii. 12: Η' ον απειρος, και ο χλιαρχος, και οι ωντες της ισδαιων συνιλαβον την ησσην, και οι θρηνουσιν. Cohors sigitur, & tribunus, ac ministri Iudaorum, comprehendunt Iesum, & ligaverunt eum. Proprie tamen χλιαρχης vel χλιαρχος millenarius: ut non satis apte sic reddatur. Græcis quidem χλιαρχος præferat militibus milie: sed Romanis tribunus cohortis, ut dixi, tantum præfuit sexcentis: legionis autem, sex millibus. Nec tamen censeo, sexcentos milites ad unum Iesum capiendum missos fuisse. Verisimilius est, bonam partem permanuisse in Urbe ad custodiā templi. Ut απειρος sive cohortis vox hic ρητη συνatur. Magnus vero ille ardor capiendo Christi, quod in ipso plenilunio veniunt cum facibus, & linternis. Nam quorsum hoc, nisi ut angulos omnes perreptarent, nec ubi forte abditus lateret?

5. §. Porro Iudas, qui huic turbæ praibat, eam monuerat, ut quia Christum non nosset, illum apprehenderent, quem ipse oscularetur. Ergo simul ac Christus in conspectum venit, inquit ei, Ave, rabbi, & osculum ei dedit. Iesus qui præsciret, quid esset futurum, sic eum est affatus, Amice, ad quid venisti? Iuda, osculo filium hominis tradis?

Augustinus serm. cxvi de Tempore: O signum sacrilegium, ubi osculo incipitur signum: per pacis indicium rumpitur pacis sacramentum. Videlicet ut Ioab*, filius Sarvia, Amasam, quem David exercitus ducem constituerat, osculo exceptit, atque addidit, Salve, misfrater: verum occulte eum, præ invidia, transfodit; ita & Iudas Iscariot, amorem simulans, domino, quem prodere vellet, osculum, pacis symbolum, dedit. Nempe ut nos salutantes saepe manum alterius apprehendiimus: ita ex Orientalium more, salutantes, se invicem osculabantur. Vnde Paulus 1 Corinth. xv, Salutate vos invicem in osculo sancto. Neque hoc solum in salutando: sed alias etiam in dilectionis mutua signum: ut videre est ex Luc. vii. 44. Atque à Iudeis acce-

* 2 Reg. si-
ve Sam. 20.

accepere Christiani , ut liquet , cum alicunde , tum ex Iustini Apologetico , & Tertulliani secundo ad uxorem. Imo hodieque eum morem observant Ecclesiae Orientis. Usque adeo autem veteres Christiani detestabantur hujus osculi memoriam , ut propterea , quo tempore Passionis Dominicæ memoria recoleretur , osculo abstinerent. Amalarius Fortunatus de Ecclesiasticis Offic. lib. i. cap. xiii: *A pacis osculo in ihs diebus nos abstinemus , non quod pacis osculum malum sit , ubi ex caritate vera profertur : sed ut demonstretur , quam injuriam passus fit Christus à suo proditore : ut & nos vitemus eandem injuriam in fratribus.* Idem innuit lib. iii cap. xliv. Etiam apud Ruptum Tuitensem est lib. vii de Divinis Offic. cap. xi: *Iuda traditoris probosum execrantes , & anathemizantes osculum , quo filium hominis tradens , sanctum & innocens Apostolorum infamavit collegium apud eos , qui soris erant , & occasionem maledicendi præbuit detestandique eos , quorum sanctitatis estimatio magna fuerat ; ut de illis tale quid cantitarent , quale illud est , Et crimine ab uno Disce omnes.*

6. §. Hinc Iesus ab Iuda propius iit ad turbam.

Atque ita , qui cum ad regnum quereretur , aufugit , quæsus ad crucem ultro se obtulit : ut est apud Petrum Damiani sermone de S. Eleucadio * : item Bernardum sermone de S. adventu.

* Sub finem.

7. §. Hinc alacri animo turbam rogavit , quem quererent.

Non quasi nesciret ; sed ut , ipsis hoc referentibus , comminodam haberet occasionem àperiendi sui. Oculi enim eorum sic divinitatis vitæ tenebantur , ut , quem tenerent , nescirent ; ne quidem dux eorum Iudas.

8. §. Illis ergo respondentibus , queri à se Iesum Nazarenum , Christus se illum esse professus est. Tum illi retro cesserunt , quasi potentia Christi difflarentur , inque terram conciderunt supini.

Ita videmus , ut quemadmodum in vita reliqua , sic quoque in extrema , ostenderit Christus , tum humilitatem ac benignitatem , tum majestatem ac potentiam. Humilitatis erat , quod Iudam proditorem admitteret ad osculum. Majestatis , quod , vocibus istis , *Ego sum , prosterneret inimicorum catervam.* Nempe vis ista Dei in carne latentis , Dei illius , quo surgente disperguntur , & pereunt omnes inimici :

inimici: ut est Psal. LXVIII. Vide Ambrosium in Psal. XXXIX, Augustinum tractat. cxii in Ioan. & Gregorium Mag. lib. XXXI Mortal. cap. viii. Ea Iudam, & turbam, debuerat à scelesto proposito revocare. Nunc non alio æque valuere, quam ut eos redderet inexcusabiles. Quodsi parvalicet componere magnis: aliquid simile in Romana habemus historia. Nam ut ait Valerius Max. lib. viii cap. ix, Mis̄i à sevisimis ducibus (Mario, Cinnaque) milites ad M. Antonium (oratorem) obruncandum, sermone ejus obstupefacti distractos jam, & vibrantes gladios, cruento vacuos, vaginis reddiderunt. Ac Velleius de eodem lib. 11, gladiis militum; quos facundia sua moratus erat, jussu Marii Cinnaque confessus est. Ac similiter Plutarchus in Mario, & Appianus lib. 1 belli civilis.

9. §. Surrexisse hinc videntur, qui ceciderant. Denuo eos rogavit, quem quererent. Illi, quia miraculo ista à consumacia non recesserant, iterum reposuere nomen Iesu. Christus rursum indicare, se illum esse. Sed rogavit, ut se si quererent, discipulos pro quibus sollicitus quoque erat, permitterent abire.

Atque ita sicut est apud Ioannem XVI 11, 9.) impletum est, quod * Ioa. 17. 12. oratione sua ad Patrem dixerat *, Eorum quos mihi dedisti, perdidi neminem. Puta, præter perditionis filium. Aliorum negat se ullum perdidisse, vel corporis, vel animæ ratione: sed servasse universos, quo postea spiritum S. acciperent, & incrementa conspiccerent regni Messix. Eo quoque dimisit discipulos, quia ostendere voluit durare amorem suum usque ad finem; ut est Ioan. xiiii. Quam rationem adducit Theophylactus in Ioa. cap. XVI 11. Tum etiam quia solus pati deberet, sine alienis auxiliis: ut est Esai. LXII. Item quianollet discipulos tentari supra vires: sicut legimus i Cor. x. 13.

10. §. Tum demum manus injecta est Domino à milite Romano, templi custode. Nempe ut præceperat Synedrium.

Concurrunt hic major, minorque potestas. Major est senatorum Synedrii. qui Matthæo xxvi. 47. dicuntur Σέχαρεῖς, καὶ πρεσβύτεροι Ἐλαζ. ac Levit. iv. 15, οἱ πρεσβύτεροι τὸ σωμαγωῆς τῷ γῶνι ἰσχεύλ. Ab his diversi fuere singularum civitatum senatorès, qui dicti πρεσβύτεροι τῷ πόλεων. At minor, quæ hic concurrit, potestas est

est *Σεργίους*, sive præfecti vigilum Iudaicorum ac Romanæ cohortis, quæ die festo ob majus periculum in tanto undique hominum confluxu vigilibus templi ordinariis à Præside Romano addi ex Antonia solebat. Nam in hanc etiam cohorte in potestatem fuisse sacerdotibus, arguit illud Pilati, Κεσωδίαν ἔχειν. de quo postea dicemus.

11. §. *Ex iis, quorum fervor in apprehendendo Christo præcipue eluxit, videtur fuisse Malchus.*

Hoc nomen sonat regem. Sed re erat servus: nempe famulus principis sacerdotum. Ac doctissimus, sed virulentus Christianæ religionis hostis, Porphyrius, primitus idem *Malchi* nomen habuit: unde vita Pythagoræ ab eo exarata Malcho inscribitur: ut videre est ex editione Rittershusii: postea autem nomen maluit Πορφυρίος: quomodo reddidit Græce, quia reges gaudent purpura.

12. §. *Discipuli cum quid rerum ageretur, viderunt, rogarere Christum, an non esset tempus gladios educendi, quos peregrinantium more gestarent. Petrus vero, injussu etiam Christi, auriculam abscidit Malcho. Quod Christus male tulit. Itaque & eam Malcho restituit, & Petrum objurgavit, atque officii commonuit.*

Quantus fuerit Petri zelus, multis Scripturæ locis dilucet. Igitur servo, manum injicienti Christo, medium diffindere caput cogitabat. Factum valde imprudens. Nam quid unus potuisset adversus tamen multos? Quin vero sic potius nocuisset & sibi, & domino. Ac sibi quidem, quia grandis sit culpa publicos violare ministros. Domino autem, quia videri poterat jussu ejus fecisse. Sed Deus ita direxit ictum, ut nonnisi dextram amputaret oricillam; non sic quidein, puto, ut ea decideret humi, sed ut de aure deppenderet. Hoc vulnus sanasse Christum dicit Lucas. Nec contentus eo Dominus, factum illius publice improbavit.

13. §. *In admonitione ea Petri attendere oportet; tum cuius illum rei commoneat; tum quibus de cauſis. Monet autem, ut gladium recondat in vaginam. Ratio adſertur huiusmodi, quod qui gladium eduxerit, gladio sit periturus.*

Excutit ea verba Cajetanus Ientaculi sexti Quæſtione tertia.

Omnino autem non vaticinium est, sed comminatio. Ut Genes. ix: *Omnis, qui effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis effundetur.* Quo pacto aliqui etiam verba illa capiunt: *Quocunque die comedeleris de arbore vetita, morte morieris.* Censent enim, salva ejus dicti veritate, potuisse Deum ignoroscere: sed maluisse alterum, atque id convenientius, vel saltem non minus convenientis judicasse. *Quam quæstionem alibi diligentius expendimus.*

Dixeris, licere vim vi repellere: atque id factum esse à Petro; qui non occidendi quemquam libidine, sed ut iniquam vim à Domino arceret, gladio usus sit. Verum aliter est. Nam et si non teneamur vim vi repellere, etiam adversus latrones: esse tamen id concessum cuique. At vim inferre magistratui, vel, cum publica auctoritate missis, neutquam jus esse, ne quidem inique si judicent, sed vindictam tum Domino esse committendam.

Toleranda igitur tum vis, etiam injusta: quia nisi à privatis hæc vis feratur, effreni licentiae, ac tumultibus porta aperitur, nullaque vel legum, vel judiciorum, futura est auctoritas. Sanc sic animati fuere veteres Christiani, qui innocentes nocentibus cedebant, occidi malentes, quam occidere; etiam cum vires ad ultionem, suique defensionem minime deserent: ut ostendunt Tertullianus in Apologetico, & Cyprianus ad Demetrianum.

14. §. *Addit etiam Iesus, nec tali sibi defensione opus esse: ut qui, non dico xii angelos, sed vel angelorum legiones xii, possit impetrare à Patre.*

Legio una sex millium erat: ut è Vegetio, atque aliis, constat. At qui angelus unicus in exercitu Senacheribi occidere potuit CLXXXV militum millia. Quid igitur ad hæc una Romanorum militum cohors?

Miretur aliquis eum, qui tantum posset, non scilicet viribus eripuisse periculo. Respondet ipse, decretum obstitisse divinum, prophetarum oraculis indicatum, cui obniti sit nefas.

15. §. *Præterea dixit Christus turbæ, Matt. xxvi. 55.*

Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus (*sive clavis,*) comprehendere me. Quotidie apud vos fedebam, docens in templo, & non me tenuistis.

Græce est, νομίσειν ἐνεργήσατε με. Quo significavit, se capi ab il-
lis voluntate Patris, non eorum viribus. Atque id manifestius fa-
ciunt verba, quæ subjunxit: Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebra-
rum. Quasi dicat: Antea cum diebus singulis vobis in loco pu-
blico considerem, non injecisti manus, quia nondum venerat ho-
ra illa, qua vobis & tenebrarum spiritibus & malorum spirituum
ministris in ignorantia tenebris adhuc degentibus omnia hæc à Pa-
tre meo cælesti permittuntur.

16. §. Dehinc fugere discipuli, alii post alios, diutius, ut vi-
detur, subsistente Petro, ac post illum etiam Ioanne.

Qui cap. xviii. 4. & seqq. refert deinde gesta, sed per retro-
gessum: nempe ante illa de abscessâ Malcho auricula. Alii quod
omnes fugisse dicuntur, aliter conciliant. Nam primo & Petrum,
ac Ioannem, fugisse: sed postmodum reversos, ac Christum secutos.

17. §. Dum Christus capitulatur, fugientibus discipulis, juveni-
cuidam, qui non longe aberat, manus fuere injectæ; ille
autem cum sola sindone esset induitus, in manibus eam arri-
pientium reliquit, atque ita plane nudus ausfugit.

Nempe sindon nocturna erat vestis, quæ θηταμίσω nostro, sive
indusio respondet. Sanc cubitoriam fuisse vestem, indicant illa Dio-
nysii, Alexandrini episcopi, apud Eusebium*: Καὶ γὰρ μὲν, οἶδεν δὲ Θεὸς,
Θεὸς, ὡς ληστὰς εἴναι τρέπετον ἡγάπετον θητῶν αὐτοῖς ἀπο-
κλεῖσσες, μέμνων θητῶν τὸ δύνατον γυνών ἐν τῷ λινῷ ἐστήματι, τῷ λο-
πῷ ἐδῆται ταχακευόμενοι τοῖς ὄφεσι. Equidem, scit Deus, ut primo ex-
istimans latrones esse, ad prædam rapinamque venientes, inque lectulo ma-
nens, ubi nudus eram linea in veste, reliquam vestem, quæ prope sita erat, il-
lis porrexerim. Vides, ut dicat, nudum in linea veste, non quasi pror-
sus nudus, sed quia prope nudus. Vnde Galenus: Μὴ γυνών κομιζέ-
ω, αἰλαὶ θητεῖς ελημένοι τινάδοια μηνὶ ψυχεψάν, η ἐπερον θητεῖς ελημένα.
Ne nudus feratur, sed contextus sindone non frigida, aliore amictu. Quasi
dicat, si non veste exteriori, minimum saltem sindone, sive interiori
tunica linea. Glossæ vett. Σινδὼν, tunica linea. Itaque parum quis tu-
tus in ea adversus injurias aëris. Vnde de endromide Sequanica sic
Martialis:

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbræ:
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

* Histor.
Eccles. lib.
6. Histor.
cap. 40.

Sententiam puto : Elegans quidem est Tyria sindon: sed tutior
 * Exercita- multo sis endromide Sequanica. Nisi cum Casaubono* malis ex-
 tione 16 ad tremo loco , cultus eris. Ut commendet non modo ab utilitate , sed
 Annales etiam elegantia. Sed non possum in animum inducere de elegantia
 Baronii. ejus vestis , qua uterentur adversus pluviam , & ventos. Quicquid
 est , interius gestabatur , imo sola quandoque ab iis , qui vitam se-
 carentur ἀστραγάλῳ: ut Serapio ille , qui , quia sindone sola amictus
 obambularet , Sindonites dicebatur: teste Theodoreto , & Palladio
 in Lausiacis. Videtur autem juvenis ille , qui relicta sindone in mili-
 tum manu plane mundus aufugit , non tam è propinqua domo ad
 nocturnum clamorem è lectulo sic subito accurrisse , quam è domo ,
 ubi pascha cum Christi discipulis comedisset , amore Christi fecutus
 esse. Ac Theophylactus cum varias adferat opiniones , hanc primo
 recenset loco. Habes & apud Euthymium. Nec eum casu , ob tu-
 multum excitatum , ut aliqui volunt , accurrisse , arguunt illa Euangeli-
 listæ verba , ἥπατος ἀπόστολος. Quorum verborum non alia est mens ,
 quam quod fecutus sit Christum , jam antequam ex Iudea adventu
 tumultus esset excitatus. Nempe amabat Christum , & sequebatur
 ob periculum , quod ei intellexerat imminentem. Iam ante tamen cu-
 bitum se receperat : ut indicio est , quod solum sindone fuerit indu-
 tus. Sed quia cognorat , quid ageretur ; cum in lecto jam jaceret ,
 surrexit: atque ita sine veste exteriori , quia nox erat , Christum se-
 qui non dubitavit. Qui cum Ambroſio , Gregorio , Beda , aliis
 censem , B. Ioannem fuisse , magnos quidem sequuntur auctores , &
 inclinare etiam eo videtur Baronius ad an. xxxiv num. xxxix: sed
 nihil solidi pro se afferunt. Nec enim ille dormitus cubuerat : sed
 in tricliniari lecto cibum sumferat , ubi exterior vestis poni non so-
 let ; nisi forte à delicioribus , qui coenatoriam assumerent. Non
 is mos discipulis Christi. Atque ut in tunica jacuisset Ioannes ,
 quod neutquam est verisimile , pudor suadet , ut credamus , ex-
 iturum eam non iterum adsumsisse. Fortasse nec satis convenit ,
 quod diminutive ρεανίον appellatur. Verum vox calaxius sumi-
 tur: unde vulgatus vertit adolescens. Imo & in codd. nonnullis
 ρεανίον vocantur , quihunc ρεανίον apprehenderunt. Sed Syrus
 habet , ut vulgata.

18. §. Nec cohortis prefecto sufficere visum , si caperent
 Christum. Etiam vincis constrinxit.

Augustinus in Ioan. tract. cxii : *Ligaverunt eum , à quo potius solvi debebant , & liberati dicere : Diripiisti vincula mea &c.*

19. §. *Quod factum è consilio Iudee. Nam dixerat ille , ut est Marci xiv. 44 : Comprehendite (quem osculatus fuero) & abducite caute. Græce , ἀπάγετε αὐτὸν*

Veritus is , credo , ne inconspicuus elaberetur è turba ; quod antea contigerat non semel.

20. §. *Cumque ligare volentes posset nullo negotio vel effugere , vel impedire : passus eos tamen : idque propter nos , ne nos (ut loquitur Iudas vers. 5 & 6) ad judicium magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservaremur.*

Quod immensi fuit amoris erga nos : imo & humilitatis. cui hoc tribuit Ambrosius in epist. poster. ad Philippenses : sed humilitatis generosæ , & conjunctæ cum sapientia , quæ longe omnem humanam exsuperaret. Vnde Augustinus in Psal. lxvii : Quid tam simile est imprudentia , quam cum haberet in potestate , una voce suos persecutores prosternere , patienter se teneri ? &c. Stultum videtur : sed stultum hoc superat omnes sapientes.

21. §. *Ita ligatus deducitur ad domum Annæ.*

Hoc honoris est habitum Annæ , quia foret socer Caiaphæ , principis sacerdotum : quem credibile est , nihil magni sine socero agere solere. Et erat ejus dominus in via ; ut prætereunda foret euntibus ad Caiapham : quemadmodum ait Augustinus in Ioanneum tractat. cxii. Ut verisimile sit , milites voluisse oculos senis pascere ejus spectaculo quem in triumphum ducerent : ut est apud Chrysostomum in Ioa. homil. xxvii. Et credo , dum hic est , aliqui præcurrere , qui , Caiaphæ significarent de capto Iesu , quo quam primum posset concilium convocare. Hæc ut simpliciora , sic veriora , puto , quam caussam illatam à Cyrillo lib. xi cap. xxxvii , quod ille Iude proditori paclam mercedem promisisset , & illa etiam nocte solvisset. Nam quid opus recurrere ad conjecturam tam incertam ?

22. §. *In ea domo multa Iesus creditur percessus , quæ ab Euangelistis narrantur. Sed cuncta illa ad Caiaphæ domum*

mum pertinere, parebit Ioannem cum tribus Euangeliis conferenti.

Ab Anna igitur nihil actum statuimus, nisi quod, sicuti viderat Christum ligatum, ita miserit ad generum. Iccirco deductionem ad Annam præteriere tres priores Euangelistæ.

23. §. *Inde autem ad Caiaphæ domum deductus fuit, quia is foret anni ejus Pontifex Max. Inque hujus domo congregatum erat Concilium ad consultandum de Christo capto.*

Qui interfuerent ei concilio, hoc ordine recensentur à Matthæo cap. xxvi : ἡστὴν ἀπίκερον τῷ Καιάφᾳ τὸ δέκατον, ὅπερ οἱ γερουταῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι συνίκηθοσιν. Iesum duxerunt ad Caiapham, principem sacerdotum, ubi Scriba, & Seniores convenerant. Nimurum, qui eruditioinem attenderent, priori loco duxere Scribas; interim dignitatis ratione potiores erant Seniores. Vtrique in domo Caiaphæ sunt collecti, dum Christus in domo Annæ morabatur. Porro cum duo priora concilia fuerint de capiendo Christo: hoc, & quod est consecutum, fuere de capto Christo. Ac prius quidem horum nocturnum fuit: posterius diurnum. Nunc nocturnum aggredior.

C A P. II.

De altera Passionis parte, quæ consistit in Christi accusatione, damnatione, illusione. Adnexum his de Petro Christum abnegante.

1. §. *C*hristus ad Caiaphæ domum tractus, primum falso accusatur, tum impie damnatur, hinc fæde reliqua nocte illuditur: quæ tria constituunt alteram Dominiæ Passionis partem. Quod ad accusationem, in ea, toto que judicio, talia Caiaphas gescit, quæ non judici, sed iniunctio convenirent. Quid mirum? quando homo erat avarus, planeque perditus.

Quod cognoscere est ex Flavio Iosepho lib. xviii Antiquit. cap. iii. & vi.

2. §. *Talis cum foret, sic omnia componebat, ut videretur Chri-*

Christus merito insimulari tum false doctrinæ, tum seditionis, regnique affectati. Ac primo rogatus est Christus de doctrina, ac discipulis suis.

Interrogatum ab Anna, scribit Cajetanus Lentacili primi quæst.
tertia. Sed omnino ad Caiapham ea pertinere, liquet ex dictis.

2. §. *Christus, bene sibi conscius, libere respondit, non se rogandum de doctrina. De discipulis reticuit; quia ex doctrina penderet quæstio de discipulis.*

Verba Christi, *Quid me interrogas?* Videri possit Christus non satis decorum se gerere coram sacerdote summo. Sed hoc vult Christus, non se rogandum, qui reus sit, ac cui pro se loquente non haberetur fides. Vide de iis verbis Cajetanum ibidem differentem.

3. §. *Addidit, rogandos alios, qui audissent docentem; idque & in Synagoga & templo.*

Quantum duo hæc differant, arguit, quod Hierosolymis templum fuerit unicum; synagogæ CCCCLXXX, ut alibi dicimus.

4. §. *A Ministrorum uno, ob liberum indignante responsum, alapa est cæsus. Vnde dilemmate hujusmodi convictus est à Christo: Si male locutus sum, testare de malo: si bene, cur me cædis?*

Alapa cæsus non alteram præbuit maxillam, sed ratione se tueretur: unde liquet, Christi præceptum Matth. v. non aliud jubere, quam, potius quam vindictam sumamini, alteram etiam maxillam esse obvertendam.

5. §. *Post alios testes falsos, duo significarunt, se audiisse docentem; Ego dissolvam hoc templum manufactum, & post triduum aliud non manufactum edificabo. Atqui non erat locutus de templo manufacto: nec dixerat, se velle destruere, sed, illos destructuros.*

Nam verba ejus fuere: *Solvite templum hoc, & in triduo suscitabo il lud.* Sed summum hæc vana poterat ostentatio videri. Cui enim damno futurum, si templum disjectum instauret? Nihil igitur hæc accusatio valuisse apud Pilatum.

6. §. Propterea alia insistenda erat via. Surgit igitur Caiaphas.

Nempe ante sedebat, ut judices solent. Nunc singulare aliquid acturus surgit: ut etiam solent, qui lecturi essent in synagogis: quod liquet ex Luc. iv. 16.

7. §. Bis vero rogat Christum, an esset filius ille Dei. Primo rogat simpliciter. Cui tum respondit Christus: Si vobis dixerim, non credetis mihi: si autem & interroga vero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

Vt est Luc. xxii. 67.

8. §. Iterum inde interrogatur; sed cum adjuratione.

Adjurare is dicitur, qui Dei nomine, & quasi mandato, aliquem ad loquendum adstringit.

9. §. Tunc ob reverentiam numinis respondit Iesus, ut est apud Matthaeum: Tu dixisti: sive, ut apud Marcum est, Ego sum.

Siquidem ista Hebrais ἵστιωμεν: ut vim desperat argutiola B. Augustini, sic verba ea interpretantis: Non ego dico, sed tu sis.

10. §. Sane non hoc modo dixit Christus: sed etiam addidit, utcunque nunc humilis, & reus, tribunal adficeret, fore nihilominus, ut eundem aliquando conspicerent sedentem ad dextram Dei, gloriae & potentiae divinæ confortem: ut in nubibus etiam venientem videant ad omnes judicandos.

Nempe solet Christus incredulos Iudeos remittere partim ad resurrectionem, ut cum dixit, non habituros aliud signum, quam Prophetæ Ionæ: partim ad iudicium extremum, ut hoc loco. Quod autem dicitur, εἰπέ οὖτις, (vulgatus, more sui seculi loquens, amodo reddidit, pro deinceps, posthac) non notat flatim; sed significat, non amplius se visum iri, quam extremo iudicij die. Quippe secundum adventum opponit primo. Pluribus de hoc Christi responso agit Cajetanus Lentaculi primi quæstione tertia.

11. §. Tum Pontifex, qui adegerat ad veritatem dicendam, quam-

quamquam gauderet , quod factus sic esset voti compos , nihilominus scissione vestis dolorem simulat.

Multarumque is gentium mos fuit , ut in luctu , vel indignatione , rumpent vestimenta : quemadmodum videre est apud Homerum Il. x. , & Maronem v. , & xii Aen . Etiam in patriarcharum historia refert Moses , idem fecisse Iacobum , cum conspexit lacera in & cruentam Iosephi vestem . Et Ezechias similiter , cum tantopere blasphemasset legatus Senacheribi .

12. §. *Pontifex vero , rumpens vestem , simul erupit in has voces : Ecce nunc audistis blasphemiam .*

Cæterum blasphemare dicitur , qui contumeliose , & impie loquitur adversus Deum , vel etiam principem .

13. §. *Addidit Pontifex : Quid vobis videtur ? Iudices tum uno ore eum mortis reum judicarunt .*

Videlicet ex lege Levit. xxiv. 16. Vbi jubetur , ut blasphemati lapidibus obruantur . Vnde & Christum ut blasphemiam reum , lapidare voluerunt ; sicut est Ioa. x. 31.

14. §. *Prior hæc condemnatio Iesu fuit quæ facta à sanedrin , b. e. synedrio , sive LXX senioribus : idque magis ob causam religiosam , quia se filium Dei dixisset , quod blasphematum putarunt ; quam ob causam civilem , quia se regem perhiberet ejus gentis , quæ nullum regem , nisi Cæsarem , agnosceret , eoque læse foret majestatis reus .*

Sed argumentum posterius postea magis apud Pilatum urserunt ; ut inferius videbimus .

15. §. *Ad hanc Christi condemnationem refertur hoc Ierem. xi : Mittamus lignum in panem ejus , & eradamus eum de terra viventium , & nomen ejus non memoretur amplius .*

Vbi per panem corpus Iesu etiam intelligit Tertullianus libro adversus Iudeos .

16. §. *Postquam reus peractus , quadrifariam illusere .*

Tempus significatur particula T V N C : quæ confuse significat totum tempus nocturnum.

17. §. Prima illusio erat , quod, ut ait Mattheus xxvi. 67, ἐπέθυνεν εἰς τὸ περιττόν αὐτῷ, conspuere in faciem ejus.

Qui contemtus sane ingens fuit. Itaque & si quis nollēt ducere viduam fratri sui sine liberis defuncti: jubebatur hæc, ut est Deuter. xxv, spuere in ejus faciem, & dicere: Sic fiet homini, qui non adiicit dominum fratris sui.

18. §. Deinde venerandam ejus faciem velaverunt.

Cur autem, nisi quo tanto audacius insolentiam suam exerceant?

19. §. Tertium est , quod partim colaphis , sive pugnis , partim alapis , sive palmis faciem ejus ceciderunt. Quod his verbis narratur , à Matth. xxvi. 67: Καὶ ἐκολάφισαν αὐτὸν· οἱ δὲ ἐρράπισαν: quidam colaphis eum ceciderunt: alii autem palmas in ejus faciem dederunt.

Recte ita vulgatus: et si pānis proprie baculus. Vnde Mercurius ἔνστριψαν, à virga aurea, qua animas ille ad Orcum deducere finiebatur. Quare aliqui pāniṣēv vertunt bacillis cedere: ut Theodosius Beza: quem eo nomine reprehendit P. Faber lib. 1. Αγωνισκῶν cap. xix^a. Melius res intelligetur, si erroris aperiam fontem.

^a P. 71. Multos decipit, quod inter colaphos, & alapis, non distinguant: cum ηλαφίζεν sit δέ τις χειρῶν τλητίεν συγκαμπούμενον τις δακτύλων, ut

^b Matth. c. 26. fol. 121. exponit Theophylactus ^b: at alapæ sunt manu explicita: ut in manumissionibus. Hæc Græcis, pāniṣpūlē: unde Suidæ ^c τὸ pāniṣou

^c In pāniṣou. est παρέξει τινὶ γνάθον απλῆτης χειρί. Recte igitur, ut dixi, vulgatus interpres vertit, palmas in faciem dare. Recte item Sedulius pro eo palmis cedere. Atque id clare etiam liquet ex Matth. v. 39. Vbi jubemur, si quis pāniṣēt dextram maxillam, obvertere ei & alteram. Nec enim consuetudo fert, ut maxillas feriamus bacillis; sed alapis, vel colaphis. Vide &, quæ ex Glossario, & Nonno, ad ea Matthæi verba Cæsaubonus annotavit. Consalvus Durantus annotavit, ad S. Brigitæ revelat. lib. 1 cap. 10. Christum colaphis & alapis fuisse cæsum: ac differre eā, quod colaphus collum, alapa maxillas percutiat.

cutiat. Testem etiam adducit Landulphum Saxonem de vita Christi part. 11 cap. LX. Sed hæc satis refelluntur iis, quæ diximus.

20. §. *Quarto loco convitum addidere , Prophetiza nobis, Christe ; quis est , qui te cecidit ?*

Oculi erant Christo velati. Est igitur irrisio. Prophetiza, aiunt, quia vulgo insignis haberetur propheta, & se Filium Dei dixisset.

21. §. *In quatuor istis , & pœna fuit , & ignominia.*

Sed sicut alia magis ignominiae sint, alia pœnæ: tertium magis pœnæ censendum: cætera magis ignominiae fuerunt.

22. §. *Ad hanc historiam eorum , quæ pertinent ad Passionem Iesu in domo Caiaphæ , aliud addunt Euangelistæ : quod est de abnegatione Petri. De priori itares habet. Dum Pontifex , & consilium Seniorum , in æde consultant interiori , Petrus consistebat in atrio , ubi ministri erant , ac qui præterea eo venissent ex promiscua multitudine. Atrium vero non videtur fuisse sub eodem tecto , ac erat concclave , in quo congregati erant seniores: sed inter domum & plateam , ubi sub cælo aperto esse area solet porticibus cincta : ut hodieque in magnatum ædibus videmus.*

Festus: Atrium propriæ est genus adficii ante ædem, continens medianam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit. Isidorus lib. xv Orig. cap. 111: Atrium magna ædes est, sive amplior & spatioſa domus: & dictum est atrium, eo quod addantur ei tres porticus extrinsecus. Sed propriæ atrium non tam domus est, quam, ut ait Festus, ante ædem. Nec quia atrium pro tribus areæ lateribus totidem habeat porticus: eo conflata est vox atrium ex à & trium: quemadmodum nec quia à terra oriatur, quasi aterreum dicatur, ut Festus resert, nisi potius id fuerit à Paulo Diacono. sed vel est ab Atriensibus Hetruscis, qui ad ejusmodi structuram prævissæ dicuntur à Festo, & ante eum à Varrone lib. v de L. L. vel potius est à Græco αἴθεον, quod ab αἴθησι, æthra, quia sit sub dio, sive cælo aperto, unde & subdivis Latinæ dixeris.

23. §. *In hisce atrii porticibus ob anni tempus (erat enim*

medius Martius) ignis erat structus: ad quem cum aliis Petrus se calefaciebat: nunc adstant: nunc assidens.

Vtrumque enim legas apud Euangelistas. Nec tamen putandum, in porticibus illis suis caminos nostris similes, qui nempe gula ingenti, igne subdito, fumum excipiant, perque tectum emittant. Hujusmodi quippe spiramentis, sive fumariis, caruere veteres. Quomodo vero hi à frigore sibi caverint, docebit Philander in Vi- truvii lib. vii cap. iii, & Paullus Manutius Commentario in lib. vii epist. x, quæ incipit, *Legituas*. Fusiis eam rem si exponere hic velim, metuo ne aliena ab instituto nostro videar consecutari.

24. §. *Hic cum quepiam ex ancillis Petrum confexisset, dicere illa: Et tu cum Iesu Galilæo eras.*

Sic Christum ignominia caussa vocabat: ut fere solebant, qui animo erga eum iniquo forent. In causa partim erat, quod plurimum in Galilæa versatus esset: partim quod omnes fere discipuli forent Galilæi. Quia vero promissio de nascituro Messia, Iudeæ, ac particulatim Bethlehem, facta erat, eo, qui promissum esse Messiam negarent, Galilæum dicere malebant. Itaque & Julianus Apostata, tum Christum, tum Christianos omnes, Galilæos nuncupabat: ut est apud Socratem Hist. Ecclesiast. lib. xi cap. xii.

25. §. *Petrus, audita accusatione ancillæ, turpiter sese dat.*

Nam cum antea sic apud Iesum amorem ejus, & in amore constantiam, jactasset: Dominum nunc negat, gallo mox canente, nec tamen respiciente Petro. Post iterum ab ancilla, non eadem, quod ex Marco aliquis poterat putare; sed alia, ut ex Matthæo est apertum, audire cogitur, Et hic erat cum Iesu Nazareno. Tum iterum negare Petrus, se Christum nosse. Ac id etiam firmare iuramento. Quasi hora intervallo post tertio agnitus est à famulo Pontificis, cognato Malchi ejus, cui auriculam abscederat. Famulus iste non contentus dicere, omnino eum esse è discipulis, addebat, hoc etiam cognosci ex idiomate Galilæorum.

Nempe uti hodie dialecto differunt Hollandi, Brabantii, Flandri: ita olim Galilæi, ac Iudei. Sane similiter discriminis fuit inter

Gi-

Gileaditas, & Ephraimitas: illis SCHIBOLETH pronuntiantibus, his SIBOLETH; quæ res multis necis fuit cauſa: ut est Indicum XII. 6.

26. §. Alterum quoque addebat argumentum, & grave: quod ipse cum cum Iesu conspexisset in horto Gethsémani. Hisce signis jam pressus, si non oppressus, crimen quoque auxit, more mortaliū, ubi semel exorbitarint. Ergo, qui primo simpliciter abnegarat: ac deinde cum juramento: hic tertio non cum juramento solum abnegat, sed etiam cum detestatione, seu Christi, seu sui. Petro etiamnum loquente, iterum gallus canit. Mox etiam fit, ut, Concilio soluto, Christus ex loco interiori deduceretur in atrium, ubi Petrus erat. Quem misericordia oculus tacite intuens, ita commovet, ut cogitans de secundo galli cantu, & jam ter à se abnegato Iesu, foras prodiret, inque fletum amarum prorumpendo pénitentiam delicti testaretur.

Atque ita impletum fuit, quod prædixerat Christus de abnegatione Petri. Apud Marcum est, *Priusquam gallus vocem bis dederit, temere abnegabis.* Ac credibile est, Marcum, Petri sectatorem, ipsa retinuisse verba Christi, prout à Petro acceperat: quo nemo eo melius nosse poterat. Nimirum intellexit tum prius gallicinium circa noctis meridiem, ut Varro loquitur, h. e. circa medianoctum: tum alterum sub lucis adventum: de quo Martialis:

Surgite: iam pueris vendet jentacula pistor,

Cristataque sonant undique lucis aves.

Secundum gallicinium etiam vocant Pomponius Mela, & Aminianus Marcellinus. Sed tres alii Euangelistæ, qui simpliciter dicunt, *antequam canat gallus, loquuntur de solo secundo: quod, ut ex Agellio, Appuleio, Censorino, & Macrobio, videre est, intelligi semper solet, quoties simpliciter gallicinium dicitur.*

Cur vero gallus tum circa noctem medium, tum circa auroram, canere soleat, exposuimus lib. IIII de Theologia gentili, & Physiologia Christiana, cap. LXXXVIII.

Excusare Petrum conantur veterum aliqui, quod negarit Deum hominem, quem Dei filium agnosceret. Ita Ambrosius in Lucam,

Hilarius can. xxxi, & Theodoreetus serm. de caritate. Sed ingenue magis B. Hieronymus in Matth. cap. xvi: *Scio, quosdam pie affectos erga Apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negasse, sed hominem: & esse sensum, Nescio hominem, quia scio Deum.* Hoc qu.um frivolum sit, prudens lector intelligit, si defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat: *Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallicus cantet, ter me negabis.* Cerne, quod dicit, *Me negabis; non, Hominem.* Similiter Augustinus; qui, tractatu LXVI in Ioannem, inter alia inquit, *Agnovit plane peccatum suum infirmitas Petri; prorsus agnovit; &, quantum malum Christum negando commiserit, plorando monstravit.* Ipse suos redarguit defensores, & unde eos convincat, producit lachrymas testes. Ac similiter idem in Ioan. tractat. cxiii.

C A P. III.

De tertia Passionis parte, sive iis quæ perpessus est Christus in concilio matutino. Cui adnexum de Iudea pœnitentia, & misera morte.

I. §. **D***iximus de concilio nocturno, & abnegatione Petri, quæ ante gallicinum fuit. Sequitur concilium matutinum: de quo Matthæus xxvii. 1: Mane facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi adversus Iesum, ut eum morti tradarent. Item Marci xv, 1: Mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & scribis, & v n i v e r s o c o n c i l i o, (νῷ ἔλον τὸ σωμέδερον) vincientes Iesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. Et quid manifestius verbis illis Lucae xxii. 66? Ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum, & scribæ, & duxerunt illum in consilium suum.*

Vbi in disquisitionem venit, quid sit *in concilium suum*. Vtrum redire in domum Caiaphæ? an per consilium hoc intelligitur Synedrium magnum? Quæ opinio est Caroli Siganii lib. vi de Rep.

He-

Hebræorum cap. vii: Ex his, ait, appareat, cum dictum est, convoca-tum esse summo mane concilium, atque eos duxisse Christum in Concilium suum, convocatum esse in Gazith. Sane ex tribus prioribus conciliis nullum fuit Synedrium magnum: ut antea ostensum. Quare vel quartum hoc fuit Synedrium magnum; vel è quatuor conciliis ad-versus Christum coætis nullum in Gazith, sive conclavi cæsi lapidis, fuerit celebratum. Quorum posterius fortasse verius est, licet mul-tum adversetur doctissimorum hominum opinioni. Nam Christus è Caiaphæ domo dicitur ab Euangelistis deductus esse ad Pilatum. Adde quod adscensus & descensus in Gazith plusculum temporis absumsissent: quando altitudo ejus pedum octingentorum, secun-dum aliquos Hebræorum: sed secundum Villalpandum ccc cubi-torum. Consideret quisque, quam multa illo mane acta esse ab Euangelistis dicantur.

2. §. Quarat aliquis, quæ cauſa fuerit iterum conveniendi mane, cum Christus jam nocturno consilio esset reus mortis judicatus. In cauſa, credo, fuerit, quod vellent explora-re, an in sententia persisteret. Ac præterea statuendum su-pererat de executione sententie, quam tulissent.

Cum enim Christus caperetur, jam multa nox erat: ac magis, cum deductus est in domum Caiaphæ: quid dicam, finito concilio? Non dubium autem quin in judicibus fuerint aliqui, vel ætate con-fecti, vel valetudine imbecilli. Credibile igitur, voluisse illos so-mnum capere spatio noctis reliquo.

3. §. Matutino consilio duo hæc egere. Primum (sed, ut videtur, paucis) actum cum Christo. Rogatus est, an fo-ret promissus ille Messias. Respondit ille: si dixero, non credetis mihi: & si vos interrogaro, non respondebitis mihi, neque dimitteritis.

Quomodo meminerat, eos nihil respondisse rogatos de baptismo Ioannis, deque loco psalmi, Dixit Dominus Domino meo &c. atque aliis nonnullis.

4. §. Addidit interim, deinceps filium hominis sessurum ad dexteram potentiae Dei. Vnde occasio iis querendi, utrum foret

foret filius ille Dei. Quod cum noluisset negare, continuo statuerunt, eum suopte testimonio damnari.

Videlicet sororis instar, quæ suo, ut aiunt, indicio perit.

5. §. *Exinde dispexcere, quomodo decretoriam sententiam exsequerentur. Placuit vero ut vincetus mitteretur ad Pontium Pilatum, Iudeæ tum temporis præsidem.*

Non decretum fecere de mittendo Iesu ad Regem, sed ad præfitem Romanum. Nimirum multum jam forma Reip. Iudaicæ immutata erat ab illa, quæ fuerat Christo nascente. Tum erat Herodes Magnus Ascalonita, primus Iudeæ Rex externus. Huic terti fuere liberi : Archelaus, Herodes Antipas, & Philippus. Archelao regnante, ex Aegypto, una cum Iosepho, rediit Christus. Herodes Antipas is fuit, qui Ioannem Baptistam sustulit. Philippus, cui vivo, videntique, uxorem suam eripuit Herodes Antipas. Horum primus Archelaus decennium rexit Iudeam : sed cum tria Iudeorum millia festo Paschatis interemisset in templo, sacerdotium his eriperet, illis conferret, prout animo esset collibitu : & multa alia, tyrannorum more, pro imperio magis, quam rationis ductu, ageret: à gente sua accusatus est apud Cæsarem: ab eo damnatus, & Viennam Galliæ civitatem relegatus fuit: ut testatur Iosephus. Exinde Iudea in provinciam est redacta: cique gubernandæ missi fuere à Romanis præsides: quorum quintus erat Pontius Pilatus, ut ab eodem Iosepho memorie proditum est.

6. §. *Non potuit diu latere Iudam, quomodo Christus jam esset morti à Concilio addicitus, atque adeo etiam missus ad Pilatum, quo persuaderent ut crucis supplicio afficeretur. Pœnitere tum Iudam facti sui cœpit. Ac non incommode hoc referantur verba illa Matthæi* : Tunc videns Iudas, qui eum prodiderat, quod damnatus esset, pœnitens &c.*

Nec tamen quicquam cogit, ut pœnitudinis tempus præcise ordinatur inde, quando Iesus e Concilio deductus est ad Pilatum. Nec enim Euangelista is solet sic particulam TVNC usurpare, ut necesse sit narrationem restringi ad momentum rei, quæ proxime præcessit. Quare historiæ etiam veritas constabit, si demum crucifixo Chri-

Christo , mortuoque , vel etiam postero die cæperit pœnitere . Amplius dicam , fortasse tum demum serio doluit , ac argenteos retulit , postquam intellectus de Christi resurrectione . Vt cumque ista habent , saltem , quod de agro figuli emitto refertur , non eo tempore , sed coimoda postea occasione factum esse , per est verisimile . Majoris tamen lucis causa , Euangelistarum exemplo , universam hic exsequemur historiam de Iudæ pœnitentia , morte , & adnexit .

7. *S. Dolorem suum testatus est Iudas tum sermone , tum operare . Ivit enim ad sacerdotes ac seniores , quo prodictionis pretium referret , aperteque confessus est , se peccasse , sanguinem prodendo innoxium .*

Fortasse sperarat , Iesum , ut antea fecerat , sese è manibus eorum subducturum , vel sic rationibus eos placaturum , ut sententiam mutarent . Hoc ubi aliter cecidisse videt , animo æger , primum quidem de facto dolet , quod contritionis est ; deinde pecuniam , pro prodictione acceptam , refert , &c , se peccasse prodendo Christum , libere prædicat : quorum hoc est confessionis , illud ad satisfactionem refertur . Quæ quamquam omnia concurrerent , non tamen proprie *μετάνοια* fuit . Nam *μετάνοια* , resipiscere est , à *νοήσιν* sapere . At non resipuit Iudas : licet conscientiæ stimulis actus doluit admodum de facto : quod signatur ab Euangelista voce *μετάνοηθείς* . Erat igitur pœnitentia non simulata , sed ex animo profecta : nec tamen pœnitentia secundum Deum ad vitam . Siquidem pœnitentia cum spe debuit conjungi , quorum alterum sine altero claudicat . Hinc eleganter Fulgentius epist . vii cap . v : *Salubris conversio duplice ratione consistit , si nec pœnitentia sperantem , nec spes deserat pœnitentem : ac per hoc , si extoto corde quispiam renunciet peccato suo , & toto corde spem ponat remissionis in Deo . Etenim non nunquam aut spem pœnitenti homini diabolus adimit ; aut speranti pœnitentiam tollit : unum dum onerat , comprimit alterum : dum elevat , dejicit . Accommodat deinde hæc Iudæ : qui pœnitentiam gessit ; sed non consecutus est pœnitentiæ fructum . Videlicet quia non ad infinitam Dei misericordiam recurrit : neque ad vitæ emendationem animum appellit ; verum diaboli astu ad desperationem adigitur ; Caino similis , qui tantum esse peccatum suum aiebat , ut nullus relinqueretur veniæ locus : sicut est Genef . iv . Itaque , ut ait S. Leo , serm . v . de Passione : tam perversa impii (Iudæ) conversio fuit , ut etiam pœnitendo peccaret . Imo Pachymerius * non dubitat scribere ,*

pæstitisse, ut non pœniteret, quam ut pœnitens desperaret; quia illud possit esse stuporis: hoc liquido sit suopte judicio condemnationi æternæ addicti.

8. §. Sed in questionem venit: utrum Iudas potuerit recurvare ad Dei misericordiam, vitamque melius componere. Id quidem extra controversiam à Patribus ponitur, omnibus, quos vere peccatorum dolet, quiq[ue] vitam corrigerem sunt parati, patere misericordiam Dei. Sed non convenit, an non Deus propter tam enorme scelus justo judicio gratiam suam sic subtraxerit Iude, ut non dico difficile, (qua quorundam sententia est) sed adūx̄ov ei fuerit, resipiscere: ut qui à Deo esset derelictus, & judicatus omni misericordia indignus: eoque sic obduratus, ut omni divina gracie rore carereret, ac proinde veniam superare non posset.

Potuisse legitimate pœnitere, sententia est Origenis, Chrysostomi, Asterii apud Photium*, & aliorum plurium. Sed Augustinus, orat. de Pœnitentia. qui id negat de Pharaone, non minus negasset de Iuda. Vide eundem tractatu de utilitate pœnitentia cap. 111: Non erat dignus misericordia: ideo ei non fulsit lumen in corde, ut ad ejus indulgentiam concurreret, quem tradiderat. Est & B. Ambrosii serm. 1. in Psalm. cxviii ad vers. viii: Plerumque derelinquit Deus, quos vult probari: penitus autem derelinquit, quos deserit: dereliquit penitus Iudam; non dereliquit autem S. Job. Plura de hoc vide apud eos, qui scripsere de peccato in Spiritum S.

9. §. Hæc interim confessio Iude, præsertim quando ne pecuniam quidem retinendam putaret, magnum & innocentie in Christo, & sceleris in Iuda, & iniquitatis in Principibus, ac sacerdotibus, argumentum fuit.

Sicut Ambrosius ait lib. x in Lucam †. Alioqui potuisset Iudas vivi deri, ob occulta quædam Iesu delicta sibi animadversa, dominum deseruisse, & prodiisse.

10. §. Valde etiam gravat judges, quod, cum Iude confessio nem audirent, paratam etiam pecuniam refundere vide rent: dicerent ei; Quid ad nos? tu videris.

Quasi

† In Læsa
cap. 22.

Quasi non ad judices , qui pastores sunt populi, pertineat anquidere , justene , an injuste , discipulus prodiderit magistrum.

11. §. *Iudas , ubi vidit , judices nolle recipere pecuniam , ut se tam impio auctoramento exoneraret , projectit argentum in templum. Quomodo factum est sacerdotum. Hi consilio super ea habito , negarunt , eam posse in corbonam mitti.*

Hoc est, in *χαροφυλάκιον*, ut appellat Lucas xxii. 1. item Iosephus, qui & vocat *ἱερὸν χείματόν*, & Θεῖς θυσιῶν. Ejusdem est lib. ii belli Iudaici, τὸν ἵερον θυσιῶν παλαιτεῖ τὸ νοεῖον. Syriace est *קוֹרְבָּן* Kurvana : quod significat oblationem , munus , à radice *ברַ*, accepit, obtulit. Sane Aethiopes *Εὐχαερίαν* vocant *קוֹרְבָּן*, ut omnium oblationum principem.

12. §. *Cur vero non posset in corbonam inferri , hanc rationem attulere , quod pretium sanguinis non posset religionis negotiis inservire.*

Nam cum Lex vetet , ne pretium meretricis divino servitio destinetur : facile viderunt , idem esse statuendum de pretio cædis. Interim se ipsos hac sententia damnarunt. Nam si non debuit Iudas tam impiam pecuniam à sacerdotibus accipere: nec sacerdotibus convenit eam Iudee offerre. Hanc eorum hypocrisim merito damnant Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi xiiii , Augustinus in psal. lxxiiii, & Leo Magnus serm. vi de Passione cap. iii.

13. §. *Eo igitur rejecto , aliud statuerunt : videlicet , ut conserretur in usum pauperum. Maluere proinde ea pecunia sibi emere agrum figuli.*

Sive id nomen ex eo , quia figuli fuerit , vel figuli inde eruerent terram ad vasua sua fingenda : sive quia esset prope portam figuli , sive fictilem , Hieremia memoratam : sive denique , ut Villalpandus * , & Maldonatus conjectant , ex eo id nomen fuerit , quod eo deportarentur fragmenta vasorum fictilium : quomodo Romæ Doliolo , lib. 3. sive testaceo monti , à testis fictiliu Vasorum nomen datum fuit. Part. I. apparatus cap. 25.

14. §. *Exinde vero is ager , quia emitus esset pecunia , Iudea annumerata , ut proderet sanguinem innoxium , voce Chaldaica dictus est H A K E L - D A M A , hoc est , ager sanguinis.*

Ea vox est apud vulgatum Matthæi interpretem, cap. xxvii, vers. 8. in Græco Α'νελθαμα A&t. i. 19. ex H A K A L ager, & D E M A, vel D A M A, pro quo Hebræi dicunt D A M, h. e. sanguis. Situs est hic ager ad plagam australem montis Sion: ut est apud B. Hieronymum de locis Hebraicis. Puta inter piscinam superiorem, & natatoriam Siloë; ut ait Brocardus. Pluraque de eo Adriochomius.

15. §. *Emitus is ager ad sepulturam peregrinorum.*

Nempe, ut communis fert opinio, eorum, qui religionis ergo Hierosolymam venissent, atque istic obiissent. Credibile est, & antea locum habuisse, quo peregrinantes sepelirent. Sed in tanto confluentium numero majus spacium, ut puto, requirebatur. Beatus tamen Hilarius can. xxxii in Math. agrum hunc cessisse ait in usum alienorum, sive allophylorum, h. e. alterius gentis ac religionis: quales multi Hierosolymam venere post Iudæam à Romanis subactam. Horum cadaveribus sufficere est visus tam vilis agellus. Valde autem ratio fugit B. Augustinum, qui agrum hunc ab ipso Iuda emitum arbitratur tractatu de iv feria cap. iii. Sed præverat Prudentius in Psychom. Vti & errorem hunc fecutus Arator lib. i in Act. vers. xciv.

16. §. *Ea emtione, qua facta est xxx argenteis, Matthæo teste, impletum fuit, quod per prophetam Ieremiam scriptum erat: Et acceperunt xxx argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israël, & derunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Sed hæc nonquam legere est in Ieremia: verum simile quid est in Zacharia.*

Hieronymus Comment. in Matth. cap. xxvii: *Hoc testimonium in Ieremiam non invenitur: in Zacharia vero quadam similitudo fertur: & quamquam sensus non multum discrepet, tamen & ordo, & verba, diversa sunt.*

17. §. *Huic difficultati bifariam occurri solet. Aliqui errant aiunt, vel ab Euangelista, vel à librario. Qui prius aiunt; dicunt, Matthæum lapsu memoriae posuisse Ieremiam, pro Zacharia.*

Ita B. Augustinus lib. iii de Consensu Euangelico cap. vii. cui & ad-

& adsentit Glossa ordinaria, & è junioribus Ioannes Gerardi. Nec alienus ab hac sententia videtur Erasmus Annot. ad hunc Matthæi locum. Lapsi vero huic occasionem præbuuisse existimatur partim nominum similitudo: partim etiam quod Ieremias cap. xxxii. 2. habeat aliquid de agro à se emto ex præcepto Domini.

18. §. *Alii errorem censem à librario profectum: sive olim
hac in Ieremia fuerint lecta; sed postea à librario omissa:
sive apud Matthæum primius fuerit Z̄achæus, sed pro eo
incuria quadam ἐρεμίς fuerit repositum.*

Vtrinque conjecturam legas apud Eusebium lib. x Demonstrationis cap. viii *. Sed prior parum est verisimilis. Itaque nemo vel veterum, vel juniorum, eam, quod constet, approbat. Sed posterior jam ante lecta apud Origenem in Matthæum cap. xxvii: post-eaque placuit compluribus. Quorum alii quidem putant, integre fuisse scriptum Ieremiæ: pro quo oscitanter repositum sit Zachariae: alii (in quibus Theodorus Beza, & Ioannes Piscator) arbitrantur, compendio literarum fuisse exaratum Z̄, unde, quasi ita foret, facili lapis, factum sit ἐρεμίς.

** Puta edit.
Græca: sed
tralationis
Trapezun-
tiana, mul-
ta omittere*

solita, cap. 4.

19. §. *Est & tertia ratio, qua peccasse librarius possit. Ut si
Euangelista simpliciter posuerit per prophetam: ille ad-
dere voluerit nomen prophetæ, & fortasse ad marginem
duntaxat: unde sequens librarius quod non nisi glossera
erat, retulerit in sermonis contextum.*

Pro hac sententia est, quod Prophetæ nomen desit in versione Syriaca: quod item B. Augustinus testetur, in aliquibus libris non apponi nomen prophetæ. Sic enim scribit lib. iiii de Consensu Euangelistarum cap. viii: *Siquis autem moverit, quod hoc testimonium non invenitur in Scriptura Ieremiæ Prophetæ; & ideo putat, fidei Euangelistarum aliquid derogandum: primo noverit, non omnes codices Euangelistarum habere, quod per Ieremiam Prophetam dictum sit, sed per prophetam. Possemus ergo dicere, his potius codicibus esse credendum, qui Ieremiam nomen non habent. Dictum est enim hoc per Prophetam, sed Zachariam. Unde putatur, codices esse mendosos, qui habent nomen Ieremiam; quia vel Zachariae habere debebant; vel nullius, sicut quidam; sed tantum, per Prophetam, dicentes; qui utique intelligitur Zacharias. Ac eo inclinat quoque Wolfgangus Muscu-*

lus:

lus: Apparet, inquit, pro Zacharia positum Ieremiam, à Scriba forte, qui putaverit, Euangelistam de Ieremia sentire; qui agri emiti mentionem facit cap. XXXII. Nam glossa ordinaria admonet, in plerisque codd. Latinis non haberi Ieremiam; sed simpliciter, quod dictum est per Prophetam, dicentem. Estque hæc sententia multum verisimilis: verisimilior tamen futura, nisi Origenes, scriptor tam antiquus, & in conferendis libris sacris usque adeo industrius, de hoc loco differens, nullam variantis electionis fecisset mentionem. Ac B. quoque Augustini verba sunt lib. III de Confusu Euangelist. cap. VII: Sed utatur ista defensione, cui placet: mihi autem, cur non placeat, hæc causa est: quia & plures codices (Latini puta) habent Ieremia nomen: & qui diligentius in Græcis exemplaribus Euangelium considerarunt, in antiquioribus Græcis ita se perhibent invenisse. Et nulla fuit causa, cur adderetur nomen: ut mendosius fieret. Cur autem de nonnullis codicibus tolleretur? Fuit itaque causa, ut hoc audax impertitia faceret, cum turbaretur quæstione, quod hoc testimonium apud Ieremiam non inveniretur.

20. §. Aliqui librarii quidem errorem esse censem: quod tamen præbuerit occasionem errandi, definire non audent.

Vt Calvinus in Matthæi verba sæpius memorata: Quomodo Ieremia nomen irrepserit, me nescire fateor: nec anxiaboro. Certe Ieremias nomen errore positum esse pro Zacharia, res ipsa ostendit.

21. §. Alii vel ab Enangelista, vel à librario peccatum negant. Sed horum aliqui dicunt, partim legi apud Ieremiam, partim apud Zacharium. Morem vero esse Scripturæ, ut, quando testimonium aliquod ex duobus conflatur scriptoribus, satis ducat si alterum nominet.

Quomodo testimonium Matth. XXI. 5 est ex Esa. LXI. 11. & Zach. IX. 9. adhæc illud Act. I. 20. compositum ex Psal. LXIX, 27, & CIX, 8. Et testimonium I Petri II. 7. conflatum ex verbis Psal. CXVIII. 22, & Esa. VIII. 14. Aliaque ejus generis adferuntur. Scripturæ vero sufficere, ut, siquid ex duobus citetur, alterius solum nomen exscribatur, ostendunt ex Matth. XXI. 5: ubi Euangelista citat prophetam dicentem, cum verba sint ex duobus prophetis, Zacharia IX. 9. & Esa. LXII. 11. Vtrumque hie fieri contendunt. Vide Sanctum in Zachar. & Salomonem Glassium lib. I Philolog. sacr. tract.

tract. II sect. III. Nec invitus hanc sententiam amplecterer, nisi, quæ dicit Ieremias, nihil ad Euangelistæ locum pertinerent.

22. §. *Aliqui malunt dicere, nec errorem esse, nec locum ex duobus prophetis conflatum: sed ex uno Ieremia desumptum; non tamen eo ex libro, qui in canone habeatur, sed deperditio quopiam apocrypho Ieremiac libro: quomodo nempe de Ianne, & Iambre, qui Moysi restitisse dicuntur II Tim. III, ex Apocrypho de promtum existimatur. Vti & inde videatur hausta Enochii prophetia, quam legere est Iude v. 14. 15.*

Sensit hoc Origenes: qui ad memoratum Matthæi locum sic scribit: *Suspicor, aut errorem esse scripturæ: (non sacræ, sed scriptionis, sive librarii, quod μνημα γραφικό dicimus) aut esse aliquam secretum (διπλού φον) Ieremiac Scripturam, in qua scribitur. Ac paullo post: Si autem hæc dicens aliquis, existimat, se offendere, videat ne alicubi in secretis (sive apocryphis) Ieremiac hoc prophetetur: sciens, quoniam Apostolus scripturas quasdam secretorum profert. Sicut dicit alicubi*, Quod oculus non vidit, nec auris audivit. In nullo enim regulari (sive Canonicō) libro hoc positum invenitur, nisi in secretis (sive Apocryphis) Eliæ prophetæ. In quo tamen deceptus est eo quod in LXX illud non reperiisset. Sed legas in Hebraicis codicibus Esaiæ LXIV. 4: ut optime B. Hieronymus observavit ad Pammachium de optimo genere interpretandi: Scriptum, inquit, est, quod oculus non vidit &c. Solent in hoc loco apocryphorum quædam deliramenta sectari, & dicere, quod de Apocalypsi Elia testimonium sumum sit, cum in Esaiæ juxta Hebraicum ita legatur. Sed utcunque in eo Origenes sit deceptus: solidiora tamen sunt quæ subjungit: Item quod ait †, sicut Ioannes, & Mambres, restiterunt Moysi, non invenitur in † 2. Tim. publicis Scripturis: sed in libro secretorum, qui supra scribitur Iannes, & 3. 8. Mambres. Vnde ausi sunt quidam epistolam ad Timotheum repellere: quasi habentem in se textum alicujus secreti (sive apocryphi:) sed non potuerunt. Primam autem epistolam ad Corinthios propter hoc aliquem refutasse quasi adulterinam, ad aures nostras non pervenit. Quod de Iannes, & Mambres, ait Origenes, firmatur Ionathanis paraphras Chaldaica, quæ hæc nomina ex traditione apposuit Exodi VII. 11. Vt mittam, quod nec Plinio fuere penitus ignoti. Vt apud quem lib. xxx cap. 1 legas: Est & alia Magices factio à Moysi, & Ianne, & Iothape Iudeis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem. Vbi interim non uno nomine*

vehementer errat: primum quod Mosen annumerat magis: deinde quod Iannem, & Iotapen, fuisse Iudeos putat, cum fuerint Aegyptii: ac denique quod eos censet clarissime multis annorum millibus post Zoroastrem: quod ne verum quidem fuerit, si Zoroastres ille sit Misraim Chani filius; ut voluit Clemens Rom. lib. iv Recognitionum, vel si Nini Regis fuerit æqualis; ut est apud Augustinum^a, & Suidam. Nedum id verum sit, si demum vixerit sub Persicis regibus: de quo plura diximus lib. i de Theologia Gentili cap. v.

Origeni etiam de nomine Prophetæ subscriptibit B. Hieronymus in Matth. cap. xxvii: *Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazarene sc̄la mihi Hebreus obtulit, Ieremias apocryphum; in quo hac ad verbum scripta reperi.* Et sane, si Arati, Menandri, Epimenidis, hominum gentilium, versus citare Apostoli non erubescunt: cur vereantur iidem quædam promere ex libris piorum, utcumque ἀνανοίσται?

Quod planius fiet, si, quales hi libri fuerint, cogitemus. Prophetæ multa dixere, quæ non sint in canonem relata ab Esdra. Hæc, qui audierant, filiis, ac nepotibus tradidere: illi ex se se natis, & ita porro: quædam etiam posteris ab aliquibus consignata: sed quia memoria hominum est fragilis, eo & contingebat admisceri, ubi scriptor aliquid humanitus pateretur. Hujusmodi libri, licet non essent γένια πλευρῶν, erant tamen exarati ab hominibus piis, & spiritum Dei habentibus. Ut quainquam non essent in canone relati, tamen essent Ecclesiæ libri. Qui cum in manibus forent piorum, cur non homines Spiritu Dei acti inde potuerint quædam deproprietate, & suis adscribere auctoribus? Neque enim Spiritui Sancto difficile fuit, dum iis scribentibus adfisit, sic animum dirigere, ut nihil inde excerpterent, nisi genuinum, germanumque; nec ut propheticum producerent, nisi quod tale foret. Si non habuere ea auctoritatem divinam, quatenus continebantur libro Apocrypho, nacta tamen eam sunt, quatenus adducta inde in libro Canonomico.

23. §. Hæc conciliandi ratio imprimis placet. Quod si quis nec admittat quod ante de librarii errore dicebamus: nec, quod proxime monebamus, ex apocrypho citatum videatur: nihil superesse arbitror, quam ut statuamus, Zachariam fuisse binominem, atque aliter dictum Ieremiam.

^b In Amoretat. ad hunc locum Matthei.

^c In Analysis Placuit hoc Erasino^b, Junioque^c. Quomodo nempe pater Zachariæ illius, inter altaria, sicut Euangelista refert, interemti, &

Barachias, & Ioiadas, videtur nnnocupatus : priori enim nomine vocat Matthæus xxiiii. 35 : altero nominatur II Chron. xxiv. 21. Item sacerdos, qui i Sam. xxii. 2 & seqq. nominatur Achimelech, is Marc. ii. 26. dicitur Abiathar, prout & pater dictus fuit.

24. §. Et haec de prophetæ nomine. Nunc videamus, utrum Zacharias, & Matthæus, sententia satis convenient. Consentire inter se, parebit verba eorum conferenti. Zachariae sunt ista cap. xi vers. 12 & 13 : Et dixeram illis, Si bonum videtur in oculis vestris, date mercedem meam triginta argenteos. Dixit autem Dominus mihi, projice eos ad figulum, magnificentia pretii (hoc est, magnificentum pretium) quo æstimatus sum ab illis. Et accepi triginta illos argenteos : & projeci eos in domo Domini ad figulum. Matthæi vero est cap. xxvii. vers. 9. & 10 : Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos, pretium illius æstimati, qui æstimatus est à filiis Israël : & dederunt eos pro agro figuli, sicut constituit mihi Dominus. Vbi primo videmus, Zachariam dicere, appendebunt mihi triginta argenteos, ac mox addere, magnificentum pretium, quo æstimatus sum ab illis. Convenient hæc probe cum illis Matthæi : Appenderunt triginta argenteos, pretium illius æstimati, qui æstimatus est à filiis Israël.

At, inquiunt, apud Prophetam est, Accepi xxx illos argenteos. Apud Matthæum Acceperunt xxx argenteos. Sed Græce est ἤλεον : quod tam accepi, possumus reddere, quam acceperunt.

25. §. Præterea apud Prophetam est, Projeci eos in domo Domini ad figulum. Ac similiter Matthæus, Et dederunt eos ad agrum figuli.

Verum, aiunt, Zacharias ait, Projeci argenteos ad figulum : Mat-
thæus
D d 2

thæsus, dederunt pro agro figuli. Facile hæc conciliantur, si pro ἔθωναν
legatur ἔθωκα: quomodo legit Syrus interpres.

26. §. Præcipua supereft difficultas in eo, quod Zacharias
dicat, se à Deo accepisse xxx argenteos: & eos jecisse ad
figulum: Matthæus vero id factum dicat per Iudam: nec
ab eo emtum figuli agrum, sed postea id esse factum à sacer-
dotibus. Verum non, si aliqua sit dissimilitudo, eo typus de-
finit id esse, quod dicitur: verum permanet typus, quam-
diu convenit in præcipuis: ut sunt ista, appensi sunt xxx ar-
gentei, & in templo ad figulum jacti.

Atque hæc quidem dicta sunt, pro iis, quibus placet, Matthæum
citare verba Zachariæ. Sed nihil opus est anxie laborare de conci-
liandis ejus prophetæ, & Euangelistæ verbis, si locus ille ab Euangeli-
sta allatus sit ex apocryphis Ieremiæ: quain sententiam satis es-
se verisimilem, ostendunt illa, quæ antea adduximus.

27. §. Quæritur præterea, quo pacto ager integer potuerit
emi triginta argenteis. Nam si argenteus valet sicutum,
pretium id fuerit tantummodo sex librarum Flandricarum,
sive XXXV I florenorum Hollandicorum.

Hoc sic adstruitur, quod sicutus argenteus suminum valuerit te-
tradrachnum: drachma autem valeat sex stuferos sive schellingum
Hollandicum, sive Iulium regale: tetradrachnum XXIV stuferos,
sive quatuor Iulios. Eoque xxx argentei valeant florenos nostros
XXXVI. Quo pretio, nostris saltem moribus, non possit ager emi
sepeliendis peregrinis.

28. §. Nempe qui sic colligunt, non attendunt, argenteum
sólere etiam accipi pro quinis tetradrachmis.

Vnde Flavius Iosephus, proillo 11 Reg. xviiii, ubi Ioab cui-
dain, qui dicebat, se Absolon vidisse de queru pendentem, ait,
*Si vidisti, cur non confodisti eum? equidem dedissim tibi decem argenti: ha-
bet, quinquaginta argenti.* Idem in Genesi, ubi Iosephus dicitur ven-
ditus xxx argenteis, ille reposuit aureis: quorum unusquisque quin-
que tetradrachma continebat. Quomodo triginta aurei erunt CLXXX

floreni Hollandici. Plura hac de re si voles, adi Stanislaum Grsep-
pium de re nummaria Hebræorum^a.

^a Pag. 8c.
81. 82.

29. §. *Redeamus ad Iudam: qui sic se gessit, ut, pecunia
amissa, etiam corpus, & animam, amitteret. Quod mor-
tis genus ostendit: utcunque de eo non per omnia conve-
niat. Communior ita fert opinio, suspendisse se, ac, ut ali-
qui volunt, de ficu.*

De suspendio videntur id omnino sonare verba Matth. xxvii, 5:
Καὶ ἀπελθὼν ἀπῆγε τὸν Ιησούν, καὶ βέβαιον
 ait τὸν δεῖνυντι, καὶ αὐχούλων διδάσκοντι. Pœnitentiam (princeps mundi)
 immisit proditori, & laqueum illi commonstravit, & suspendum, quo stran-
 gularetur, edocuit. Sed major esset verborum istorum auctoritas: si
 epistola hæc genuina foret. Nunc unam esse earum constat, qua-
 rum nec Eusebius^b, nec Hieronymus^c, meninere. Quare alios po-
 tius adducam. In his est Irenæus: qui apud Eusebium, lib. v Histor. sfor. Eccles.
 Eccles. cap. xv, ait, Montanum & Maximillam, quos constat suspen-
 dio vitam finiisse, eodem periisse letho, ac Iudam. Etiam de suspen-
 dio assentiunt Nazianzenus, sive potius Apollinaris in Christo Pa-
 tiente, Prudentius in Psychomachia: Chrysostomus serm. 111 de
 Iuda. Item Augustinus, Leo, Arator, Beda, Bernardus, multique
 alii. De ficu se suspendisse ait Iuvencus lib. iv Histor. Euangelicæ:

Exorsusque suas laqueo sibi sumere pœnas

Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Sed hoc fictum poëtice, vel οὐενδόχνως prolatum: quomodo al-
 nus, pinus, abies, accipi à poëtis solent pro nave cuiuscunque ligni.
 Quod non attendens Beda, historice ac proprie accipit. Sed eum de-
 cepere, qui temporibus istis superesse eam fidem dicent. Sic enim
 scribit libro de locis sanctis cap. iv: *Portam David egredientibus fons
 occurrit in Austrum vel Vallem directus, ad cuius medietatem ab Occasu Iudas
 se suspendisse narratur. Nam & ficus magna ibi, & vetustissima stat.* Subdit
 deinde, quæ ex Iuvenco attulimus. Quamquam vero, quod de
 tanta ejus ficus vetustate prædicat, fabulam esse censeam: non tam
 men magnopere offendor eo, quod ad annos pertinet. Nam de ficu
 Ruminali sic Tacitus verbis extenis lib. xiiii: *Eodem anno (puta
 urbis conditæ Icccxi) Ruminalem arborem in Comitio, quæ super octim-*

^b Lib. 3. Hi-
stor. Eccles.

^c cap. 30.

^c In Cata-
logo.

gentos & quadraginta (malim cum Lipsio triginta) ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente truncō deniutam, prodigiī loco habitum est; donec in novos fetus revivisceret. Interea fabulosum & hoc arbitror. Nec tam Ruminalem dici puto, quia sub ea educti sunt Romulus, & Remus, (videlicet à rumi sive manima, unde subrumi hædi, qui aliter lactentes, auctore Varro-

* Lib. 2. de re Rust. cap. 11. & Cato sive de liberis edutandis.

ne*) quam quia sub ea pecus soleret ruminare. Vtramque opinionem adducit Festus in *Ruminalem*, his verbis, ut ex codice Farne-

siano liquet: *Ruminalem* siccum appellatam ait *Varro* prope *Curiam* sub *Veteribus*, quod sub ea arbore lupa rumam dederit *Remo*, & *Romulo*; id est, mammam. Manima autem ruminis dicitur. unde rusticī hædos lactentes, subrumios vocant, qui adhuc sub manimis habentur. Alii autem sunt, qui pu-

tent, quod sub ea pecus ruminari solitum esset. Posteriori si placet, nihil solidi subsit ei, quod jam à *Romuli* & *Remi* temporibus eam fuisse sicum arbitrantur. Et valde repugnat, quod *Plinius* lib. xvi. cap. ult. siccum non inter arbores vivaces reponat, sed brevis esse vitæ dicat: nempe uti malus, pirus, prunus, myrtus, & aliæ quædam.

30. §. Sed quicquid de fico est, hoc ipsum quod se suspen-

derit, divini fuerit judicii. Quippe qui sibi judex & car-

nifex factus, ejusmodi se addixerit supplicio, ut, cuius nec

anima cælo, nec corpus sepultura dignum foret, is inter

cælum, terramque, medius penderet. Sed enim huic sen-

tentiæ obstare non leviter videtur, quod in *Actis* legimus

principitem datum, & intestinis prorumpentibus periisse.

Act. i. 18: Καὶ πεντὸς ἡρόύλῳ ἐλάσηντε μέσῳ, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ στλάχατα αὐτοῦ. Suspensusque crepuit medius, & diffusa sunt omnia vi-

scera ejus. Nimirum, justo Dei judicio, viscera corporis effudit, qui non haberet viscera misericordiæ.

31. §. Si superiora Matthæi verba de suspendio intelligamus:

difficile fuerit cum eo conciliare verba Petri in *Actis*. Vide a-

mus tamen, quo paœlo id tentarint homines eruditissimi.

Primus modus est, ut laqueum impellens mox, fracto eo,

deciderit præceps, ac sive quia in stipitem, vel saxum acu-

tum incideret, sive potius quia divino judicio ab interiori

causa rumperetur, venter effuderit intestina.

Sic

Sic cepit Syriacus interpres. apud quem est: *Et cecidit super faciem in terram.* Etiam Augustinus lib. i contra Felicem Manichæum sic legit: *Et collum sibi alligavit, & dejectus in faciem diruptus est medius.* Lucis etiam aliquid adserit istud *Quincilianii Declamat.*
xvii: *Strictos circa collum laqueos, aut nexus, aut ipsius corporis ruina, decepit.*

32. §. *Alter modus est, ut se prius suspenderit; sed vel arbores in terram inclinata, vel aliquibus supervenientibus, qui laqueum adimerent, supervixerit aliquantum, Deo sic eum per misericordiam invitante ad emendationem: sed postea novis actus Furiis semet præcipitem dederit, sic ut medius creparet, visceraque effunderet.*

Ita Theophylactus*, & Euthymius †, ceperunt.

* In cap.

27. Matth.

† In Matth.

capite quod ei est 67.

33. §. *Tertius est modus, ut, postquam se suspendisset, & ratione aliqua ex iis, quas dicebamus, periculo esset exemptus, in loco angusto à curru transeunte sic fuerit oppressus, ut rupto ventre exciderent intestina.*

Sic Papias, & ex eo Oecumenius ad verba ex Actis producta: Οὐδεὶς τὸν ἐναγένετο τῇ ἀγχένῃ, αὐτὸν ἐπεῖσιν, καπνεζθεὶς πέφεξεν πυρῆναι. καὶ τότο δηλώσιν αἵτινα πεσόλων πεφέξεις, οἱ πεντὶς γρύπεις εἰλάκησ μέσος. τότο δὲ σφέσερον ισορεῖ Παπίας ὁ Ἰωάννης οὐ πεσόλεις μαζήτης, λέγων· Μέγα στεβεῖνας τούτειγμα ἐν τότῳ τῷ οὔτρω πεφεπάτησεν Ιούδας. Περηδεὶς δὲ θητὴ ποστὸν τὸν σπέρμα, ὡς μηδώνα διελθεῖν, αἰμάξεις φαρεῖται διερχομένης, τὸ δὲ αἷμαξης θητεόθη, ὡς τὰ ἔγκνατα αἴτεις σκηνωθῆναι. Iudas non est mortuus suspendio, sed supervixit. Dejectus est enim prius, quam prefocaretur. Idque Apostolorum Acta indicant, quod pronus crepuit medius. Hoc autem planius scriptit Papias, Ioannis Apostoli discipulus, dicens; *Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permanxit Iudas.* In tantum enim corpore est inflatus, ut progreedi non posset: *cumque currus leni cursu pertransire, curru compressus est, ita ut effunderentur ejus intestina.* Subjicit deinde alia, non ex Papia, sed aliis, de capititis tumore, item oculorum, & membra genitalia, deque sanic ac verniibus totius corporis: & quomodo post longa tornianta in prædio sit mortuus, ecum fætore, ut diu illud propter odorem intolerandum manserit desertum. Quibus non dissimilia ex Apollinari referuntur in codd.

qui-

quibusdam MSSis. Atque istic horum etiam Papias auctor dicitur: de quo multum ambigo. Et ut verum esset, ex Eusebio satis constat, Papiam fuisse exigui judicii, ut fabulosa interdum ei fuerint obtrusa pro veris.

34. §. Fortasse autem nihil opus est recurrere ad ullum ex hisce conciliandi modum. Nam verbum ἀπάγχεσθαι, quo utitur Matthæus, idem est, quod ἀπονήγμαται, sive suffocari; quod laqueo quidem fit; non solo tamen, sed etiam mærore: ut sententia Euangelistæ esse possit, tortæ conscientiæ stimulis ita agitatum, ut mærore spiritum constringente halium ducere liberum non potuerit.

Sane aliquem non laqueo solum, vel Græcis ἀπάγχεσθαι, vel Latinis strangulari, certissimum est. Nam, ut de Latinis prius dicam, strangulationem, vel strangulatum vulvæ, apud Plinium legimus lib. xx. cap. xv, & xvi i. Ovidii est lib. v Trist. el. i:

Strangulat inclusus dolor, atque cor astutus intus.

Nec inœror solum strangulat: sed etiam voluptas, vel cupiditas, Scenæ; cura, Iuvenali. Nec ἀπάγχεσθαι de laqueo necesse est capere, cum Ælianus lib. v Variorum Historiarum cap. viii ait, scommata, & convicia, valere, prout animus fuerit hominis: atque huic rei argumento esse, quod Σωκράτης μὴ κωμῳδός τοι εἴλατο. Πολύαγρος δὲ πάγξατο. Vbi sententia est: Socrates in comedia traductus ridebat: Polyagrus vero perturbatione animi est strangulatus. Puta ira, ac dolore, affectibus vehementissimis. Idein cognoscimus ex historia Tobiae cap. i i i: ubi Sara dicitur inœrore fuisse affecta, ὡς ἀπάγχεσθαι, ut suffocaretur: h. e. nihil ab eo, quæ præ inœrore animam agit, differre videretur. Idein locum habere possit in Achitophele, Iudeæ in multis typo; de quo apud Græcos interpretes* idein usurpatur verbum ἀπάγξατο. Ibi Hebraice est רגנִי: quod de inœrore, non laqueo, capiunt complures interpretes Hebræi. Atque idem verbum in Matthæi Tralatione Syriaca, & Arabica, hoc loco usurpatur. Hoc pacto de Iuda voceni ἀπάγχεσθαι cepere Illustris Grotius, & doctissimus Pricæus.

35. §. Sed sic quoque in quæstione est, utrum mærore istuc Iudas mortuus sit; an alio mortis genere. Si prior placet sententia, dicendum, mærore sic strangulante, ut nec halatum

* 2. Sam.
sive Reg.
17.

tum posset dicere , infelicem concidisse primum in faciem , intestinis etiam singulari judicio Dei de ventre effusis . Sin posterius placet , statuere conveniat , eum tanto fuisse mæro- re affectum , ut vite omnis pertusus sese de loco sublimi præcipitem dederit , atque , istac ruina contritus , viscera ef- fuderit .

Sane inter mortis genera τὸ βιοθανάτων etiam præcipitationem sui refert Phædra in Hippolyto Senecæ :

Decreta mors est , queritur fati genus :

Laqueone vitam finiam , anferro exigam :

An missa præceps arce Palladia cadam.

Valde autem morti isti convenit verbum illud ἐλάχησε , quo utitur Lucas . Sic Lucanus lib . II :

Hic se præcipiti jactulatus pondere durat

Dissiluit percutitus humo.

Appuleius lib . V Metam . de forore Psyches : *Salutu se maximo præcipi- tem dedit . Perque faxa cantum membris jaclatis , atque dissipatis , & perinde , ut merebatur , laceratis visceribus suis , interiit . Pluraque in hanc men- tem attulit summus vir Præcaeus . Ac impense hanc sententiam pro- bo : ut nempe Iudas in corpore non quidem mortuus sit , sed eo de- sperationis adactus , ut se præcipitem daret , atque ita disruptus sit medius .*

36. § . Fortasse autem haec Iudea acciderunt , non quidem si- mul ac cognovisset , condemnatum esse Iesum : sed die uno altero post , vel ultra etiam . Quid si enim de resurrectione Christi intellexerit : coque cognito sic illi mæror fuerit ag- gravatus , ut animum nequiens vertere suffocaretur , pro- nusque concideret in terram : vel potius desperationis ple- nus , vitaque pertusus , sese præcipitem dederit , atque ita . interierit ?

Neque obstat , quod mox à nummis in templum conjectis rem narret Matthæus xxvii . 5 . Sæpe enim Scriptura non temporis or- dinem attendit , sed dicendi occasionem . Cujus exemplum etiam hic habemus , cum dicitur , postquam Iudas argenteos in templum conjecisset , eis fuisse eintum agrum figuli in peregrinantium sepul-

turam. Nec enim id continuo, sed commoda occasione, fortasse aliquot post resurrectionem diebus, factum videtur. Atque hæc de morte Iudæ.

37: §. Porro tam fœdum ac nefarium hominem, qui non vivus modo, sed etiam moriens horrendum in modum peccarit, miris laudibus ac honoribus extulerunt Caiani: tanquam, qui non modo à Christo ad decus Apostolicum fuerit elevatus, & mysteriorum factus particeps: sed etiam, tradendo Servatorem, promoverit plurimum salutem generis humani.

Irenæus lib. i aduersus haereses cap. ult. Alii autem rursum Cain à superiori principalitate dicunt, & Esau, & Core, & Sodomitas, & omnes tales cognatos suos constinentur, & propter hoc à factore impugnatos, neminem ex his male acceptum. Sophia enim illud, quod proprium ex ea erat, abripiebat ex eis ad semet ipsam: & hæc Iudam proditorem diligenter cognovisse dicunt, & solum præcateris cognoscētēm veritatem, perfecisse proditionis mysterium; per quem & terrena, & cœlestia omnia dissoluta dicunt, & consūctionem afferunt hujusmodi, Iudea Euangeliū illud vocantes. Tertullianus de Præscriptionibus aduersus haereticos cap. XLVI I: Nec non etiam eru-
pit alia quoque hæresis, quæ dicitur Cainæorum. Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in ipso. Nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum: & ideo inferiorem repertum. Hi, quod hoc adserunt, etiam Iudam proditorem defendant, admirabilem illum, & magnum esse memorantes, propter utilitates, quas humano generi contulisse jactantur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Iudea propter hanc causam reddendam putant. Animadvertisens enim, inquiunt, Iudas, quod Christus vellet veritatem subvertere, tradidit illum, ne subverti veritas posset. Et alii sic contra disputant, & dicunt: quia potestates hujus mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani, tradidit Christum, ut salus, quæ impediabatur per Virtutes, quæ obſtabant ne pateretur Christus, impediri omnino non posset: & ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari. Meminit hæresios istius etiam postea cap. XXXI I: uti, quos hic dicit Caineos, appellat Cainos: ut & facit lib. de Baptismo. Imo sic quoque, ut vidimus, nuncupat Irenæus. Item Philastrius, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus: apud quos, si vo-

si voleſ, ſimilia de Caianis vide. Nec alii ſunt Cainiſtae: ut vocat Clemens lib. vii Στεωμ. Reēte vero Epiphanius horum deinen-
tiam refellit ex ipſius Iudæ verbis, ſe peccatæ conſitentis prodendo
ſanguinem innoxiū. Vt plura cum Epiphanio * & Philaſtrio ad-
verſus eos adducere, ſupervacuum videatur. Solum igitur aliquid
dicam, de eo, quod Iudæ opus, Dei eſt, ac Chriſti, videatur.
Scelus Iudæ eſt in eo, quod tradiderit Chriſtum. Atqui de Deo ipſo
legimus Rom. viii. 32: *Filio proprio non pepercit: sed pro nobis omni-
bus tradidit eum.* De Chriſto item dicitur ad Gal. xi. 20: *Filiū Dei, qui
me dilexit, & tradidit ſemet iſum pro me.* Sed huic diſſicultati occurrit
B. Auguſtinus in Psal. xl ad verba illa, *Adverſum me cogitabant mala
mihi.* Item ad hoc Psal. lxv, *Mentiſtent tibi inimici tui.* Adhæc ad il-
lud Psal. xcii: *Secundum malitiām eorum diſperdet eos.* Præterea
tract. vii in epift. i Ioannis ad illud, *Filiū ſuum unigenitū miſit in
hunc mundum.* Contentus ero verba ejus loci adſcribere †: *Si pater* ^{† Tom. 9.}
tradidit filium, & tradidit ſe iſum filiuſ, Iudas quid fecit? *Facta eſt tradiſio*
à Patre: facta eſt tradiſio a Iuda. *Vna res facta eſt.* Sed quae res diſcernit pa-
trem tridentem filium, ſe iſum filium tridentem, & Iudam diſcipluſum tra-
dente magiſtrum ſuum? Quia hoc fecit pater & filius in caritate: fecit au-
tem hoc Iudas in prodiſione. Videtis quia non quid faciat homo conſiderandum
eſt: ſed quo animo, & voluntate faciat. In eodem facto invenimus Deum Pa-
trem, in quo invenimus Iudam. Patrem benedicimus, Iudam deteſtamur.
Quare patrem benedicimus, Iudam deteſtamur. Benedicimus caritatem, de-
teſtanur iniquitatem. Quantum enim praeflitum eſt generi humano de tradiſo
Chriſto! Nunquid hoc cogitavit Iudas ut traderet? Deus cogitavit ſalutem
noſtrā, qua redenti ſumus: Iudas cogitavit preciū, quo vendidit Domi-
num. Filius ipſe cogitavit preciū, quod dedit pro nobis: Iudas cogitavit pre-
ciū, quod accepit, ut venderet. Diversa ergo intentio diversa facta fecit.
Cum ſit una res, ex diversis eam intentionibus ſi metiamur: unum aman-
dum, alterum dannandum; unum glorificandum, alterum deteſtandum
invenimur. Tantum valet caritas. Vide quia ſola diſcernit: videte quia
facta hominum ſola diſtinguit.

* Haref. 38.

col. 628.

Baf. edit.

anni 1556.

C A P. IV.

De quarta Passionis parte sive iis, quæ perperitus est Iesus,
prius in ædibus Pilati, deinde & Herodis.

1. §. *Vartam Dominicae Passionis partem ab eo ordimur,*
quod mane ex ædibus Caiaphæ per urbem medium
raptus est in prætorium ad Pontium Pilatum.

Ex eo, quod mane id factum dicitur, cognoscitur, quam fuerint
sanguinis fidentes. Videlicet metuebant ne à populo sibi per vim
eriperetur, eoquæ urgabant hoc negotium, quantum possent.

2. §. *Eo ut ventum, Iesus quidem raptus in prætorium: sed*
populi primores ingredi noluerunt, quia esset dies para-
scenes, ac lege Mosäica, Num. vi, præcipiteretur, ut mundi
comederent pascha.

Timebant, ne ingrediendo domum hominis gentilis contami-
narentur. Atqui domus non erat polluta nisi propter Pilatum.
Proinde magis debuissent ipsius Pilati vitare consortium. Ut hinc
quoque eorum hypocrisis eluceat. Et quam insanum, quod metuunt
sibi ab ingressu domus, nec formidant effundere sanguinem inno-
xiuum?

3. §. *Apud Pilatum trifariam Christus est accusatus. Ac pri-*
mum falso doctrine, qua populum seduceret.

Quasi Christus aliud egerit, quam ut salutaribus monitis revo-
caret populum ad pœnitentiam, & pietatem in Deum. Sed hoc ca-
put de doctrina parvo loco duxisset homo Romanus, ac gentilis.
Alia igitur erant.

4. §. *Alterum vero fuit tributi negati: quod seditionis erat.*

Sed quomodo ad seditionem alios concitatavit, qui diceret, Deo
dandum, quæ Dei; Cæsari, quæ Cæsaris?

5. §. *Tertium fuit regni affectati. Quærebat igitur Pilatus,*
Tune es Rex Iudeorū?

Rogat de eo, quod sua interestet primis. Sane si Rex suisset, ter-
renus

renus puta , huic, non Cæsari, danda fuissent tributa. Cum vero Iudei hoc agunt, ut Christus capitis daimnetur, eo quod Regem se dicaret : scilicet ipsos capitis dominant, quandoquidem Messiam eiusmodi exspectarent, à quo everteretur Romanum imperium, novumque induceretur regnum , & id terrenum.

6. §. Rogante hoc Pilato , viciissim cum libere rogavit Christus , utrum ex se istoc quereret , an ex aliis accepisset.

Ioan. xviii. 34.

Quasi diceret , Aut ex te istoc rogas , aut suggestu alieno. Si ex te , quid in me cognovisti , cur videar regnum turbare ? Sin aliunde accepisti , vide ne decipiaris ambiguo regni vocabulo.

7. §. Hac interrogatione voluit Iesus occasionem præbere Pilato ulterius exquirendi ; uti factum. Ac primum quidem , significante Pilato , se ignarum esse opinionum Iudaicarum : sed Pontifices eum sibi tradidisse ; eoque se exquirere , quid grande commisisset , quo sic eos offendisset.

Ioan. xviii. 35 : Respondit Pilatus , Nunquid ego Iudeus sum ? Gens tua , & Pontifices , tradiderunt te mihi . quid fecisti ? Vbi pro eo , quod Græce , Genitua , (τὸ εθνὸς τὸ στρ) Syrus comemode , populariter tui.

8. §. Christus ex hac simplici interrogatione , & ab animo veritatis indagandæ profecto , occasionem cepit respondendi ad id , quod ante a rogarat Pilatus , & à delegatis Syndrii potissimum objectaretur. Ne vero simplici affirmatio- ne offenderetur Pilatus , explicatus exposuit , quale esset regnum suum. Negat , ab se quicquam periculi esse imperio Romano : ut cuius regnum neutiquam ejus esset indolis , ac mundi hujus regna esse solent.

Ioa. xviii. 36 : Respondit Iesus ; Regnum meum non est de hoc mundo : si ex mundo esset regnum meum , ministri mei utique decertarent , ut non traherer Iudeis : nunc autem regnum meum non est hinc. Regnum suum vocat Iesus , quod sibi promissum per Prophetas. Id regnum non esse mundanæ indolis , coadstruit , quod qui ad tale regnum adspirant , armare soleant ingentem turbam , quæ pro Imperatore suo decertare sit parata , ne in manus veniat hostiles. Sibi solum discipulos

est paucos , & eos plerosque incimes , quibus etiam , ne gladium stringerent , interdixerit . Et sane si regnum affectaslet terrenum , non tagisset in montes , cum populus eum creare Regem vellet : ut est Ioa. vi. Quid quod etiam discipulis interdixerit , ne cui significarent , se esse Meſſiam ? Periculum enim erat , ne terrenum cum regem populus putaret . Fasiliſ quidem erat apud Caiapham , se esse Meſſiam : sed quale ſuum eſſet regnum , adjecerat . Dicebat enim , ſe viſum ab iis iri fedenteſ ad Dei dexteram , & venienteſ in nubi- bus adjudicandum . Huic quod de regno ſuo reſpondit Iefus , admodum eſt conveniens , quod ejus cognatoſ reſpondiſſe Cæſari Do- mitiano legere eſt apud Eusebium Histor . Eccl . lib . 111 cap . xv : Ως ή αὐτός θαυμάσιος καιρός , & δέ επίγειος , επερχόντας ἐπὶ τούτων . Quod ejus regnum non eſſet mundanum , aut terrefreſ ; ſed caleſte , & angelicum .

9. §. Ex hiſ cognoviſ quidem Pilatus , non eſſe , quod ab hoc Rege ſibi metuant Romani : interim regnum ſibi vindicare audiebat . Quæſiuit igitur , an quomodo cunque foret Rex .

Ioa . xix . 37 : Οὐκέντι βασιλεὺς εἶ σύ ; Ergo tu rex eſt ?

10. §. Pilato reſponſum eſt à Chriſto , Tu dicis . Matth . xxvii . 11 , & Marci xv . 2 . Sive ut eſt apud Ioa . xviii . 37 . Tu dicis , quod Rex ſum ego . Quo Hebraifmo ingenuo ſe regem conſtitetur ; ſed qualem dixerat .

Itaque inchoaffe jam tum spirituale regnum eſt dicendus , quod ab adſcenſione plenum adeptus eſt in cœliſ . Atque hæc eſt illa pro- fessio , quam prædicat Paulus i Tim . vi . 13 : Precepio tibi in conſpe- ctu Dei , qui vivificat omnia , & Iefu Chriſti , qui teſtatiā ſecit ſub Pontio Pilato bona in confeſſionem . Et ad hanc regiam potestate , quam etiam habuit in terris , pertinet , quod peccata remitteret , quibus vellet , & miracula etiam patraret , liberrima potestate . Inque hoc etiam David typus ſuit Chriſti , quod , jam in regem inunctus , primitus ſolum partem obtinuit regni .

11. §. Nec ſufficit Chriſto ſi ſe Regem diceret : addidit , ſe ad hoc natum , inque hunc mundum veniſſe ut regnaret . Eſt ſune id prædictum jam ab Angelō erat , antequam naſce- retur , Luc . i . 31 . 32 : Et dabit illi Deus ſedem Da- vid ,

vid, pannis ejus: Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Subdidit etiam, in hoc regnum suum consistere, ut doceat homines veritatem: cui, qui veritatem amant, credant, ac nulla vi adacti, sed sponte obtemperent.

Ioan. xviii. 37. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Porro de his, & ceteris Christi ac Pilati verbis plura si voles, adi' Cajetanum Ientaculi primi Quæstione tertia: ubi agit de quadruplici admiratione coram Pilato.

12. §. Pilatus ex eo Christi responsō opinionem de eo concepit, quasi se Regem profiteretur non multum absimilem illi Stoicorum: quibus sapiens suus idem etiam Rex est. Itaque rogavit, qualis illa veritas foret, cuius se diceret doctorem.

Ioan. xviii. 38. Dicit ei Pilatus, Quid est veritas?

13. §. Sed quia istuc cognoscere, non videretur ad Iudicis officium pertinere, non instituit hoc exquirere: verum ad Synedrii delegatos, ac populum adstantem ivit, & dixit, nihil se in Iesu invenire istiusmodi, quod ad suam pertineat cognitionem, ac pro crimen sit habendum.

Ioan. ibid. Et cum hoc dixisset, prodiit ad Iudeos, & dicit eis, Ego nullam invenio in eo caussam. Οὐδὲ πίσταν αἵτινων ἐν αἷτις. Vbi αἵτις, pro crimen.

14. §. Hoc Pilati judicium ægre auditum à Iudeis: qui iccirco in multis eum culparunt, sperantes, in ea criminum copia aliquid saltem fore, quod animum Iudicis moveret.

Marci xv. 3: Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.

15. §. Pilatus tam multis auditis, sermonem convertit ad Christum, ac quæsivit ex eo, nihilne adversus ea responderet. Sic enim existimabat, neminem melius posse eorum columnias diluere, quam ipsum.

Marci xv. 4. Pilatus autem rursus interrogavit illum, dicens, Non respondes quicquam? ecce quam multa adversus te testentur.

16. §. Ie-

16. §. Iesus vero nec Pilato respondit, nec Iudeis. Non Pilato quidem, quia usque adeo illi satisfecisset, ut pronunciaret innocentem: nec Iudeis, quia tantam eorum pertinaciam sciret, ut nullo satisficeri responsō posset. Præterea voluit præcire nobis patientiæ exemplo. Adde quod jam animum obfirmarat ad mortem subeundam. Et si multum ut poterat, voluisset se purgare, visus esset mortem velle effugere. Pilatus vero hoc silentium videns, mirabatur tum tantam adversus actores lenitatem; tum etiam mortis contemptum.

Marc. xv. 5: Iesus autem deinde nihil respondit; adeo ut admiraretur Pilatus.

17. §. Iudei, ubi videre, Pilatum esse propensiorem erga Iesum, ac periculum esse ne è manibus elaberetur; accusaverere eum vehementius, tanquam seditionis: ut qui concitaret populum à Galilea usque ad Iudeam, & ipsam principem civitatem Hierosolymam.

Luc. xxxiiii. 5: At illi invalecebant, dicentes: Commovet populum, docens per universam Iudeam, exorsus à Galilea usque ad hunc locum. Videbant, nihil se promovisse criminis regni affectati: ergo aliam movent litem seditionis excitatae: idque doctrina nova, qua populus sit commotus: id vero repugnare quieti publicæ, cuius Pilatus sit custos. Ac quam vere hoc dicant, inde cognitum aiunt, quod non in Iudea modo haec faciat, sed etiam Galilæa, seditionorum nutricula.

18. §. Pilatus, ubi audiit de Galilea, quæsivit, num Iesus è Galilæa foret. Eo cognito, occasionem hanc arripuit mittendi eum ad Herodem, Galilææ tetrarcham: quia sic se extricare posse hoc iudicio existimaret. Commode antem contigit, quod eo tempore illic Herodes foret: quem credibile est eo venisse, ut Pascha inibi celebraret.

Lucæ xxxiiii. 6. 7: Pilatus autem, audiens, Galileam nominari, interrogavit, num homo Galileus esset. Et ut cognovit, quod ad Herodis ditionem pertineret, remisit eum ad Herodem: qui & ipse Hierosolymis erat per id tem-

tempus. Vbi remittere non est denuo mittere , sed mittere ad judicem competentem , sive eum ad cuius ditionem aliquis pertineat , seu propter natales , sive habitationis ergo. Sic Romani remittendi verbo uti solent. Porro Herodes ille , de quo hic sermo , est is , cui cognomen Antipas , filius Herodis Magni , sive Ascalonitæ , ejus nempe , qui pueros Bethlehemiticos interemerat : maritus vero Herodiadis ex Aristobuli fratre natæ , anteaque Philippo nuptæ : patruus Herodis Agrippæ , à quo in actis legimus Iacobum majorem fuisse occisum , & Petrum conjectum in carcere : denique avunculus magnus Agrippæ , coram quo orationem suam habuit Paulus ; ut est Actor. xxvi.

19. §. *Herodi mire id gratum accidit , partim quod honoris & officii causa id à Pilato factum crederet : partim quia jam din erat , quod multa audiisset de Christo , & avidus esset conspicendi alicujus miraculi.*

Luc. xxiii. 8 : Herodes autem , viso Iesu , gavisus est valde : tenebatur enim multo jam tempore cupiditate videndi illum , eo quod audiret multa de eo ; & sperabat se signum aliquod risurum ab eo fieri.

20. §. *Sed spe sua excidit : tantum enim abest , ut miraculo dignaretur , ut ne quidem voluerit affari.*

Luc. xxiii. 9 : Interrogabat autem eum (Iesum Herodes) multis sermonibus : at ipse nihil illi respondebat. Interrogabat eum de potestate regia , quam habere se diceret. Nihil responsi accepit : nedum miraculo dignabatur. Sciebat , eundem esse , quem vulpem antea vocarat : qui etiani Philippo fratri , Trachonitidis tetrarchæ , nefarie eripuisset Herodiadem uxorem ; et si lex non finat , ut quis fratri superstitis conjugem ducat. Sciebat quoque , ab eo , in Herodiadis gratiam , Ioanni Baptistæ præcisas cervices. Accedat ad hæc omnia , quod non veritatis amore , sed more aularum , ex curiositate duntaxat , miraculo aliquo vellet oculos pascere. Quasi non miraculum omne excedat naturæ vires : ut grande aliquid esse conveniat , cuius gratia illud fiat.

21. §. *Interea delegati Synedrii , qui una venerant , acriter accusarunt Iesum , ut sic etiam Herodi redderent suspicium :*

ētum: quasi qui Davidis sōlium affectaret, ad quod non Galilæa minus, quam Iudea pertineret.

Luc. xxii. 10: *Stabant autem principes Sacerdotum, & Scribe, acriter accusantes cum. Græce est Ἀττίνως, quod vulgatus constanter, Erasmus rectius acriter vertit: quomodo & sumitur Act. xviii. 28: ubi Paulus dicitur Iudæos Ἀττίνως refelliſſe.*

22. §. *Herodes cum, propter ea, quæ retulimus antea, ab Iesu se contemni putaret, ipſe Iesum pariter contempsit, eumque sine dubio variis scommatis illusit: & quia rex Iudeorum dicebatur, candida indui ueste jussit, qualis regi conveniret: atque ita illusum remisit ad Pilatum.*

Luc. xxiii. 11: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitibus suis: cumque illusisset, indatuum ueste splendida remisit ad Pilatum. Græce est, οὐ τοῖς σεργάλλουσιν, quod ad verbum sonet, cum suis exercitibus. Sed sensus est, cum suo coinitatu, ac ministris. Est enim Hebraismus, οὐ πας pro quovis comitatu. Iussit vero indui ueste regia: nempe candida, h. e. non λευκὴ, sive alba, sed λαμπεῖ, sive non alba solum, sed etiam splendida; h. e. cum fulgore ex albore eo relucente: quali subinde reges uti solent, ad candorem animi, & innocentiam testandam. Ideo Pompeius Magnus affectati regni erat suspectus, quod cretatis utcretur fasciis. Nihil enim referre aiebant, qua corporis parte diadema gestaret. Apud Valerium etiam Maximum legas lib. i, cap. vi, imperatoribus in pralium exituris nunc album, nunc purpureum dari paludamentum solere. Ita illusus Christus remittitur ab Herodis palatio ad Pilatum. Nec dubitandum, quin in via, & cum iret, & cum rediret, exceptus fuerit multorum fannis.*

23. §. *Ab hoc tempore reconciliati sunt Herodes, & Pilatus, cum antea fuissent inimici.*

Luc. xxiii. 1: *Et facti sunt amici, Herodes, & Pilatus, in eodem die. nam antea simultas inter eos intercesserat. Simultas ea videtur inde orta, quod Pilatus involaslet in quadam, quæ ad Herodis jurisdictionem pertinerent: & fortasse, quod Galilæorum sanguinem cum sacrificiis eorum miscuisset: ut est Luc. xiii. Reconciliatio autem ex eo, quod judicium de Iesu tanquam Galilæi, Herodi, ut Galilææ Regi, detulisset. Et sane, absque tam gravibus cauſis, facile etiam discor-*

discordia vitia adversum virtutem concordant. Hactenus de quarta parte Dominicæ Passionis.

C A P. V.

De parte passionis quinæta. Ad quam pertinent ista: quod, reductus ad Pilatum, variorum ageretur criminum reus, etiam denudaretur, cæderetur flagellis, indueretur purpura, coronaretur spinis, rideretur, conspueretur, percuteretur alapis, & atundine, atque ita traçatus ostenderetur populo, & adjudicaretur morti.

1. §. *Venio nunc ad partem Dominicæ Passionis quinctam.*

Vilatus ubi vidit, præter spem suam evenisse, ut Herodes remitteret Iesum: totus in hoc incubuit, ut persuaderet, sufficere, si Iesus virgis castigatus dimitteretur: quippe qui imprudentius fortasse egisset quedam: sed nihil morte dignum commisissèt, vel judicio suo, vel, si non crederatur sibi, judicio quoque Herodis, qui & popularis foret, ac religionis ejusdem.

Luc. xxxii. 13. 14. 15: Pilatus autem, convocatis principibus Sacerdotum, & magistris, & plebe, dixit ad illos, Obtulisti mihi hunc hominem, quasi avertentem populum: & ecce, ego coram robis interrogans, nullam caussam inveni in homine isto ex his, de quibus accusasti eum. Sed ne Herodes quidem: nam remisi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum est ei. Vbi obscurius quod dicitur, Nam remisi vos ad illum. Græce, Αὐτέμ ως ὑμᾶς τοῖς αὐτοῖς. Quomodo & Syrum legisse liquet. Ut hoc velit, proceres à se missos ad Herodem. Sed in aliis libris est, Αὐτέμ ως αὐτοὺς τοῖς ὑμᾶς, nam remisit eum ad nos. Hoc est, remisit Herodes Iesum, tanquam ridendum potius, quam morte dignum.

2. §. Subjunxit Pilatus, velle se propterea non quidem impunitum dimittere, ne nihil Iudeorum postulato largiatur; attamen nec morte punire, quia hoc nimis foret crudele in eo, quem innocentem putaret. Medium igitur se viam institurum, qualis, si cædatur flagellis.

Luc. xxiiii. 16: Παυδόσας ἐν αὐτοῖς ἀπολύσω. Castigatum ergo illum dimittam. Quia castigandi voce proprie virgæ, aut flagella, sanguinatur.

3. §. Hinc eidem in mentem venit, quomodo etiam absque omni supplicio posset dimittere: quandoquidem esset festum Paschale: cuius ergo quotannis aliquis ē captivis soleat liberari.

Hæc enim sententia est verborum Matth. xxviii. 15: In festo autem consueverat Præses unum turbæ dimittere, quem voluissent. Sive, ut apud Lucam xxiiii. 17: Necesse autem habebat dimittere eis in festo unum. Pro quo Ioan. xviiii. 39: Est autem consuetudo robis, ut unum dimittam in Pascha. Vbi videmus, quod aliis generatim ἔογεται, id eidūnōs Ioanni Pascha vocari. Et alibi similiter videas interdum ἔογεται pro paschate poni κατ' ἑξάχλω. Perperam vero ex his colligunt aliqui, Christum esse crucifixum ipsa die, qua comedebant agnum Paschalem, sive prima die azymorum. Nam Pascha à Pilato laxe sumitur, ut simul comprehendat tum parasceuen, quia ad pascha præparet, tum non primum modo, sed sex etiam sequentes azymorum dies. Nec ipso die Paschali vacassent Iudei judicio capitali: quod fuisset profanare diem tam religiosum. Quare postulatum istiusmodi non poterat habere locum vel primo azymorum die, vel ultimo; qui cæteris habitu sanctiores, vereque μεγάλαι ἔογεται: sed tantum parasceues die, vel azymorum diebus, inter primum, & ultimum interjectis.

4. §. Hæc consuetudo non erat à temporibus antiquis; quibus siquid contra legem Mosaicam peccatum foret, nulli erat ignoscendi potestas; non Regi, non Synedrio, non toti populo. Omnino enim obtinebat, quod divinus ad Hebreos epistola scriptor ait x. 28: Qui aspernatus fuerit Mosis legem, absque misericordia (χωρὶς οἰκληροῦ) sub duobus, aut tribus testibus, moritur.

Quod pluribus ex historia Iudaica exemplis comprobatur illustris Hugo Grotius, annotationibus ad eum Matthæi locum, de quo nunc loquimur.

5. §. At

5. §. At profectus is mos à Romanis , qui , stante adhuc Rep. lectionis tempore vincula captivis adimi jussere ; ut ex Livio constat. Quomodo cum animati essent , nihil mirum , si Augustus Cæsar , ut gratificaretur Iudeis , hoc Præsidibus , quibus nulla alioqui ignoscendi potestas , concesserit , ut in festo præcipuo , hoc est , Paschæ , quod sapientia dicitur festi nomine intelligitur , permiserit iis , uni ex captivis vincla demere , atque eum carcere emittere.

Quid mirum igitur , si , cum gentiles Imperatores hunc honorem habuerint festivitatibus Paschali , turpe putarint Imperatores Christiani , si hac parte forent inferiores ? Vt Valentianus , Valens & Gratianus : quorum Constitutio est in Codice Theodosiano , tit. De indulgentiis : Ob diem Paschæ , quem intimo corde celebramus , omnibus , quos reatus adstringit , cancer inclusi , claustra dissolvimus . Attamen sacrilegus , in maiestate reus , in mortuos veneficus sive maleficus , adulter , raptor , homicida , communione istius muneris separantur . Ibidem & altera est eorundem Principium , anno edita consequenti : Paschæ celebritas postulat , ut , quoscunque nunc ægra expectatio quaestio pœnae que formido sollicitat , absolvamus . Decretum tamen veterum mos gerendus est : ne temere homicidii crimem , adulterii feditatem , maiestatis injuriam , maleficiorum scelus , insidias venenorum , raptusque violentiam , sinamus evadere . Ob ea , quæ hic excipiuntur , Gratianus , Valentianus & Theodosius , L. Paschalis , eodem tit. dicunt : Paschalis latitia diem ne illa quidem temere sinec ingenii , quæ flagitia fecerunt . Plura de hoc si voles , Brissonium adi ad L. Dominico , De Spectaculis , in Cod. Theodos. Imo Prudentius , poëtarum more ludens , fingit , eo die quoque pœnas cessare apud inferos .

6. §. Pilatus itaque , ob huncce morem , jubet , ut quia vinculum quoque haberet Ἐθνιον , sive scelere aliquo insignem , ac famosum , statuant inter se , utrum malint Iesum dimitti , an Barabbam , qui in seditione quadam hominem interemisset .

Matth. xxvii. 16, 17 : Hæbat autem tunc vinculum insignem , qui dicebatur Barabbas . Congregatis ergo illis , dixit Pilatus , Virum vultis dimittam robis , Barabbam : an Iesum qui dicitur Christus ? Marci xv. 7 : Erat autem qui dicebatur Barabbas , qui cum seditionis auctoribus fuerat vim-

ctus, qui per seditionem cædem p. atraverant. Luc. xxii. 18. 19: Barabba, qui erat propter seditionem quandam factam in civitate, & homicidium, conjectus in carcerem. Ioann. xviii. 40: Erat autem Barabbas latro. Græce est λῃστής. Actor. i. 11. 14. pro eo ἀνδεξ Φονέα virum homicidum legas. Per latronem igitur hic non aliis, quam homicida intellegendus.

7. §. Spes erat, Iesum prælaturos. Et eo tam impares compo-
suerat Pilatus, gnarus, ex invidia Christum accusari.

Matth. xxvii. 18: Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum. Vt à fratribus contigerat Iosepho, qui typus fuit Christi.

8. §. Interim Pilato, considenti in tribunali, nuntium mit-
tit conjux, qui significaret, multa sè perpeccam in somnis
propter Iesum: eoque esse auctorem, nequid sibi cum justo il-
lo negotii esse velit.

Matth. xxvii. 19: Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi cum justo illo: multa enim sum passa hodie in somnis propter eum. Vnde videimus, ut Pilatus secum uxorem duxerit in provinciam: quod moribus antiquis aduersabatur. Sed Tiberianis temporibus aliter fuit: ut cognoscimus ex Taciti Annal. i. 11: ubi Cæcinas conqueritur, ab his negotia suscipi, transfigi: duorum egressus co-
li: duo esse præatoria.

Ex eo autem, quod Pilatus dicatur sedisse pro tribunali, cognoscimus, id nunciatum esse, non in secretario, sed postquam inde exis-
set. Nam distincta erant hæc duo loca, secretarium, (ut posterio-
res vocarunt) & tribunal. In secretario disquisitio judicium siebat.
Atque eo vocabatur reus, cum esset examinandus. Sed postquam
aliquid de reo decretum, exhibatur ad tribunal; unde sententia pro-
nunciabatur. Ea duo loca distingui velo solebant. Vnde Ado prid.
Id. Augusti de Euplo: Cum esset extra velum secretarii, intromissus est,
jubente Calvisiano, in auditorium. Hinc Clemens, qui dicitur Roma-
nus, lib. ii cap. li, τὸν εἰπεῖν οὐδὲ μήτε, velo interposito. Ut vero La-
tini, secretarium. Sic Synodus Africana, τὰ σύνεγγράφη διατησεῖσι. Plu-
ribus de hoc illustris Grotius. Sed ad somnium, quod habuerat Pi-
lati uxor, redeamus.

9. §. Credo, somniarat, hunc esse filium Dei, aut saltem ho-
minem

minem justum: multaque Hierosolymitanae urbi mala imminere, si innocens detur neci. Mariti igitur amore cum de hoc somnio facit certiorem.

Varia sunt somniorum genera: quæ quadruplici à causa solent variare: ut ostendimus lib. 111 De theologia gentili, & physiologia Christiana cap. xxxv. Somnium hoc utrum morale, an divinum fuerit, non satis liquet. Fortasse utrumque concurrit. Morale sit, quatenus verisimile est, varia de die audiisse judicia de Christo, & multis eum prædicari filium Dei, & miraculis insignem. Sed divinum potius fuerit, si soñniarit, reapse esse Filium Dei, & ob ejus necem fore, ut exscindantur Hierosolyma. Posterius huc amplexi etiam Origenes, Chrysostomus, Theophylactus: qui ex somnio colligunt, vel antea piam fuisse, vel somnio factam, atque eo salvatam. Ac Maldonato quoque id probabile videtur.

10. §. *Dum hæc fiant, Iudei inter se consilium capiunt, quid responsuri essent Pilato. Persuasum vero illis à principibus, ut festi ergo Barabbam peterent dimitti.*

Matth. xxvii. 1. 20: *Principes autem Sacerdotum, & Seniores, persuaserunt turbis, ut peterent Barabbam, Iesum vero perderent. Vide, quid non odium, & invidia possit: seditionem, & homicidam, præferunt homini innocentissimo. Quod merito Iudeis exprobrat Petrus Act. 111, 14: Vos autem sanctum, & justum, negastis; & postulaistis, ut virum homicidam donaret vobis.*

11. §. *Vbi videt Pilatus, prater expectationem cecidisse, ut eligerent Barabbam, denugo idem exquirendum sibi putavit, spe qualicunque, non adeo pertinaces fore in sententia sua, si viderent, alind Praesidi videri. Sed Iudei uno ore acclamarunt, non Iesum, verum Barabbam dimittendum. Nec propterea destituit à proposito Pilatus: sed rogavit, si Barabbam vellent dimitti, quid fieri cuperent de Christo. Illi clamare tam, ut cruci affigeretur: non contenti poscere ut morti addiceretur, sed ut ignominiose. Hic Pilatus tertio eos compellare, rogareque, quid tam grave commisisset Iesus, ut tale ei supplicium esset subeundum.*

*Illi eandem canere cantilenam, si clamor insanientium can-
tio dicenda. Nempe una voce acclamare s̄epius, ut crucifi-
geretur.*

Matth. xxvii, 21: Respondens autem Praeses ait illis, Virum vultis vo-
bis è duobus dimittam? At illi dixerunt, Barabbam. Dixit illis Pilatus, Quid
igitur faciam Iesu, qui dicitur Christus? Non videntur ea fuisse Pilati
verba. Nam nondum Christi nomen ita innotuerat paſſim. Sed ſuf-
ficit, quod ſententiam expreſſerit Euangelista. Sequitur: Dicunt ei
omnes, Crucifigatur. Praeses autem ait, Quid enim mali fecit? Tí δό οὐα-
ρογί επιτίησεν; Vbi δέ politum pro ἑώ, ut ſententia ſit: Siccine? quid
igitur mali commiſſit? Vel ſi proprie δέ ſumitur, quod verius puto,
more Hebræo reticuerit Euangelista id, quod dictum fuisse intelli-
gitur, ex ratione, quæ ſubjicitur. Omilia vero Ioannes ſic ſupplet:
Regem reſtrum crucifigam? Quid enim mali fecit? Quomodo & verum-
tamen (τὰλω) Matth. xxvi, 64, (ut monet ibi Maldonatus) non ex-
preſſis respondet, ſed omiſſis. Hinc ſubjicit Matthæus: At illi ma-
gis clamabant, dicentes, Crucifigatur. Hujusmodi acclamationum varia
apud Patres, & imprimis in Martyrologiis, habemus exempla: ut
cum clamarent, ad leonem, ad bestias, atque alia id genus. De qui-
bus recte quidem L. Decurionum C. de Pœnis, vanas populi voces non
effe audiendas: attamen conſtat, nullos magistratus magis iis fuisse
commotos, quam conveniret. Eadem narrat Marcus xv. 11. 12.
13. 14. Tertiò autem Iudeos à Pilato compellatos clare indicat Lu-
cas xxiii. 22: Ille autem tertio dixit eis, Quid enim mali fecit? nullum
crimen capitale comporio in eo. Caſtigatum ergo illum dimittam.

12. §. Et jam parum abesse res à tumultu videbatur. Quæ
res metum incuſſit Pilato, ſic ut à proposito deſſeret.

Matth. xxvii. 24: Videntes autem Pilatus, quod nihil proficeret, ſed
magis tumultus fieret, &c. Is tumultus in ſeditionem prorupiſſet, quia
populus non ſiviſſet elabi eum, quem perſuafa foret eſſe blaſphemum. Sanc & antea Christum propterea populus voluit lapidare,
non exspectato Præſidis judicio. Posteaque, Stephanum à populo
Iudaico lapidibus obrutum, in Actis legimus. In tumultu nihil re-
cte atque ordine fieri ſolet. Eoque justius ſibi à ſeditione metuebat
Pilatus, quia, quam facile is populus ad eam concitaretur, abunde
foret expertus, cum milite Hierosolymis inducto ſpoliare vellet

tem-

templi thesauros : de quo apud Flavium Iosephum legere est lib. II
de Bello Iudaico cap. VIII.

13. *Sic constitutus Pilatus , consultum putavit, ut cederet furori. Ergo Christum flagellari precepit.*

Ioan. xix. 1 : *Tunc ergo apprendendit Pilatus Iesum , & flagellavit. Partim id à Pilato factum ; quia sic mos ferret Romanus , ut qui crucifigendi essent , prius flagellis cæderentur : partim etiam , quod speraret , hoc supplicio posse emolliri duros Iudæorum animos.*

14. §. *Antequam vero flagellaretur , toto corpore denudari opus fuit.*

Quod non potuit non dolorem illi adferre , qui non omnem amississet pudorem . Nec tamen hic par omnino ratio est Christi , ac nostri . In Christi enim corpore nihil pudendum , quia non peccarat . Interim licet nihil in ejus carne pudendum , assūmserat tamen carnem pudenda similem . Itaque non dubium , quin dolore afficerit Christum ea denudatio , propter causam turpitudinis non veræ , sed apparentis . Quamquam vero disputetur , utrum Christus fuerit penitus nudus , an verenda tectus , cum affigeretur cruci ; de quo inferius differetur : tamen cum flagellandus alligaretur columnæ , fuisse penitus nudum , communis omnium opinio est : ut ait Franciscus Suarez in Commentar. ad 111 Part. Thomæ tom. 11 quæst. XLVI disput. XXXIX sect. IV . Atque ita quoque in Revelationibus S. Brigittæ lib. I cap. x legas : *Ibi alligatus nihil omnino operimenti habebat . Et lib. IV cap. LXX : Deinde jubente lictore seipsum vestibus exuit ; columnam sponte amplectens , recte ligatur , & flagellis aculeatis , infixis aculeis , & retractis , non evelendo , sed fulcando , totum corpus ejus laceratur . Ad primum igitur ictum ego , quasi corde percussa , sensibus abducor : & post tempus evigilans corpus ejus laceratum video . Toto enim corpore nudus erat , cum flagellaretur .*

15. §. *In flagellatione ipsa tria considerantur: virgis ne sit cæsus , an flagellis : an de numero verberum constet : num procumbens , an stans casus fuerit . De primo sic statuo , flagellis fuisse casum . Hoc enim indicat vox Φεγγελών , que est apud Matth. xxvii. 26 , & Marci xv. 15.*

Vt fallatur Maldonatus, quando virginis cæsum putat. Ino Romæ in Ecclesia B. Mariæ ostendi aiunt flagellum, quo cæsus est Dominus. Est vero flagellorum supplicium fœdius. Nam liberi virginis, servi flagellis cædebantur. Cicero pro Rabirio perduellionis reo: *Porcius lex ab omnibus civium corpore amovit virginas, hic immisericors flagella retulit.* Aculeatis flagellis cæsum, B. Virgo ait apud Brigitam^a. Volunt plerique, Christum esse cæsum flagellis taxillatis, quæ *αισχυλωται μαστιφε* dicuntur. Appuleius lib. viii appellat flagra pecuninis ossibus catenata. Alibi, contortis tæniis lanosi velleris finibriata, & multijugis talis ovium taxillata. Plura Iustus Lipsius, Daniel Mallonius^b, Ludovicus De-la-Cerda^c, Consalvus Durantus^d.

^a Lib. 4.
^b cap. 70.

^b Elucidationibus ad
Alphonsum
Palaotum

^c In Advers.
sacr. cap.

^d 107. §. 27.

^d Annotat.

^a in S. Brigitte
Revelat.

^b Revelat. i. cap.

^c 10. num. 2.

16. §. Alterum erat, quoties Christus flagellis fuerit cæsus. Siquidem in eo differebat flagellatio Iudaica, & Romana, quod illa certo plagarum numero contineretur; hæc non item. Iudei enim tantum quadragies poterant cædere: ut est Deuter. xxv. 3.

Solent autem uno minus iætu cædere, sive humanitatis ergo, sive quia poterant iætu uno aberrare, eoque satius esset intra præscriptum modum ferire, quam eum excedere. Vnde & Paulus 1 Corin. xi. 24: *Quinque quadrages una minus accepi.* Nempe ab Iudeis istæ erant.

17. §. At Romanus modus non erat certus: sed nunc major, nunc minor. Quare de Christi flagellatione, quæ, antequam crucifigeretur, more facta Romano, quot verberum fuerit, dici nequit.

Landulphus de vita Christi non dubitat scribere, affectum verberibus 5475. Nec Ioannes Lanspergius, homilia L. de Passione Dominica, vel Guilielmus Pipinus stat. vi Christi patientis, multum abeunt. Sed plane hoc fidem excedit, cum corpus humanum tot nequeat flagra perferre. Scio, divina virtute suis Christi corpus conservatum. Sed quid opus recurrere ad miracula, ubi nihil certi subest toti rei? Porro Iudaica flagellatio loro fiebat vitulino: quod Rabbini observant in Deuter. xxv. Hæc de numero plagarum.

18. §. Tertium erat, quo situ corporis flagellarentur. Iudei flagellabant prostratos.

Vt ibidem ostendunt hæc verba Mosaica Deut. xxv. 2. Sin autem eum, qui peccavit dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari.

19. §. At servi Romani columnæ alligabantur.

Vnde Plautus Bacch. act. iv sc. vii :

— Abducite hunc

Intro, atque adstringite ad columnam fortiter.

Atque ita Christum esse cæsum, ait quoque Nazianzenus orat. i in Julian. Hieronymus epist. xxvi i ad Marcell. Paullinus epist. xxxiv. & veterum alii. Columna, ad quam alligatus Iesus fuit, postea Ecclesiæ est facta porticus. Et eam sibi ait conspectam B. Hieronymus sanguine Christi cruentatam. Si ea fuit columna, fuit longa : ut quæ sustineret ædem. Sed Roinæ in æde S. Praxedis, martyris Romanae, quæ sub Antonino Cæsare passa, brevis monstratur columna, cui dicitur fuisse alligatus. Et sane talis accomodatior, ut columna tantum assurgat ad nates. Ita corpus totum pene patuerit plagis. Plura de flagellatione si voles, adi Alphonsum Paleotum, lib. de Stigmatibus Christi, quæque ad eum Daniel Mallonius annotavit cap. v. Item Consalvum Durantum notis in S. Brigitæ Revelatio-nes lib. i. cap. x. §. ix.

20. §. Post eam flagellationem Iesus à militibus Pilati prehensus, inque Prætorium, non longe à tribunali & secrete-rioris Iudicij consistorio diffitum, abreptus fuit : atque eodem tota est cohors convocata.

Matth. xxvi i. 27 : Tunc milites Praesidii suscipientes Iesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem. Marci xv. 16 : Milites autem abduxerunt eum intro in atrium, quod est prætorium, & convocant totam cohortem.

21. §. Ab hacce cohorte tanquam ad ludicrum spectaculum, imo non ad spectandum modo, sed illudendum etiam, ad- vocata, sive Pilati jussu, sive militari protervia, octonis ludibrii, atque injuriarum generibus Christus affectus fuit.

Nec inutile vero, nec injucundum sit, cum his conferre, quæ Philo Alexandrinus libro in Flaccum * refert de Carabba quodam, pa- rum mentis compote, & interdiu noctuque nudo oberrante per a. 1613.

* Pag. 751.
edit. Allo-
brog.

compita, nec vel æstum, vel frigus curante, vere puerorum & adolescentium otiosorum ludibrio. Hunc hominem miserum ad gymnasium propulere; ac constituerunt in sublimi, ut consipi posset ab omnibus; mox capiti imposuere diadema papyraceum; corpus amiciunt storea (*χαραισπάτω*) pro chlamyde; pro sceptro in manum dedere arundinem. Sic histrionico more regem factum adolescentes, perticas humeris gestantes, tanquam satellites, stiparunt; ac aliquis salutatum accessere; alii ius sibi reddi petiere; alii consuluere de Republica, post hæc omnes circumstantes M A K I M acclamarunt; quod Syris dominum signat. Sed nunc de Christo persequamur.

22. §. Primum est, quod Christum exuerunt vestibus suis.

Exuisse tunicam inconsutilem, & stolam, apud Originem legas, & ex eo apud Iansenium, & alios. Hæc pudori erant, ut ex iis cognoscere est, quæ superius dicebamus. Fortasse tamen non totus denudatus, sed solum interiori tunicae superinducta est vestis alia.

23. §. Alterum est, quod ad ludibrium induerunt eum chlamyde coccinea, ut est apud Matthæum: sive chlamyde purpurea, ut referunt Marcus, & Ioannes.

Vbi duplex quæstio exsurgit. Prior est de veste. Nam aliud *ἰμάτιον*, aliud *χλαμύς*. Altera est de colore. quia aliis est coccicolor, aliis purpura. Quemadmodum & materia differebant. Nam coccus est frutice terrestris: purpura est concha marina. Imo & tertium discrimen, quod in usu consistebat. Siquidem equites apud veteres Romanos coccinea usi veste: sed purpura soli imperatores. Quod ad priorem quæstionem, censeo, *ἰμάτιον* hic laxe sumi, ut non tunicam signet, quæ interior, sed chlamydem comprehendat, quæ exterior. Quod ad colorem, credo, proprie suisse vestem coccineam: sed pro ea dici purpuream, quia vulgo saepè confunderentur; idque propterea, quod Tyria purpurea proxime à cocci colore abest. Quamquam proprie acceperit Nonnus, cum ait *:

* Ioan.

Παρεψηλος ἐσῆται Διδέροχον αἴματι ρόξλω.

cap. 19.

Purpuream vestem irriguam sanguine muricis.

vers. 5. sive Vnde vero subito vestis hæc eximia? Num dicendum, eam suisse poëta v. 24. satellitum alicujus? an centurionis suam vestem præbentis ludibrii ergo, quam mox esset recepturus? Sane exiturum ad supplicium sua iterum veste dicuntur induisse. Atque hæc de veste.

24. §. Tertium erat, quod Christo ludibrii causa coronam imposuerint spineam: coronam, ut Regi: spineam, ut miserabili Regi.

Quod ut magis liqueat, duo haec attendemus, quod coronarint, & quod spinea id corona factum. Coronarunt, ut qui se regem dicere. Primitus simulachrum Solis, corona erat insigne: & quidem quae duodecim haberet radios, ad indicandum duodenos per signa duodecim labores. Vnde Maro xii Aen.

— *Ingenti mole Latinus*

*Quadrijugo vehitur currus; cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgenia cingunt,
Solis avi specimen.*

Signa vero, ac menses xii, signari, etiam legas apud Martianum Capellam lib. ii de nuptiis Philologiae:

*Solem te Latium vocitat, quod solus honore
Post patrem sis lucis apex: radiisque sacratum
Bis senis perhivent caput aurea lumina ferre,
Quod totidem menses, totidem quod conficis horas.*

Sol vero creditus naturae universae ac praecipue aethereae arbiter: ac quatenus naturae praefest universae, vocatus Saturnus; quatenus celo, Iupiter; quatenus in se consideratur, Apollo, aut Phœbus. Vnde liquet, quomodo ad Solem pertineat, quod ait Callimachus:

— *ἐν διός βασιλεῖ.*

Liquet etiam, cur ut filii Iovis, sive ut Solis filii, vel nepotes, ut Latinus apud Maronem, coronam habuerint radiis xii insignem. Itaque & cum quidam somniaisset, se solem factum per forum ambulasse undecim radiis insignem, hoc divinatores ita interpretati, imperatorem quidem fore; sed undecim mensibus exactis diem suum obitum. Testis Artemidorus lib. iv cap. li. Et haec universae de regum coronis.

Nunc particulatim agam de corona, quae imposita fuit capiti Christi. Haec fuisse dicitur ē juncis marinis. Id colligunt ex voce θλέξαται. Sed clare apud Euangelistas est ἀναρθῶν. Quo nomine à nullo scriptore ἐξυζων intelligitur. Marcellus Empiricus eam coronam fuisse dicit ē spina alba. Aliqui tamen, quibus visa est corona, S. Ludovici temporibus Lutetiam deportata, rege ipso pompani, honoris, & pietatis ergo, comitante, fuisse eam scribunt ē

juncis marinis. Verum ipse Baronius agnoscit, è spina videri. Cre-
dibile est, hancce spineam coronam detractam capiti Christi, cum
ei exuerent $\chi\lambda\omega\alpha\delta\phi\varphi\sigma\tau\alpha$ ^a. Nam cum corona fuerit ampla, non
potuissent aliter exuere tunicam, quæ ita stricta erat, ut proxime
corpori quasi adhaeret: unde & $\epsilon\chi\epsilon\omega\alpha\pi\gamma\sigma\tau\alpha$ dixerunt. Planeque puti-
duim est, quod Grammatici dixerunt, $\chi\lambda\omega\alpha$ nuncupari $\delta\pi\tau\delta\chi\epsilon\epsilon\pi\tau\alpha$. Colligimus igitur, milites prius coronam de capite Christi sustulisse: hinc tunicam exuisse: ea exuta, iterum coronam imposuisse.
Quanta autem immisericordia fuit, quod pro corona aurea, gem-
mis distincta, imposuere spineam, quæ non solum ignominia foret,
sed etiam pungendo adferret dolorem? Quo fine & capiti arctius
impressissime, est verisimile.

In memoriam spineæ Domini coronæ Petrum fuisse tonsurum, tra-
dit Ceolfridus abbas epistola ad Naitanum regem, lib. v. Histor.
Angl. cap. xxii: Neque vero ob id tantum in coronam attundemur, quia
Petrus ita attonsus est; sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita
attonus est: iccirco & nos, qui per eandem passionem salvati desideramus,
ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte,
gestamus. Et paullo post: Formam quoque corona, quam ipse, in passione
sua, spineam portavit in capite, ut spinas ac tribulos peccatorum nostrorum
portaret, id est, exportaret, & auferret à nobis, suo quemque in capite per
tonsuram præferre: ut, se etiam irrisiones, & opprobria, pro illo libenter, ac
prompto animo, susserre, ipso etiam frontispicio doceant. Atque hoc est,
quod etiam legas apud Germanum, episcopum Constantinopolita-

^b Pag. 149.
edit. Paris.
Morell.
an. 1560.

in Theoria mystica rerum Ecclesiasticarum^b: Τὸ δὲ ξύλον τα
κεφαλῆς ἡ λεπέως, καὶ τὸ γροτής αὐτεῖ τρίμα τὸ μέσον τὴ τερχῶν,
αὐτὶ δὲ οὐκανθίνει φάντα, ὃνπερ ὁ Χεισὸς ἐφόρεσεν. Rasura capitis sacer-
dotalis, & rotunda ejus pilorum media sectio, vice corona est spinea, quam
Christus gestavit. Etiam sesquicentus post similiter Rabanus Maurus
de institut. Cleric. lib. i cap. iii: Sunt quoque quidam doctorum, qui
afferunt, diversas ob causas Petrum Apostolum hunc ritum primum sumisse
primitus, ut formam, & similitudinem Christi in capite gestaret, dum pro
redemptione nostra, crucis patibulum subiturus, à nefanda Iudeorum gente
acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur. Aliquot etiam post secu-
lis sic inter alios scripsit Ebrardus, sive Eberhardus Bethuniensis,
(Bethunia vero in Arthesia est) contra Waldenses cap. iv^c: Corona,
quæ fuit data Christo causa improperii, nobis causa honoris debet esse. Legas
apud nonnullos, Petrum, cum missus esset ad prædicandum Eu-
gelium,

^c Pag. 75.
edit. Ingol-
stad. an.
1614.

gelium, fuisse tonsum ad contumeliam: sed, Christo benedicente, id vertisse in gloriam: Sic sane idem Germanus, episcopus Constantinopolitanus, proxime post verba paullo ante allata: O' ἐν τῇ κεφαλῇ Φιερέως πολικείμην οἰωνός σέφαν οὐν τῷ τερχῶν σημειώσεως, εἰνονίζῃ τῷ Φιερέως Πέτρος πρίναν κάρεν, λινὸν τῷ Φιερέως κυρίῳ μίδασμαλεπιγραφαῖς διασταλεῖς, καὶ παρεῖσται τῷ απειθεντῶν τῷ λόγῳ, ως ἐμπαζόμενος θαύματιν, ταῦτα διδάσκαλος Χειρὸς θλάζησ, καὶ ἐποίησε τῷ ἀποικίᾳ πυλών, καὶ τῷ χλαδίλιῳ εἰς δόξαν. Duplex corona circumposita capiti sacerdotis, ex capillorum significacione, imaginem resert venerandi capitum Apostoli Petri; quae, cum missus esset ad prædicationem domini & magistri, ei tonsa est ab iis, qui ejus sermoni non credebant, ut illudetur ab ipsis; eique magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit. Pluraque de hac re inibi. Ac video etiam, Iacobum de Voragine hunc sequi opinionein in Legenda Aurea, ubi de Cathedra Petri.

25. §. Quartum est, quod arundinem tribuerint Christo, ut ei esset pro sceptro regio.

Sunt reges ποικίλες λαῶν, ut eos vocat Homerus: & propterea pro pedo datuin est iis sceptruin, ut meminissent, se pascere, non deglubere debere gregem sibi commissum. Sed Christo data arundo ad risum concitandum.

26. §. Quintum est, quod in genua provoluti salutarent eum, dicentes, Ave, Rex Iudeorum.

Sane qui se submittit, is vel totum se humi prosternit, vel in genua procumbit. Verum hæc à militibus non ferio, sed ludibrii ergo fiebant. Sic & Pseudophilippus à rege Philippo per ludibrium. rex salutatus: ut est apud Livium.

27. §. Sextum est, quod etiam sputo eum adspargerent.

Quod quantæ fuerit ignominia, antea diximus.

28. §. Septimum est, quod alapas etiam impegerint.

Quod & à Iudeis in domo Caiaphæ factum, ut antea referebamus.

29. §. Octavum, quod arundinem pro sceptro antea tributam eripuerint dextræ, & caput ea percusserint, tanto majori dolore, quod spine coronæ sic altius imprimenterunt.

Sanc

Sane spinis corpus Christi fuisse lancinatum, etiam apud Tertullianum legas, libro de Corona militis. Addunt juniores, evulsum etiam capillos, ac barbam; quod adstruere laborant ex iis, quæ de Passione Dominica scripsit S. Bernardus. Sed de hoc silebo, quia silent Scriptura.

30. §. Post tot injuriarum ac contumelie genera hoc agit Pilatus, ut denuo tentet Iudeorum animos. Primum producitur Iesus extra prætorium, miseranda facie, flagellatus: quo produculo ait Pilatus Iudeis, Ecce homo.

Quasi dicat, Videte miserum, nihil minus quam regem, cuius supplicio confido satiatos esse jam animos vestros, ut, si qua vobis humanitas, nihil ultra supplicii irrogari sit opus.

31. §. Sed tantum abest, ut, eo conspecto, animis mitigatione rentur, ut quemadmodum feræ, gustatis carnibus, magis solent furere: ita illi fierent efferatores. Nempe metuebant proceres, ne, si dimitteretur, populus paullatim ad se rediret, & pænitudine eorum, quæ inique egisset, Iesum crearet regem, deque iis, à quibus essent concitati, supplicium sumeret. Quare gnari, mortuos non mordere, hoc agunt, ut populus eum ad supplicium depositat. Vnde clamor ille, Crucifige, crucifige. Tum Pilatus, indignabundus plane: se quidem nullam reperire culpam in eo morte dignam. Sed si crucem meruisse videretur, ipsi crucifigerent. Iudei ad ista*, non licere, sibi quemquam occidere.

* Ioan. 18:

Hoc pugnare videtur cum eo, quod antea dixerant, esse ἐνοχὸν Γαβᾶτε. Sed inter cognitionem, & execuctionem causæ distingui oportet. Dixeris Act. xii. legi de Iacobo Apostolo ab Herode Antipa interempto. Sed dispar ejus ratio temporis: quia Herodes is mire gratus fuit Caio, Claudioque: à quibus & regiam obtinuit dignitatem. Sermo nobis de temporibus Pilati, & præsidum Iudeæ, qui cum præcessere: ut sunt Coponius, Ambivius, Rufus, & Gratus. Nam post excessum Archelai, qui Herodis Magni filius fuit, Romani Iudeam, ut provinciam, per præfides rexere. Sub iis hoc quidem relictum erat Iudeis, ut ei manus ac vincula injicerent, qui

qui delinquisse contra legem dicebatur: adhæc ut cognoscerent causas juxta legem divinam, & inde judicium ferrent: sed in potestate erat Præsidis Romani, ut vel Iudæorum judicium sequeretur, vel mitiori poena afficeret, vel etiam prorsus absolveret. Videlicet, uti apud Romanos, alia erat ratio prætoris, alia erat cognitorum.

32. §. *Nec tamen sic nodus plane solvitur.*

Nam sæpius ipsi Christum occidere voluerunt: etiam citra consensum Pilati, Præsidis Romani. Stephanum quoque protomartyrem lapidibus obruerunt. Quare dicendum, quadraginta quidem annis circiter, ante excidium Hierosolymoruni, (ut Rabbini testantur) ademtum fuisse Iudæis jus capitalis supplicii: sed solum in iis, quæ ad crinien læsæ majestatis, aliterve ad Reimp. & imperium pertinerent: in quibus ne cognitionis quidem, nedum exsecutionis iis fuit. At permisso Præsidis licuit iis decernere de delictis ad legem suam pertinentibus: imo in talibus non leviores modo penas sumere concessum fuit: sed etiam capitales. Nimirum ut in captivitate licuit Babylonica: quod ex Susannæ historia satis est apertum. Sic igitur statuimus, potuisse cognoscere de Christo, ut blasphemio, non potuisse, ut majestatis reo. Atqui accusatio Christi duplex fuit. Prior erat blasphemia, secundum legem Iudaicam, Levit. xxiv, 14. juxta quam lapidandus fuisset. Hinc dignus morte à Iudæis judicatus. Matth. xxvi, 65. 66. Marc. x 14. 64. Altera est læsæ majestatis, secundum leges Romanas. His enim seditionis affigebantur cruci, vel bestiis objiciebantur: ut etiam Paullus ait in Digestis. Volebant autem Iudei, Christum damnari etiam læsæ majestatis, quia se Regem fecisset, non vero solum ut blasphemiarum reum, quia se filium Dei dixisset. Nempe ita majori erat auctoritate dammandus: nec habiturus fautores.

Valde interim errant, qui Christum putant cruci adjudicatum more Iudæorum. Iudæis enim tantummodo fuere hæc quatuor supplicia: lapidum, laquei, gladii, & ignis. Nec obstat, quod interpres veteris testamenti crucis meminit. Nam ubi ligni mentio fit, crucis ille vertit, cum ligni nomen sit generale, nec minus conveniat arbori infelici, de qua suspendebantur, quam cruci. Inio & saepissimum non solius est crucis, ut ne quidem è LXX solidi quicquam exsculpere fit. Psalmus tamen xxii, ubi etiam secundum Mafforitas legitur, Perforarunt manus, & pedes meos: crucis supplicium

signari, non est dubitandum. Verum istud non historice de se David scribebat: sed de Christo, spiritu propheticō, tanquam typus Christi.

Dixeris, non è Romanis, sed populo fuisse Iudaico, qui Iesum esse crucifigendum, toties acclamarint. Recte sane: sed non propterea putandum, vulgus magnopere laborasse, quo mortis genere periret. Sed quod potius Crucifige, dicunt, quam Occide, ex eo est, quod facile præviderent, cum Christus haberetur quispiam è vili popello, quippe fabri filius, nec ulla civili, vel sacerdotali dignitate ornatus: fore ut, si tollendus esset, affigeretur cruci. Vafros tamen populi primores, & quosdam alios, altius spectasse rem, credibile est. Nam hi illud agebant, ut tanquam læsæ majestatis reus damnaretur. Nimirum hoc pacto se illud consecuturos putabant, ut omnis generis hominibus justius supplicium videretur, ac cædis ejus invidia (qua apud innumeros bonos se flagratus videbant) in Romanos maxime derivaretur. Ab eadem causa fuit, quod Iudæorum primores dicerent, non posse Pilatum dimittere Iesum, si Cæsaris esse amicus volet. Atque hæc de responso, quod Iudæi dederunt Pilato, possenti, ut ipsi crucifigerent Iesum.

33. §. Præterea, quia dixerat Pilatus, nihil se morte dignum invenire, jubent iidem distinguere inter leges Romanas, & Iudaicas. Aiunt enim, se legem habere, secundum quam mori debeat, quia Filium Dei se dixerat. Hoc majorem etiam terrorem incusſit Pilato.

Gentiles enim statuunt, ex Deo, & honiine, generari heroes, sive semideos. Metuere igitur accepit, ne sic natus esset Iesus, ac, talem tollendo, Deorum in se iram concitaret.

34. §. Quare prætorium iterum ingressus rogandum sibi Iesum putavit, qui genus, unde domo? Tacuit Christus. Pilatus id ubi videt, quæsivit an non dignaretur responso eum, qui tam studioſe pro eo omnia ageret apud Iudeos, & potestatem haberet, tum absolvendi, tum condemnandi. Ad hæc Christus, non habiturum eum potestatem, nisi ea avæceret, &c., ut posteriores locui, calitus esset concessa.

Quo non illud sensisse videtur, viros principes, quibus potestas est

est judicandi de aliis, à Deo hoc munus habere: id enim omnium est principium commune. At aliquid hic dicere voluit Christus, quod proprie magis tangeret Pilatum: eoque potius istud significat, nunc horam suam advenisse, qua tradendus esset in manus hominum, & ab iis judicandus: alioqui enim non fore ci tantum potestatis in se, qui à Deo missus esset in terras, ad perhibendum veritatem. Quare Christi verba capere convenit, non de judicandi potestate, sicut loquuntur, auctoritativa, sive ex officio; sed permisiva, sive divina ordinatione, concessa, cum ex officio non haberet. Ut eodem hæc spectarint, ac illud ad Iudeos *: *Hec est hora illa vestra, & potestas tenebrarum.* Vbi hora est hora fatalis: quomodo (ut in iis quæ ad sermonem pertinent, liceat exemplum ex tyranno petere) Nero aiebat apud Suetonium †, *Nondum adesse fatalem horam.* Imo Christi ^{† In Nerone cap. 49.} ipsius est Ioan. 11. 4: *Nondum venit hora mea.*

35. §. *Addidit Iesus, utcunque Pilatus peccaret, tam multa agendo in gratiam Iudeorum, multo tamen gravius eorum esse delictum, qui ipsum Pilato tradidissent.*

Quo terrorem voluit Pilati non augere, sed imminuere, ne quid liberationis suæ caussa agere videretur.

36. §. *Post hos sermones impensius studuit Pilatus cum manibus Iudeorum eximere. Sed acclamare Iudei: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsarisi. Quo multum infracta fuit in Pilato illa animi vis, quæ eluxerat prius.*

Sciebat, quantum calumniæ possent. Metuit itaque sibi ab ira Cæsarisi. Inde collabascit. Nec tanti unius hominis, licet innocentis, vitam arbitratur, ut propterea, & populum offenderet, & deperderet gratiam Cæsarisi.

37. §. *Iesum igitur foras producit, proque tribunal consedit in Gabbatha.*

Qui locus sic ab altitudine dictus Hebraice, vel Chaldaice. Græcis, quia lapidibus stratus, ἀπίσπως vocabatur.

38. §. *Vtcunque vero jam animo Pilati federet hæc sententia, condemnare Iesum: nihilominus committere non potuit, quin aliqua diceret, & faceret, ad testandum, quam*

invito hoc faceret animo. Iterum igitur quæsivit ex iis: Quid ergo vultis faciam de Iesu , qui dicitur Christus? At illi iterum suclamabant , Crucifige , crucifige. Ad istum populi clamorem regessit Pilatus: Ergo ne vultis , ut ego crucifigam vestrum Regem? Pontifices ad hæc : Regem alium , quam Cesarē , non habemus. Vbi Pilatus conspexit , nec hilum se promovere , sed turbam gliscere ; χεροὶ δὲ sive malluvium adferri sibi jussit : manus lavit , populo inspectante : quem his verbis est affatus : Innocens ego sum à sanguine hujus : vos videritis.

Non hæc gesta paucis testibus : sed die Parasceues , quo tempore in Urbe eis solent ad tricies centena millia , ut alibi ex Iosepho ostendimus. Sanc illustre iterum hoc testimonium innocentiae fuit , idque à Præside Romano. Isti oris professioni accessisse dicebamus , quod ad propriam quoque innocentiam testandam manus lavarit. Nempe munditic manuum , velut symbolo , voluit testari animi munditatem , & innocentiam. Sic , ut Aristreas ait , LXX interpretes quotidie , antequam se ad translationis operam accingerent , manus solent ablucere , ut ita testatum facerent , pueros se esse , nec ullius sibi criminis conscos : quod pertinebat ad majorem conciliandam suæ tralationi fidem.

39. §. *Cum vero ea confuctudo , ut judices lavarent manus , non fuerit Romanis : videtur Pilatus in hoc morem secutus esse Iudeorum. Nam Deuteronomio xxii. 6. legere est , Iudices reum condemnaturos abluisse manus , ad testandam innocentiam , ac similiter divisus Psalmus xxv. 6: Lavabo inter innocentes manus meas.*

Non potuit eum Iudicum morem ignorare Pilatus , qui tot annos Præses Iudeæ fuisset. Et licet non foret Iudeus , sequi tamen voluit apud Iudeos , quibuscum sibi negotium foret. Ac eo facilius potuit hac parte imitari velle Iudeos , quia in aliis etiam gentibus lotio in χεροὶ πλεω sive malluvio symbolum esset purgationis : ut apud Athenienses : imo passim lustrationes sive purgationes siebant aqua marina , aut vivo flumine. Sed non tam ad testandam innocentiam , quam ad purgandum à delictis , & vitæ melioris profissionem.

nem. Postea quoque in veteri Ecclesia ante templum canthari & lutes fuere , vel etiam fontes , ut aqua manus abluerent ; quo pre- cantes in templo , puris id faciant manibus , typo ejus moniti , quod dicebam. Chrysostomus serm.xv. de verbis Apostoli, *Habentes autem eundem spiritum* * : Καθάπερ γὰρ κορίνθιος εἶναι ἐν ταῖς αὐλαῖς τὸ δικτητήριον [†] In ea οἴκων νενέμισται , ἵνα οἱ μέλλοντες δύχεδμη τῷ Θεῷ , πρότερον διπονιψά- Chrysostomi μένοι τὰς χεῖρας , ἔτιδις αὐτοῖς εἰς δύχλων ἀνατείνωσιν . ἔτιδις καὶ τὸ πένητας editione ἀντὶ πηγῶν καὶ κορηνῶν Ὑδρανοὶ οἱ πάτερες προερχομένων , ἵνα ὁ πατέρες ὑδάτι quam front. τὰς χεῖρας διπονιψάμενοι , ἔτιδις φιλαρθρωπίᾳ τὴν δύχλων διπονιψάμενοις Ducatus de- πρέπειον , ἔτιδις διχώμενα . Sicut enim mos est , ut fomes sint in atriis tem- dit , actomo plorum , quo , precaturi Deum , prius manus laverint , quani eas ad Deum at- illo , in quo hemis de tollant : ita etiam pauperes , fontium vice , maiores nostri collocauerunt ante diversis no- fores templi , ut , quemadmodum manus abluimus aqua , sic etiam , per bene- vi Testa- fientiam abstensa anima , tam denum oremus Deum .

pag. 369.

40. §. *Vicunque vero voluerit Pilatus coram populo , & ore , & symbolo testari innocentiam suam : non tamen innocens fuit. Nec enim sufficiebat professio , sed requirebatur absolu- latio. Nunc vero passus , sibi extorqueri , ut morti trade- retur.*

Tertullianus Apologetici cap. xxii : *Ad doctrinam vero ejus , qua revinebantur magistri , primoresque Iudeorum ita exasperabantur , maxime quod ad eum ingens multitudo deslegeret , ut postremo oblatum Pontio Pilato , Syriam tunc ex parte Romana procuranti , violentia suffragiorum in crucem dedi sibi extorserint.*

41. §. *Ac putavere aliqui , ita extortum Pilato , ut non con- senserit , sed solum permiserit.*

Ita Laetantius lib. iv Institut. cap. viii : item Chrysostomus orat. 11 de Eleemosyna.

42. §. *Verum longius processit Pilatus : quod clare arguunt illa verba Luce xxiii. 24 : Et Pilatus adjudicavit (επένεγε) ut fieret , quod illi postulabant. Et sane omnes Iudeorum clamores tendebant , ut ipse cum damna- ret Pilatus. Titulum etiam ipse scripsit , h. e. scribi pre- cepit. Nec per Iudeos supplicium de eo sumptum , sed per mi-*

lites Romanos. Vt nec à Iudeis corpus postulatum: sed à Pilato.

Itaque à Pilato ipso damnatum, prope omnium veterum Theologorum sententia est. Ac similiter Tacitus scripsit xv Annalium: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.*

43. §. *Sic igitur statuendum, ipsius Pilati voce fuisse damnatum.*

Cujus iniustitiae graves à Deo pœnas luit. Nam qui accusationibus Iudæorum, quas falsas sciret, usque adeo se abripi passus fuit, ut supplicio addiceret innocentem: ipse etiam falsis Iudæorum criminationibus circumventus, Viennam in exilium missus fuit: ut idem Iosephus refert lib. xvii. Antiq. Iud. cap. vii. Nec Herodii impune fuit, Christum, in quo profesus fuit nihil se morte dignum comperire, tam crudeliter tractasse. Quippe is, quamvis longe aliam ob causam, à Caio Caligula relegatus fuit Lugdunum; ut est apud Iosephum lib. xvii. Iudaic. Antiquitatum cap. xiv. Sed à Pilato, & Herode, ad Iudæos redeamus.

44. §. *Iudæi visi, & auditis illis, que de Pilato retulimus, acclamarunt*: Sanguis ejus super nos.*

* Matth.

27. 25.

Cujus Hebraisimi ea mens, Nos pœnam luemus; sive, Nos culpam præstabimus. Ac similiter loquitur Scriptura Levit. xx. 9. 12. 16: Ios. 11. 23. & alibi.

45. §. *Nec sibi modo, siquid à se peccaretur, dira omnia imprecabantur: sed etiam carissimis pignoribus, & inde nascituris. Nam non contenti dicere, Sanguis ejus super nos, addunt, & filios nostros.*

Nempe variarum is gentium mos, etiam Hebræ, sicuti heic videimus, ut non se modo, sed etiam posteros devoverent. Ita legas in federe Smyrnæorum cum Magnetibus, quod ex marmoriibus Arondelianis primus edidit, ac commentario illustravit clarissimus Seldenus: Επορεύεται γε ἐξωλεια, καὶ αἰτεῖ, καὶ γέρε τῷ ἐξ αἰτεῖ. Si quis pejerarit, is pereat, & una ejus genus. Apud Senecam etiam lib. 111 de beneficiis cap. xxviii. refertur, quoinodo Rufus, vir ordinis Senatorii,

natorii, descendenti Cæsari occurrerit, & cum malam mentem se habuisse pridie jurasset, id ut in se, & filios suos recideret, optarit. Nec solere hujusmodi in atroci facinore abire impunita, ex Cylonio scelere cognoscimus: de quo Thucydides lib. 1. Pluribusque eam rem illustrat ad hunc locum illustrissimus Grotius. Quam vero imprecatio ista obstrinxerit genus Iudæorum, ostendit consecutus Vrbis interitus, & quod hodieque gens ea per orbem vagatur extorris, & exosa.

46. §. *Ad tristem adeo, ac sceleratam devotionem, quis non exhorrescat, cui non plane cornea sit fibra? Credo, etiam cohorruit Pilatus ipse. Saltē noluit ulterius tendere brachia contra torrentem: sed, populari cedens furori, Barabbam dimisit: Iesum autem tradidit affigendum cruci.*

Quæ omnia de Christi damnatione ita particulatini narrant Euangelistæ, non tantum ad veritatem historiæ additis circumstantiis magis testandam, & firmandam: sed etiam ad innocentiam Christi undequaque comprobandam. Poterat enim Christus in seditione occidi. Sed voluit se sistere coram tribunali judicis terreni, ut istic innocens damnatus liberaret nos judicio coram tribunali judicis cœlestis. Atque hæc de parte quincta Dominicæ Passionis.

C A P . VI .

De Sexta Passionis parte: sive de iis, quæ perpessus est Christus, cum è domo Pilati ad supplicii locum raperetur.

1. §. *S*extam nunc aggredior partem Passionis Domini-
cæ: quam inde ordimur, cum se pararent ad rapien-
dum eo Christum ubi facinorosi ultimo afficerentur suppli-
cio. Ac primo Christum tunica exuere coccinea, proprijs
que vestibus induere. Spineam capiti coronam esse adem-
tam, non dicitur, ut verisimile sit, relictam. Sic è prato-
rio deductus est, primum quidem per urbem: deinde ex ea
porro usque ad Calvariae montem.

Hic

Hic tria attendimus, unde itum, quo itum, & qua itum. A prætorio itum, ubi quæ ante egressum sit à militibus perpessus, proxime vidimus. Itum ad supplicii locum, qui extra urbem fuit. Itum cruentis gressibus prius per urbem; inde per portam judicariam est egressus, atque id viæ emensus, quod duceret ad locum supplicii. Locus istum Indiaico, tum Romano etiam more, extra urbem erat. Mosaico tempore mortis supplicium sumi solere extra castra, cognoscimus ex Numer. xv. 35. Ac postquam urbes inhabitatæ à Iudeis, extra easdem id obtinuit: ut videntur 1 Reg. xxii. 13. Itidem, Romano more, extra vallum deducebantur milites: ut constat ex A. Flirio de bello Cœsariss Africano: item Seneca, & Vegetio. Etiam extra urbem affigebantur cruci. Egregiebantur vero per portam Metiam, sive Exquelinam: quam signat Plautus Milite Act. ii. Sc. iv:

*Credere, isto exemplo tibi esse eundum actum extra portam,
Discessus manibus, patibulum cum habebis.*

Etiam Suetonii est in Claudio cap. xxii: Civitatem Romanam usurantes in Campo Esquilino percusserunt. Vbi civitatem usurpantes, valet, falso dicentes se cives, Τὸν τὸν πρωτίστων πόλειαν ναζερούσθες, ut pro eo dicit Arrianus in Dissertationibus Epicteti lib. ii. cap. xxii. Et habitasse carnificem extra Urbem, constat ex Cicerone pro Rabirio. Fere etiam crux juxta vias; ut magis esset conspicua. Vel eadem de causa in monte, ut illa Polycratis in excelsissimo Mycalensis montis vertice: sicut ait Valerius lib. vi. cap. ult. Ac similiter illa Christi in monte Calvaria.

2. §. Videri etiam possit Christus in via esse multa perpessus, & verbera, & fannas, dum militari manu per arduam truditur viam.

Sane moris erat Romani, ut furcifer sive patibulatus in via cæderetur virgis, vel stimulis pungeretur à carnifice, qui pone sequeretur. unde Plautus Mostellaria:

*O carnificinam crebram, quod credo fore.
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimuli, si hic reveniat senex.*

Vbi patibulatus est, qui patibulum gestaret, hoc est, furcam sive stitem cruentum, in summo habentem ramos bifidos, quibus cervices inserebat furcifer, manibus deinde ad eam deligabatur: Is sic procedens

cedens à carnifice, vel conservis, ut acceleraret gressum, stimulis pungebatur, vel virgis cædebatur. Vnde Nero, ut Tranquillus narrat, cum audiisset, se à Senatu hostem judicatum, & peti, ut puniretur more majorum, eoque rogasset, cuiusmodi id supplicium foret, responsum accepit, *nudi hominis cervicem inferi surca, corpus virginis ad necem cadi*. Sæpe enim virgis sic cædebantur, ut inde more rentur, priusquam affigerentur cruci: sæpe item, ubi tam grave supplicium percessi forent, crucifigi solent. Vnde Plautus Carbonaria: *Patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci*. Et Arnobius lib. vii: *Servum pessime meritum per circi aream medium traduxisse casum virginis, & ex more multasse post patibulum pœna*. Vbi patibulum vocat, quod Plautus, ut vidimus, *crucem*. Quamquam & sæpe, ut puto, furcam gestarent, nec tamen vel ad necem cæderentur, vel cruci affigerentur; ut supplicium non foret capitale, sed ad ignominiam duntaxat: cuius rei auctores habemus Plutarchum in Coriolano, & Donatum ad Tarentium.

3. §. *Sed solum dicam; ubi præcit Scriptura. Quale est, quod coactus est crucem propriam gestare.*

Passionis lignum bajulasse ipsum, etiam Tertullianus tradit adversus Iudæos cap. x.

4. §. *Bajulare eo crucem ipse suam adactus, quia nec Iudæi id facere voluissent, nec Romani.*

Non Iudæi, quia illis moriens in ligno maledictus foret: secundum illud Deuter. xxii. 23: *Maledictus, qui penderet id ligno*. Vbi nihil quidem particulatim de ligno crucis; sed generatim de ligno: ut intelligantur tum suspensi, tum crucifixi. Quare licet Christus non fuit suspensus, sed crucifixus: recte tamen ei Mosis illa verba adaptat Paulus ad Gal. iii. 13. Nempe quia universe quisquis in ligno penderet, typus foret Christi: atque hic pro nobis factus sit execratio, h. e. pœnas, quas nos execrabilis commeriti eramus, sustinuit pro nobis. Sed neque Romani voluissent crucem ferre, quia genti huic consuetudo foret: ut ne aliis crux imponeretur, quam qui illi erant affigendi. Tales, usque dum deuentum foret ad supplicii locum, portare crucem solere, clare testatur Plutarchus libro de tarda Dei vindicta, & Artemidorus lib. ii. O'�еронегр. cap. LXI.

5. S. Porro in via occurrit Simon Cyrenæus de villa sua veniens, ut est Luke xxii i. 26.

Pater is fuit Alexandri, & Rufi: qui videntur tum fuisse noti vulgo inter fideles: ac fortasse è Christi discipulis erant: vel postea numerati inter discipulos Apostolorum. Nempe horum nomina non tantum ad veritatem historiæ pertinuerunt; sed etiam ad duorum illorum gloriam.

6. S. Simonem igitur ad ferendam Christi crucem angariaverunt *.

* Luc. 23.

Ioan. 19.

Hoc est, adegerunt. Id enim est αγλαγδειν: quo de verbo, à Persicalinguà oriundo, egimus in Originum libris: ac aliquid etiam diximus lib. 1. de Vitiis Sermonis cap. v. & lib. iii. cap. xi.

7. S. Dubium vero, utrum Simon Cyrenæus coactus sit ad juvandum Christum, ut deinceps Christus, & Simon, pariter humeros supposuerint cruci: an potius Christo & lasso, & ob flagellationem acerrimam infimo prorsus, partitum sit à militibus, qui solum Simonem satis ad hoc validum viderent. Sane in isto variant & veteres.

Referunt aliqui, Christum ter ob grave pondus concidisse: semel non longe ab lithostroto, inde paullo extra portam, tertioque ad radicem montis Calvariae. Quod si est, Christus semper bajularit, prius solus, postea cum Simone. Sed argumentum id majoris foret ponderis, nisi hoc de terno Christi casu à junioribus duntaxat procederetur. ut vel ab iis hoc fictum, vel ex apocryphis quibusdam haustrum videatur. Pictores quidem sic historiam effingunt, ut priorem crucis partem Christus ipse, posteriore autem gerat Simon. Sed magis fit verisimile, totam in urbe à Christo bajulatam, extra urbem vero in Simonem transflatam. Nempe, Christo iam lasso, nec valenti amplius ferre, jejuniis, vigiliis, contumeliis, tantopere ante afflictio, Simonem, hominem alienigenam, & vilem fortasse, in via forte obviam factum, crucem ferre coegerunt. Ita hæc conciliant Origenes in Matth. cap. xxv. Athanasius serm. de Passione, & cruce. B. Hieronymus in Matth. xxvii. 32. B. Augustinus lib. iii. de Consensu Euangelist. cap. x. Leo Magnus serm. viii.

de

de Passione. Ut mittam Bedam, Glossam, Theophylactum, Eu-thymium, Lyranum, Lodulphum de vita Christi, ac cæteros.

8. §. Aiunt autem, Veronicam Christo, ad supplicii locum eunti, præbuisse sudarium, cui ille imaginem suam impresserit. Atque hoc sudarium Romæ adservari.

Vt constare melius possit, quid de ea Christi pictura, ac simili-bus, sit sentiendum, historiam de universis ejus picturis breviter percurram.

Ter Christus se dicitur depinxisse: semel ante passionem, semel in passione, semel post passionem. Ante passionem in linteo, quod per pictorem Abgaro, Edesseno toparchæ, misit. In Passione, quando Veronicæ sudario imaginem suam impressit. Post passionem, cum in sepulchro sacræ sindoni, à Iosepho Arimathensi emta, figura corporis Christi adhæsit. De his ordine agam.

Ac primo historia de Abgaro, & Christo, apocrypha est: ut anno ccccxc i v Gelasius Papa statuit cum LXX episcoporum concilio Romano, ac apud Gratianum est distinct. xv can. Sancta Ro-mana. Vel saltem vera non est epistola, quæ ab Iesu ad Abgarum missa dicitur. Alter si foret, non minus fuerit pars canonis divini, quam scripta Evangelica. Quod quis veterum dixit? Multum sane metuo, ne aliquis Archivorum præfectus fucum fecerit Eusebio. Atque ut omnia essent genuina, quæ apud Eusebium in fine lib. i. Histor. Eccles. leguntur: non tamen fidem merentur, quæ addunt juniores, sed præterit Eusebius: cuius ea erat fides, & industria, ut quicquid in Edessenis foret Archivis, fuerit posteris proditurus. Sane transit statim Eusebius ab epistola Iesu ad Thaddæi iter Edes-sanum. Commentitia igitur videantur, quæ memorantur de imagine Θεολόγων: ut Euagrius vocat lib. iv. cap. xxvi. Vixit vero Euagrius temporibus Mauritii Imperatoris: cuius anno xi i historiæ sive finem imponit, hoc est, anno Christi Ixcv. Haec illa Euagrius ex Procopio, qui paullo ante, nempe sub Iustiniano, vixit. Non tamen apud eum leguntur. Ex scriptorium illis, qui postea claruere, Gregorius ii, qui Dialogus dicitur, Ioannes Damascenus lib. i. de Imaginibus, Patres Concilii Niceni ii, Adrianus Papa in Respon-sione ad Capitulare Caroli M. cap. xviii. &, qui post annum de-mum cccc xix vixit, Nicephorus Callisti, lib. ii. cap. ii. Atque hic multa addit, quæ non minus in archivis Edessanis inveniri ait, quam

illa ab Eusebio relata. Sed quantum fidei inereatur, pauci non vident. Edessanum illud sudarium de quo diximus, adservari dicitur Ianuæ; sive Genuæ potius. Sic enim Livius vocat; qui primus omnium scriptorum urbis ejus meminit in bello Hannibalico sive Punico 11.

Altera est pictura Veronicæ, quod nomen corruptum ex Φερονίᾳ, sive potius ex Βερενίᾳ; quoinodo Macedones dicebant, B pro Φ substituto. Hæc Veronica dicitur Romain profecta, & sudario, cui imago Christi impressa, sanasle Tiberium: Clementem tamen, quem Petrus Episcopum Vrbis fecerat, sudarium hoc nocturnum esse: ab eo, ut in Eleusiniis lampada sequenti tradebant, devenisse ad successores, hodieque Romæ adservari. Meniinit Albericus in Dictionario: qui vixit anno c13 ccc L. Historia ejus rei exstat in bibliotheca Vaticana: ubi totam sibi lectam esse, aiebat Thomas Stapletonus: ut ex ore ejus se accepisse ait Pamphilus ad Tertulliani Apologet. cap. xii num. cclxxx. Vbi plura de hac imagine legere est. Hæc si vera sunt, mirum, non verbo attigisse Eusebium, vel alium tribus post seculis: ne quidem Patres Concilii Niceni 11, vel Hadrianum in Responsione ad Kapitulare Karoli Magni, qui studiose adeo advocarunt, quæ possent, ad tuendum iinaginum cultum.

Tertia est pictura sacræ sindonis: cui Nicodemus involverat corpus Iesu Christi. Ea prius Camberii in Sabaudię adservabatur, nunc Augustæ Taurinorum. Inventam aiunt anno c13 cccc lvi. Ioannes vero Hierosolymitanorum regum ultimus donavit illam Annæ sorori suæ, Ludovico Sabaudiæ Duci nuptæ. Ex pictura hac colligunt, quantus fuerit Christus, quanta corona spinea, quantoque magnitudo singulorum Christi vulnerum, & similia. Nec enim faciem solum, ut Veronicæ sudarium, sed universi corporis formam, pectus, brachia, manus, ventrem, femora, tibias, pedes, ac, verbo ut dicam, omnia ante retroque repræsentat. Adservatur in capsæ argentea. Sed suspectam valde eam sindonem reddit, quod totis mille quadringentis annis talis sindonis meminerit nemo: cum multi adeo minutias quasque referre soleant, quæ ad sanctorum ** Reliquias. λειψανα** pertineant. Præterea non video, quomodo sacræ sindoni potuerit imprimi imago Christi, cum aromatis corpus fuerit inunctum. Nam quasi centum libras aloës, & myrræ, ad ungendum Christum attulisse Nicodemum, refert B. Ioannes xix. 39. Nec proxime corpus ambibat sindon, sed ὁσάνια, sive linteal illa: sudarium

rium tantummodo tegebant faciem: fasciæ autem sive institæ operiebant manus, pedesque, ex more Iudaico: quem cognoscere est ex historia Lazari resurgentis. Aiuunt, papas duos, Xystum IV, & Iulium XI, bullis suis comprobasse. Sed nominant non proximos à Christi temporibus; sed qui non longe à nostris temporibus absuere.

Et hæc de picturis Christi, quas Christus ipse expressit. Præter quas memorant alias tres: unam aiunt pictam à B. Luca, quæ Romæ dicitur ad servari. Ita Thomas Aquinas part. IIII. quæst. xxv. art. IIII. ad IV. Sed vellem idoneum adduxisset auctorem. Scio, dici pictam ab eodem B. Virginem. Sed antiquissimus à quo id traditum sit, est Theodorus Lector, qui circa annum vixit sexcentesimum. Eum secutuere tanto posteriores, Simeo Metaphrastes in Luca vita, & Nicephorus Callisti lib. xiv. Histor. Eccles. cap. II.

Adhæc αἰχμοφόσσα, sive mulier ea, quam Christus à fluxu sanguinis liberavit *, imaginem ejus apud Paneadem, sive Cæfaream * Matth. 8. Philippi, constituisse dicitur. De qua Eusebius lib. VI. Histor. Marc. 5. cap. xiv, sive juxta Græcum codicem cap. xvii. item Sozomenus Luc. 7. lib. v. cap. xx, & Nicephorus Callisti lib. x. cap. xxx. Atque hic more suo aliqua adjecit illis, quæ Eusebius, & Sozomenus retulere. Fortasse & Eusebium legenti scrupulus possit injici, an ea imago fuerit Christi. Nec tamen id negat Eusebius: sed erectam putat εἴνεται σωτηρία, gentili consuetudine.

Imo & Nicodemus ille, qui Christum inunxit, putatur secundum picturam Christi, quam in sacra sindone viderat, eundem è ligno sculpsisse; ac cum instaret Hierosolymorium excidium, misisse in Galilæam. Ejus vero loci Episcopi dicuntur imposuisse navi, quam divinæ committerent providentia. Hanc appulsam esse ad Etruria oppidum, quod Lunæ dicitur. Lunensem vero episcopum de re tota fuisse edoctum per Angelum: ac propterea imaginem currui imposuisse magnifico: ac quo loco cestiarunt equi, templum exstruxisse, ubi hodieque sacra illa à Nicodemo elaborata imago adseretur. Quæ omnia majoris forent auctoritatis; si subnixa essent primotum seculorum scriptoribus. Veritatem adstruere solent è miraculis: de quibus, ut aiunt, Athanasius, libello de passione imaginis Christi in Beryto. Ac totus is libellus legitur & comprobatur in synodo Nicena XI. A. Et. IV. Bellarmiinus tamen in Scriptoribus Ecclesiasticis genuinum negat: nec leve est argumentum, quo id adstruit. Quippe miraculum id, quod eo libello refertur, demum

254 HARMONIAE EVANGELICAE
contigit anno Iccclxvi; ut Sigebertus in Chronicis testatur. Quare Athanasius is non fuerit magnus ille Athanasius, sed aliquis quodringentis annis recentior, vixeritque, quo tempore agitabatur de cultu sacrarum imaginum. Atque haec de Christi imaginibus generatim visum dicere, occasione Veronicæ Christo obviam factæ in via ad Golgotham ducenti.

9. §: Christum in via secuti multi è populo, etiam mulieres, quæ partim quia haec fierent innocentii, partim memores beneficiorum, quæ accepissent, ob tam lugubre spectaculum, lamentabantur, ac plangebant.

Luc. xxiii. 27: Sequebatur autem illum multa turbæ populi, ac mulierum, quæ & plangebant, & lamentabantur. In hisce feminis etiam ipsa fuit mater Domini, in qua tunc impletum illud est vaticinium Si-
*Luc. 2.35. meonis *, gladium pertransitum ejus animam.

10. §. Christus ubi hanc plorantium, ac plangentium, turbam conspexit, non quidem culparavit fletum corum: qui ex pietate proficiscicebatur: monuit tamen, si scirent, quantum ipsis mali impenderet, non tam laboraturas de Christi calamitate, quæ mox in summam esset gloriam versura, quam de sua sorte, ac pariter liberorum, quorum miseria esset maiorēm duplicatura.

Luc. xxiii. 28: Conversus autem ad illas Jesus dixit, Filiae Hierusalem, nolite sttere super me; sed super vobis ipsis, & super filiis ipsis.

11. §. Rationem deinde hanc subjungit, quoniam, si scirent, quæ sibi tempora impenderent, magis suam essent sortem dolituræ. Venturam enim ultionem divinam, juxta ea, quæ Iudei sibi, & liberis, essent imprecati. Nunc maledictas credi steriles; sed tum beatas vocatum iri, quia non angentur propter miseram liberorum sortem.

Luc. xxiii. 29: Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beate steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt. At-
† Luc. 21. que hoc respicit etiam, quod antea dixerat Iudeis †: Væ autem prægnantibus, & nutrientibus, in illis diebus.

12. §. Mi-

12. §. Miseriam quoque eorum temporum auget, quod, non reperientes refugii locum, optaturi sint, ut montibus, & collibus contingantur.

Hoc eo expressit, quod, ut est Lucæ xxii. 30: Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos; & collibus, Operite nos. Quæ verba sunt ex Oseæ x. 8. Similisque est Iesaiæ 11. 19. Ac novissimis mundi temporibus adaptantur eadem Apocalypſ. vi. 16. Oſeas de Samaria loquitur. Sed hujus excidium typus fuit excidii Hierosolymitanī: uti Hierosolymitanū typus erat excidii universalis. Ostendit vero Christus, se præſcisse tanto ante, quæ eventura forent. Sane tum in speluncas ſe abdidere, ut effugerent vim Romanam. Et quid apertius ostendit magnitudinem calamitatum, quam quod matres præ fame ipsos etiam cariſſimos liberos comedērunt?

13. §. Denique hæc conformat proverbiali parabola ligni viridis, & aridi.

Luc. xxii. 31: Quia ſi in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Sensus est; Si hæc faciant Romani in ligno viridi, cui ſe confert Ieſus, quia vigeret in ſe Spiritus Dei, & fructus salutares proferret: quid non eſſent iidem facturi in ligno arido; h. e. populo Iudaico, nullos proferenti fructus, instar arboris arefactæ, & tantum utili ut comburatur?

14. §. Vna vero cum Chriſto ducebantur latrones duo.

Qui nequam dicuntur à vulgato interprete. Sed non fatis ſic ex prefeleris vocem Græcam κακάγος: quæ eſt Lucæ xxii. 32: Ηγένετο δὲ ἐπὶ τοῦ δύο κακάγοι, οὐαὶ αὐτῷ ἀγαπηθῆναι. Quæ bene Erasmus vertit: Ducebantur autem & alii duo facinorosi, cum eo ut interficerentur. Malunt aliqui, maleſici. Et κακά λέξιν vocabulum Græcum id ſonat laxe ſumendo: quomodo Cicero in Verrinis maleſicos, ac ſceleratos, conjungit. Interim eſt ambigua vox; cum uilitate, præfertim Iurisconsultis, & aliis, qui à Constantini temporibus vixere, maleſici ſint, quos LXX φαρμακεῖς vocant: puta benefici, ac carminibus magicis utentes. De nominibus eorum in crucifixione ipſa dicam.

15. §. Dum ſic facinorosis miſetur Ieſus, quemadmodum poſtea

* Marc.
15. 28.

postea Marcus ait, implera est Scriptura, quæ dicit,
Et cum iniquis deputatus est.*

Quæ verba sunt desumpta ex Iesaiæ LIII. 12.

16. §. *Tandem deuentum in locum Chaldaico vocabulo dicatum Golgotha, vel integre Golgoltha: id est, Calvarie locum.*

Matth. xxvi i. 33: Καὶ ἐλθόντες εἰς τὸπον λεζόφυλον Γολγοθᾶ, ὃς ἐστι λεζόφυλον καὶ Κρανίον τόπον. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvaria locus. Similiter interpretatur Marcus xv. 21. Apud Lucam est xxiii. 34: Οὐτέ ἀπῆλθον δῆλον τὸν τόπον τὸν καλάβυλον Κρανίον. Postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvaria. Vbi rectius fortasse Κρανίον: ut legisse videtur Epiphanius, ac vulgatus interpres: apud quem est Calvaria. Si Κρανίον imagis placet propter tot codicium auctoritatem, μελῶν πυκνῶν Κρανίον vocetur, quia Κρανίον, vel Κρανίων, locus foret. Ac firmare eam rem videtur, quod in Cephallenia etiam oppidum foret nomine Cranium, sive, ut Thucydides vocat, Κρανία. Est vero Golgotha vox Syriaca. Sane Hebreis קָרְבָּלָה caput, sive κρανίον, calva. Syriaca autem קָרְבָּלָה אֶלְישָׁא, & elisa, ut quandoque fit, litera, Golgotha. Sic vero is locus vocatus perhibetur ob sepultum ibi Adamum, ejusque cranium ibi inventum. Hanc rem plenius exponam.

Apud B. Hieronymum in Matth. cap. xxvi i, & ad Ephes. cap. v. lego seu historiolam, seu fabellam, quam se audisse ait è quodam ad populum concionante. Is Adamum primum aiebat ibidem fuisse sepultum, ubi tot seculis post Iesum, Adamus secundus, fuit crucifixus. Ac cum sanguis Iesu stillaret de cruce, Adamum primum, pro cuius culpa moriebatur Iesus, eo sanguine fuisse contactum, ejusque virtute à crimine purgatum. Tum Iesum ad eum sic exclamasse: *Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Subiungit deinde hæc verba: *Magno applausu populi pia explicatio suscepta est, non tamen vera, cum neque Adam in Calvaria monte sepultus sit. Vbi enim sepultus sit Adam, testatur liber Iosua cap. xiv, dicens, Ibi Adam maximus inter filios Enachim sepultus est. Neque & Calvaria mons ab Adæ capite, sed à calvariis eorum, qui in eo monte capite plectebantur, sic appellatus fuit.* Hæc operæ sit expendere. Nec enim desunt, quæ facere videantur pro ea sententia, quam Hieronymus refellit. Hujusmodi est

est non modo ipsa montis appellatio: quia si à cranio hominis ea fuerit, nullus potius, quam primus homo intelligi videatur: sed etiam ἀναλογία illa primi, & secundi Adami: cum valde congruere divinæ videatur sapientiæ, ut ubi mortuus, sepultusque est primus Adam, per quem mors venit in mundum, ibi quoque moreretur secundus Adam, per quem vita venit in mundum. Ut enim Adam inobedientia sua perdidit genus humanum: ita Christus est, qui nobis restituit rem, obediens factus usque ad mortem crucis. Contrarium Hieronymus colligebat ex verbis illis Iosuæ xiv. 15: Nomen Hebron autem vocabatur Cariatharbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est. Verum vox Αρβη Adam non est hic nomen proprium, sed commune, sive, ut Grammatici dicunt, appellativum. Ut sententia sit, Nomen autem Hebroni olim fuerat Cariatarbe, sive civitas Arba. Is fuerat homo maximus inter Aenacinos. Maximum intelligo non statuра, sed imperio; cuius posteri Ænacim; unde Castor, & Pollux, ἄνδρες, qui postea, τι inferto, ἄνδρες. At quis ille homo magnus? Iudæi commentario in Cantica Abrahamum patriarcham intelligunt: ac multis id probare conantur. Non dubium mihi, quin Αρβη Arbe intelligatur, unde civitas Arbe dicta. Aliquis tamen non Adam solum communiter, verum & Arbe sic sumi putatur, ut notet quatuor, eoque Cariat-arbe significet civitatem quatuor hominum. Quatuor isti fuisse traduntur, Adam, Abraham, Isaac, Jacob: qui istic sepulti dicuntur: uti & quatuor matronæ, Eva, Sara, Rebecca, Lea. Sed alii nomen ex eo deducunt, quod quatuor hi, Aner, Eschol, Mamre, Abraham, hic habitarint, & circumcisí sint. At quanto simplicius, quod prius diximus, ut Arbe fuerit viri principis nomen, & inde Arbæ civitas dicta sit. Atque hæc satis ostendunt, si aliud non habeat Hieronymus, quam Iosuæ locum, caussam non esse, cur minus creditur Adam esse sepultus in monte Calvariae. Quod traditum Tertulliano, magno viro, sed non poëtæ, misericordis iltis versiculis in secundo contra Marcionem, cap. iv:

Golgotha locus est capit is calvaria dictus.

Lingua paterna prior sic illum nomine dixit.

Hic medium terræ est, hic est victoria signum.

Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.

Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,

Pulvis Adæ ut posset veteris cum sanguine Christi

Commixtus stillantis Adæ virtute layari.

Origenes similiter tract. xxxv in Matth. *Venit ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus, ut, sicut in Ad. un omnes moriuntur, sic in Christo omnes viviscerent: ut in loco illo, qui dicitur Calvarie locus, id est, locus capititis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris, qui ibi passus est, & resurrexit.* Video & illustrem locum adferri ex B. Basilio in Levit. cap. xxv, ubi dicit: *Obtinuit fama quædam in Ecclesia, memoria conservans, non quidem scripto proditam, quæ talis est. Quod prima utique Iudea hominem habebat accolam, nimirum Adam, simul atque excidit deliciis paradisi, in hac terra collocatum ad mitigandam jacturam bonorum, quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui & illuc eam, cui addictus erat, sententiam condemnationis plene est executus. Itaque insolens esse ac novum videbatur illius atatis hominibus spectaculum, oscapitus, defluente carne, nudum: at illi recondentes cranium loco illi induerunt nomen Cranion, id est Calvariam.* Vnde cuncte hæc petantur, (nec enim, Basilii esse, mihi persuaserim) mirum sane, quod existinet is scriptor, primum mortalium Adamum esse mortuum. Saltem de Abele occurrit. Sed hoc quidem utut est, alii quoque veterum multi receptæ, quam dixi, sententiæ insistunt. In his Cyprianus serm. de Resurrect. Domini. Origenes tractatu xxxv in Matth. Athanasius serm. de Passione Domini. Ambrosius lib. v. epist. xix, & in Lucam, cap. xxiiii *. Epiphanius in fine libri iiii. adversus hæreses. Chrysostomus homil. lxxxiv in Ioan. Augustinus quest. clxi in Genes. & serm. lxxi. ubi sic loquitur: *Vere, fratres, non incongrue creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat agrotus: & dignum erat, ut ubi acciderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia, & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando coningere, redemisse creditur.* Habes quoque eam sententiam apud Nonnum in Paraphrasi Ioannis, & Theophylactum in Matth. cap. xxvii, ac Euthynium ibidem. Evidem nec ipse censeo incongrue dici: sed unde ista hauseret, qui dicunt? Aiunt, traditionem esse à Noacho, qui ex Mathusalem id potuerit novisse. Speciosius dicerent, si apud aliquem eorum legeretur, qui ante illos tot seculorum intervallo vixerunt. Nec tamen super eo cum quoquam contèderim, quandoquidem opinio ea non nihil hoc seculo parum pio ad alendam devotionem piam facere videtur. Siquis tamen, quid sentiam, requirat, dicam, mihi Golgotha sive cranii locum videri appellatum, non quidem, quia multa illic

illic crania conspicere foret, (neque enim vel Iudaici moris, vel Romani erat, sub dio relinquere defunctorum crania) sed simpliciter, quia facinoris illic soleant capita detruncari. Nam *Golgol*, unde *Golgola*, non de craniis modo defunctorum videntur dixisse, sed etiam capitibus viventium: quomodo & in Græcis Latinisque, *xegvīs*, & *calvæ*, in vivis obtinet appellatio. Capitis igitur locus idem fuerit ac decapitationis locus. Qualis locus Romanis *Sestertiū*, ac scalæ *Gemonie*.

Porro, Iudæam, & in Iudæa Hierusalem, montemque Calvariam, mundi esse medium, tradidere veterum complures: ac fuisse convenientissimum, ut istic Christus pateretur, quia ejus passionis virtus diffundi debuit per orbem universum: ac simul, quia Ierusalem locus erat à Deo ad sacrificia electus, quæ typus erant sacrificii à Christo in cruce peracti. Legas hoc apud Thomam part. IIII, quæst. XLVII, artic. x. Ierusalem vero fuisse umbilicum mundi, tradit Tertullianus Carmine ante memorato, Cyrillus Catech. XI, Eucherius in Quæst. veteris Testamenti. Victorinus Pictaylorum Episcopus:

Est locus, ex omni medium quem credimus orbe,

Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.

Quos versus & Beda adducit cap. IIII. de locis sanctis. Opinio vero hæc nata ex verbis Psal. LXX III. 13: *Operatus est salutem in medio terræ. Sed in medio terra valet palam, in omnium conspectu.* Theodoreetus: Τὸ ἐν μέσῳ τῆς γῆς, αὐτὸν δὲ περιβάλλοντας. Quomodo etiam expavit Euthymius: inno & Bellarminus, Sa, atque alii.

17. §. *Vbi autem Christus est passus, ibi postea temporibus Hadriani Veneris simulachrum est statutum: uti & Resurrectionis profanatus est locus, constituta istic statua Iovis.*

Hieronymus epist. XI. ad Paullinum de Institutione Monachi. Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Resurrectionis simulachrum Iovis, in Crucis rupe statua ex marmore Veneris, à Gentibus posita colebatur; existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis, & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Idem de Calvariae monte tradit Alexander Monachus homilia de Inventione S. Crucis, & Georgius Αμαρωνίος in Chronico: & ante hos Socrates, Theodoretus, Sozomenus, ac Hieronymi æqualis Rufinus: & ante hos omnes Eusebius lib. XI

de Vita Constantini lib. III. cap. XXV: Δεινὸν ἡς ἀληθῶς τυφεῶν
ψυχῶν κατέσπειρά γε τενεῶν εἰδώλων, σκόπον Αὐτοῖς τοις λαζαρί-
μονι μυχὴν οινοδομησάμενοι. Nefandum revera, & execrabile bustum ani-
marum construnere, & obscurum lascivo Veneris dæmoni recessum adifica-
runt. Nisi cuim Rosweido * sic hunc locum malis legere: Νεκρὸν
εἰδώλας ξέαρον Αὐτοῖς τοις λαζαρίμονι μυχὸν, τῷ μυχὸν, οινοδομησάμενοι.
Mortuum idoli simulacrum lascivo dæmoni Veneris, & recessum, adificarunt.
Memoria fecellit Paullinum, cum x i epistola ait, Iovis simulacrum
in loco Passionis constitutum: nisi & heic malis, laxe adeo locutum,
ut & propinquum Resurrectionis locum comprehendat.

C A P. VII.

Accessum ad septimam Passionis partem. De qua hoc
loco memoratur, quomodo in monte Calvariæ, ubi
myrrhatum poculum gustaslet, vestibus sit exutus, ac
cruci affixus. Vbi tum de cruxifixionis tempore actum,
tum de crucis forma, partibus, ac clavis: hinc expo-
situs, quam mundi partem spectarit Christus in cru-
ce pendens, & qui ritus Ecclesiæ inde originem traxe-
rint: denique cur Deus maluerit filium cruci affigi,
quam alio mortis genere necari.

1. S. **S**eptima Dominicæ Passionis pars, pro triplici tempo-
re, est trimembria. Primum enim in consideratio-
nem veniunt, quæ proxime crucifixionem antecedunt. Dein
de ipsa crucifixio. Postremo quæ eam consecuta, donec de-
poneretur de cruce. Crucifixionem duo antecedunt. Prius,
quod, ut in locum supplicii deventum, datum Iesu vinum
myrrhatum cum felle mixtum.

Vel ab aliis quidem vinum myrrhatum, ab aliis vinum felle mix-
tum: quæ Euthymii, & Theophylacti sententia suit. De vino myrrato auctor Marcus: de vino cum felle mixto Matthæus: si Latini
codices sequimur. Nam in Græcis pro vino est acetum. Nen-
pe pro ὄντες videtur librarius ὅξος rescriptisse, facili errore in ea vo-
cū

* Notis in
Paullini
epist. II.

cum affinitate. Nisi malis, acetum dixisse, quod vinum erat, sed acescens: aut vinum aceto fuisse permixtum.

2. §. *Videtur autem Iesu is potus esse datus non tam animo malo, quam ex consuetudine: qua vinum dabatur ad misto quopiam, quod mentem perturbaret, ut sic minus cogitatione mortis morituri terrentur.*

Peritur siceram dare jubet Salomon Proverb. xxxi. Iudeis vero non merum dare vinum, quod animum incestum recreat: sed permistum aliquo, quod ineibriaret, ut ita horrorem supplicii minus attenderent. Atque hoc etiam Sixtinus Amama lib. iii. Antibarbari Biblii * probatum ibat loco Maimonidæ in Halacha San- * pag. 937.
hedrin cap. xiii: *Postquam vero confessus est, potionant eum grano thuris in calice thuris, ut tollatur ab eo intellectus, & inebretur.* Sane non thuris modo ea vis, sed etiam myrræ cum vino haustæ, ut tenebras animo offundat, imo etiam, ut acceleret mortem, que nadmodum Galenus tradit lib. xv. de Simplic. medic. cap. xix. Itaque & doctissimus Nicolaus Faber pro mire, legit myrræ apud Appuleium. Prior locus est lib. viii. Metam. Indicem sese multimodis commaculat ictibus, myrræ præsumtione munitus. Alter lib. x: *Obfirmatus myrræ præsumtione, multis verberibus, ac ne ipsi quidem succubuit igni.* Nempe myrrha intellectum quidem obnubilat, corpori vero conciliat robur. Ac vis eadem semini crucæ: quo iccirco se præmunire solent, qui torquendi essent. Plinius lib. xx. cap. xxi: *Aiunt, verbera subituris potum eruca semen ex vino duritam quandam contra sensum inducere.* Monuit & Laurentius Rainirez de Prado Pentecontarchi cap. ix. Cui tamen ægre subscribo, cum vinum myrrhatum esse Christo exhibitum à piis mulieribus suspicatur. Nec enim tam mulierum, quam militum, vel aliorum, has partes fuisse, credibile est. Sunt & alia quæ non absimilem rationem habeant. Thus enim in potu insanos facit: largius haustum etiam mortem conciliat. Vide Dioscoridem lib. i. cap. lxx. Itaque Ptolomæus Philopator cum vellet Iudeos objicere elephantis obterendos, largis thuris manipulis condivit vinum. Nempe quo sic elephanti prorsus efferarentur, coque minus parcerent Iudeis: ut cognoscere est ex iii Macch. cap. v.

3. §. *Cæterum Christus gustavit quidem, sed bibere ob amorem noluit. Hinc Christum non, ut ante, alienis, sed suis*

jam vestibus exuerunt. Prorsus enim nudus pependit in cruce, ne verenda quidem velatus.

Nudos solere crucifigi, etiam arguit Artemidorus in eruditis suis Oneirocriticon nūgīs lib. 11. cap. LVIII: Σταυρόθη αὐτὴν πένηπι. καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σωρῷθεις. Τοῦ δὲ πλεσίου βλάπτῃ. μυροὶ γὰρ σωρεῦνται. Crucifigi (in somnis) bonum est pauperi. Nam altus est crucifixus. Verum divitibus damnosum est. Nudi enim crucifiguntur. Ita in actis S. Pionii legas, cruci affigendum suas sibi vestes exuisse. Etiam partes, quas natura tegi voluit, ab omnibus spectabantur. Quod & Bonaventura^a, & Ludolphus^b, tradidere. Imo B. Ambrosii est lib. x in Lucam: Resert considerare, qualis adscendat. Nudum video. Talis ergo adscendat, qui secundum vincere parat, ut seculi adiumenta non querat. Vicitus est Adam, qui vestimenta quæsivit. Vicit ille, qui tegumenta depositi: & talis adscendit, quales nos, auctore Dco, natura formavit. Talis in paradiſo homo primus habitaverat: talis in paradiſum homo secundus intravit. Etiam S. Augustinus lib. XVI. de Civit. Dei cap. 11, & contra Faustum lib. XI. cap. XXIII, Adamum Christo cruci adfixum confert cum Noë domini suæ nudato. Et Hesychius homilia de S. Andrea ait, sic Christum pependisse nudum in cruce, qualis Adam fuerat in statu innocentiae. Aquisgranenses tamen prædicant, se habere illud velum, quo verenda Christo coniecta fuere, cum in cruce penderet. Etiam

^c Paradox. ^d Ad cap. 6. ^e Palso. num. 10. & lib. 4. de Imagin. c. 4. ^f Tom. 10. tract. 35. Tostatus^c femoralibus fuisse coniectum arbitratitur. Et pro hac parte stant aliqui recentiorum: ut Malonius^d, qui argumentis admittitur, sed ficalnis, hanc tueri sententiam. Adhæc Salmeron^e. Imo ante hos omnes eo inclinasse videtur Petrus Blesensis epist. CII: Divitibus quidem in hospitio cum honore, & reverentia susceptis, in omni opulentia deliciae apponuntur de patrimonio crucifixi; Christus autem, semel olim crucifixus in ligno, foris in pauperibus suis crucifigitur, & torquetur in luto; in quibus aut nudus omnino, aut in semicinctiis tabescens, fame & frigore tremens, de his, quæ interius dantur canibus, solatium angustie sua postulat: & non est qui moveatur super contritione Ioseph. Nempe, ut aliis, sic Blesensi scrupulum injectit, quod Christum verenda coniectum pingere possint. Nec culpo, quando in eo ab iis consultum est pudori. Atque idem censeo de eo, quod pingunt Iesum in Iordanie, dum à Ioanne baptizatur, partes eas velatum. Aliter tamen historiæ veritas habuit. Oninibus enim partibus nudi erant, qui baptizarentur: imo & virgines, & matronæ. Atque hæc quæ de Christo, & cum

cum cruci affigeretur , & cum baptizaretur , atque item de aliis cum baptizarentur , diximus , ex Cyrillo Hierosolymitano , Chrysostomo , atque aliis , comprobavimus disputatione prima de Baptismo thesi vi .

Sed redeamus ad Christum crucifixum . De quo putavi fore operæ pretium si adscriberem dissertationem Ioannis Molani lib. iv. de historia sanctorum imaginum , & picturarum , cap. iv : Nudum etiam crucifixum esse Christum quales nascimur , iidem (Ioannes Heselius , & Petrus Montanus) & multi alii , in Passionem Domini scribentes , diligenter annotarunt . Hinc non solum in Græcis Ecclesiis Christum in cruce penderemus cum vestibus ; sed etiam apud nostrates in multis antiquis imaginibus , simpliciores quidam , multum Euangelio contrarium mirantur . Nam à doctis in Harmonia viris intellexi , multos istuc esse , qui rideant Lovanienses , apud quos in primaria Ecclesia , & in ipso pastoralis officii altari , veneranda imago crucifixi Christi , quæ in publicis processionibus , arduas ob causas indicit , ex avito , & religioso more , à duobus sacerdotibus circumfertur , vestita cernitur : mirarique vehementer , istud non corrigi in tam celebri studiorum , sive (ut est Indicium 1.) literarum civitate . Sed non legerunt , quod Gregorius Turonensis scribit in libro de gloria martyrum ^a : esse apud Narbonensem urbem in Ecclesia seniore , quæ Genesii martyris reliquiis plaudit , picturam , quæ Dominum nostrum , quasi præcinctum linteo , indicat crucifixum . Quæ pictura , dum assidue cerneretur à populis , apparuit cuidam Basilio presbytero per visionem persona terribilis , dicens : Omnes vos obiecti estis variis indumentis , & me jugiter nudum afficitis ? Vade quantocius , & cooperi vestimento : & tege linteo picturam illam , in qua crucifixus appereo . Sic ut ergo vestis Christo resurgent , aut adjudicium venienti , appingitur ; & sicut linteamina habent , qui ibidem ex sepulchris suis resurgent pinguntur ; sic etiam Salvator noster , in cruce pendens , propter nostram in praesenti vita misericordiam , qui in Adam innocentiam perdidimus , non pingitur omnino nudus , sicut cruci ab iis , quos Psalmista ^b canes vocat , est adfixus , sed pingitur aut vestitus , aut cinclus linteo . Postremum est nunc frequentius , partim quia hujuscemodi imago magis videtur excitare devotionem mentis , quam altera Christi , in cruce vestiti : partim vero , quia nonnulli putant , Christum in linteo tectum fuisse . Quod tamen magis opinantur , quam sciunt : & diversimode etiam narrant . Brigitta enim lib. iv^c . revelationum , Mox , ait , jussus vestes ponit , parvumque linteum verendis praetexit . Dialogus vero quidam , qui inscribitur Maria , & Anselmi , de passione Domini , & solemniter intermisceri solet prædicationi Dominica passionis , ut annotat Dionysius à Richel , Carthusianus , sic habet , loquente

^a Cap. 22.^b Psal. 21.^c Cap. 70.

quente Maria: Panniculum capitinis mei circumligavi lumbis ejus. Franciscus

* De passo- postremo Polygranus*, (ut reliquias opiniones omittam:) Nudus crucifixus est
ne Domini Christus: quanquam pium opinor, credere, obsequio alicujus velata pudor-
artic. 14. da: tum quod natura etiam horreat hoc facinus, tum quod Christus ipse, in
cujus erat voluntate, quod pateretur, coram castissima matre, aliisque san-
ctis mulieribus, non credendus est, invelatus voluisse apparere: tum denum,

† Exod. 28. quod erat in cruce summus & pontifex, & hostia. Vide etiam quæ ad supe-
riorem Brigitta locum fuisse annotavit Consalvus Durantus, pre-
sbyter, ac Theologiz Professor. Is propter Brigittæ auctoritatem,
& alia quædam, arbitratur, Christi verenda fuisse contecta linteo.
Non quidem diffitetur, prorsus nudos solere affigi cruci: sed ait,
Christi passionem fuisse voluntariam, nec alia pati decrevisse, quam
quæ decerent: propterea vitasse quicquid honestati repugnaret,
quale fuisset, si à matre, & seminarum aliis, conspiceretur prorsus
nudus. Mihi videtur, ad gravitatem passionis pertinuisse, si mors
ejus maxime fuerit ignominiosa; opprobrium vero auget, si nullo
fuerit tectus velamine. Quodque ad sanctorum seminarum conspec-
ctum attinet, cogitandum, quid è gentilibus Livia Augusta dixerit,
cum in angusta via obviam venissent, qui ad supplicium prorsus nu-
di raperentur. Aiebat illa, non magis horum visu se moyeri, quam
cum nudas conspiceret statuas. Ait Consalvus Durantus, Patrum
eos, qui magno numero aiunt Christum fuisse nudum, intelligen-
dos esse de nuditate ea, qua quis dicitur nudus, cum veste est à la-
trone spoliatus, utcumque sit genitalia coniectus: perizoma enim,
sive succinctorum, non censeri in veste: quod ex Isidoro, Glossa in-
terlineari, & Lyrano, adstruere laborat. Sed aliam fuisse Patrum opi-
niōem, arguit, quod dicant, Christum sic nudum fuisse uti nascimur
nos: atque uti Adamus fuit in paradiso: uti item cœlos petemus.

4. S. Nunc ea considerabimus, quæ ad crucifixionem perte-
nent. Ac primo, quia de loci circumstantia, nempe de Gol-
gotha, antea vidimus, solam nunc attendemus temporis
rationem. Hinc loquemur de materie ac forma crucis, &
clavis ejus. Quibus subtexam, quam mundi plagam spe-
ctarit Christus in cruce pendens: & qui ritus inde proma-
narint. Ad temporis circumstantiam pertinet, quo die sit
crucifixus, & qua hora. Dies erat Parasceues.

Quæ

Quæ proxime paschale festum præcedebat, atque nomen ex eo habuit, quia tum omnia ad paschalis agni immolationem, & comeditionem, præpararent. Vnde liquet, Christum non eo die comedisse pascha, quo proceres Iudeorum, & maxima populi pars: sed prius id fecisse cum discipulis: de quo plura diximus in dissertatione de annis Christi nati, baptizati, mortui. Vbi & expositum, cur Iudei non accusarint Christum, quod alio, quam ipsi, die celebraret Pascha.

s. §. De hora dissentire videntur Euangelistæ. Nam Marcus xv. 25. ait, Christum hora diei tercia affixum cruci. Ἡν δέ τείτη, νὴ τὸ πρώτον αὐτῶν. At apud Ioannem xix. 14. id factum legas Paracœnes hora quasi sexta. Huic difficultati trifariam occurritur. Sunt qui putent, esse alterutrius Euangelistæ errorem. Sunt qui existiment, esse lapsum librarii in alterutro loco. Sunt qui nihil esse peccatum, ac conciliari loca ista posse arbitrentur.

Prima est sententia eorum, qui in rebus non necessariis ad fidem, uti in minuta de loco, aut tempore, circumstantia, vel in numero, aut simili, Euangelistas statuant falli potuisse; non item in rebus fidei, & saluti necessariis. Atque hi etiam adferunt pro se verba illa Baronii ad an. xxxiv. §. clx. Quod Ioannes dicit, fere hora sexta; Marcus, & Matthæus, absque illa distinctione, dixerunt, hora sexta: ut ex his cognoscas, Euangelistas in conscribendis horis horologium non habuisse præ manus, ut per sua puncta singulas horas distinguere potuissent; sed de horis scripsisse, quod tunc opinari essent.

Qui librarii in alterutro Euangelista errorem censem, hi aiunt, Euangelistas non integre τείτη & ἕκτη scripsisse, sed Γ, & Σ, inque ea scripturæ similitudine, vel apud Marcum Γ pro Σ, vel apud Ioannem Σ pro Γ irrepsisse. Postea, commissio jam errore, placuisse ut non numerorum notis, sed vocibus integris scriberetur. Ac videri possit etiam Nonnus Γ pro Σ apud Ioannem legissee. Saltem pro ἕκτη vertit τείτη. Sic enim ejus habet paraphrasis:

Ἡν δὲ πλανούμενη τελετή τανατιφόρῳ ὥρῃ
Καὶ Πιλάτῳ ταχυεργὸς ἐπ' θίλαιῆς τούτων
Ἐβραίοις ἰεσότεν, Ιδε χεδὸν ἵστη ἀνήρ
Κοίτεντῷ ὑμείων.

Eratque protensa tertia letifera hora;
Et Pilatus promitus in confecta ex bonis lapidibus sede
Hebreis clamavit, Ecce prope stat vir
Dominus vester.

Tertia est opinio illorum, qui hæc reconciliant. Quod non uno faciunt modo. Aliqui putant, horas non accipi pro duodecima diei parte, sed quarta, sive trihorio: quo pacto, ut ex Censorino * constat, & diem, & noctem, in quatuor vigilias dispescebant. Sic

* Cap. 23. prima diei hora sit usque ad ineuntem horam quartam; secunda usque ad ineuntem septimam; tertia usque ad initium nonæ; quarta usque primam noctis. Quomodo si intelligas tertiam Martini, eadem sit ac sexta Ioannis, h. e. nostra meridiana, sive duodecima. Alii aliter conciliant. Nam censent, à Iohanne per sextam Parasceues non intelligi sextam Parasceues Iudaicæ, sed Christianæ: eam Christianam Parasceuen incepisse ab hora noctis nona, qua Christus in Synedrio videtur pronunciatus mortis reus. Ita sexta parasceues non alia fuerit, quam diei tertia. Hoc voluit B. Augustinus de consensu Euangelistarum lib. 111. cap. xiiii, ubi eandem esse dicit horam diei tertiam, & sextam parasceues: nec à Iohanne diei sextam, sed à parasceue, hoc est, præparatione immolationis Domini, (quod nobis verum est pascha) sextam intelligi. Ac similiter Ludovicus Ramirez de Præda pentecontarchi cap. xxxviiii. Ex his nulla æque sententia placeret, quam ista, ut per horam tertiam tertius diei quadrans, per horam sextam sexta è duodenis diei pars intelligatur. Sed huic opinioni non parum incommodat, quod veterum nullus pro quadrante diei, hoc est, pro trihorio, horam dixerit. Itaque multum metuo, nequid vitii irrepserit incuria librarii. Quomodo dixeris?

6. §. Maxime eo inclinat animus, ut librarius confuderit
Πίστιν μου τον, & Γ.

Quæ & sententia est B. Hieronymi: (si modo is auctor) in Psal. LXXVII: item aliorum, quos memorat Theophylactus in Ioannis cap. xix.

7. §. Sed sic quoque in ambiguo relinquitur, utrum Marcus è Iohanne, an Iohannes è Marco, sit corrigendus.

Posteriorem sententiam amplexi, quos laudat Theophylactus. Etiam

Etiam sic Nonnus, ut superius vidimus. Ac Petavius in **xii.** de Doctrina Tempor. cap. **xix.** refert, habere se Petri Alexandrini opusculum ἀνέῳδον, ubi testaretur, in autographo Ioannis, quod Ephesi adservaretur, scriptum fuisse, ὡς εἰ λοιπόν τείτη. De quo si certo constaret, iam decisa lis foret. Nunc dignum consideratu, an non potius sint audiendi, qui priorem opinionem sequuntur: ut Thomas Cajetanus, & Melchior Canus *.

* in 2. Luc.

8. §. *Mibi verisimilius fit, emendari Marcum oportere. Ac facile, puto, adsentient nobis, qui cogitare volent, quam multa ab Euangelistis evenisse dicantur inter id tempus, quo Christus à Caiapha est deductus ad Pilatum, & illud, quo in Golgotha crucifixus fuit.*

Nam (ut taceam secundam accusationem & damnationem à Iudeis mane factam, ut diximus) est apud Pilatum à Iudeis accusatus, ipse interrogatus, ad Herodem missus, ad Pilatum remissus, multa adeo tentata à Pilato, ut dimitteretur, & tandem extra urbem missus. Tantum sane abest, ut intra trihorium ea putem fieri potuisse, ut mirandum sit, sex intra horas evenisse, præsertim moras tanto-pere Pilato necente.

9. §. *Adde quod Matthæus etiam agnoscit, solem defecisse hora sexta. At quanto est verisimilius, eadem hora & Christum esse crucifixum, & paullo post tenebras esse consecutas: quam trihorio, postquam Iesus esset crucifixus, solem defecisse?*

Quanquam videas, in hac sententia fuisse Nonnum. Sed aliud indicant Euangelistarum hæc verba: *Erat autem fere hora sexta, & facta hora sexta tenebra facta sunt super universam terram, usque in horam nonam.* Atque hæc de tempore, quo cruci adfixus est Christus.

10. §: *Secundo loco me acturum receperam, tum de crucis materie ac forma, & partibus; tum de clavis ejus. De materie, utcumque aliqui disputent, incertum est.*

Quæ & sententia est Gretzeri lib. **i.** de Cruce cap. **vi.** Interim non dubium, quin unius generis lignum fuerit: utcumque de quatuor generibus quidam scribant, sed nullo innixi vel probabili ar-

gumento. Quidam arbitrantur, crucis lignum fuisse è robore, seu quercu, quia ejus in crucifigendo imprimis esse usus soleat, tanquam, ob duritatem, fixioni latura que aptum. Sillius lib. 1:

Quem postquam diro suspensum robore vidit.

Et eodem libro:

— *Erecto suffixum robore mæstis*

Ostentabat ovans populis.

Alterum quoque argumentum addunt, quod crux fuerit ex obvio alio prontoque ligno: quercus autem crebra, & frequens olim ac nunc quoque in Iudæa. Sed omnia hæc valde sunt infirma. Nam quercus in Iudæa est rarissima: quod hac in re etiam deceptus sit doctissimus Iustus Lipsius libro de Cruce tertio cap. xi i. Imo neque ex Sillio recte colligas roboris usum in adfixione ad crucem. Nihi lo sane solidius, quam cum statuunt, equum Durium, quo capta Troia, fuisse ex abiete, quia Maro^a de eo dicat,

— *Sætaque intexunt abiete costas.*

^a *Æn.* Lib. 4,

el. 1.

In Medea.

^d *Carm. de Nuptiis Pe-* Aut cum aiunt, Argo navem fuisse ex abiete: quia Ennius^c, & Ca-
^{tullus d}, abiegnam dicant. Nam de equo Durio apud eundem Ma-
lei, & The-
ronem legitur:

tidis.

Ac Propertius^b:

Nam quis equo pulsas abiegnos nosceret arces?

Laxat claustra Sinon.

Et navim Argo Valerius Flaccus nunc alnum vocat, nunc pinum.

Quare non dubitandum, quin in istiusmodi nomen *roboris, abietis, alm, pinus*, pro qualibet arbore usurpent poëtæ.

Sunt qui crucem ex cedro, vel cypresso fuisse conjectant, quia trecentis annis sub terris durarit, priusquam ab Helena inveniretur. In his Nicolaus, Corcyra Metropolita. Sed enim nihil ejusmodi ligno opus. Nam nec alia ligna sub aquis demersa, vel terris pro-funde obruta, putrescant: quod quotidianè experiuntur Hollandi. Nam palos profunde in solum impactos, quasi recentes post secula tota educunt: imo & arbores inundatione eversas. Putredo, ac caries, sunt ab aere, ac tempore. Aer, vaporque absit, proque tempore sit frigus: durabit lignum multis seculis. Quod vero capuli mortuorum tam facile putrescant, id est ex eo, quod pluriimum aeris continent. Et multum ignis inest corporibus humanis: qui non omnis à morte statim exspirat. Vnde aer ille tepidior, quam si foret *cenotaphium*.

Sunt

Sunt qui scribant, lignum crucis è quadruplici lignorum genere fuisse compositum. Ac videri possit Beda iis ad hanc sententiam præivisse. Sed omnino id fabulosum: nec hujusmodi quid traditum ab antiquioribus. Ac puto, inde ortum, quod lignis quatuor crucem constare, multorum esset opinio, videlicet stipite erecto, transverso, titulo, & stipite seu mediano, h. e. sedilis excessu, seu imo, hoc est suppedaneo. Atque hæc de materia crucis.

I I . §. Forma crucis ea fuit, quæ est literæ T apud Græcos, & Romanos.

Loquimur de cruce proprie dicta, qualis illa est cui affixus est Christus. Impropius vero *crux* dicitur de patibulo: tuni antiquo, quod aliter dicitur *furca*: tuni novo, & in crucis locum introducto à Constantino M. Is enim, quia Filius Dei pro salute nostra est crucifixus, noluit facinorosos simili mortis genere perire. Novum igitur induxit genus patibuli, quod fune suspensos strangulabat. Nec deinceps *crux* obtinuit in orbe Romano. Quæ tempora quia sæpe confunduntur à viris alioqui non ineruditis, fieri aliter nequit, quin spissè sæpius aberrent. Tres hæ formæ sic differunt. Vera *crux*, ut dixi, refert literam T: Excipe crucem *χειρῖ*, sive decussatam: qualis quæ dicitur S. Andreæ. Hæc enim figuram habebat Græcæ X, vel Latinae X. At *furca* sive patibulum vetus figuram habet literæ Y. Nempe stipitis superius bifidi. Erat enim lignum unum, sed divisus cornibus exsurgens: non, ut *crux*, è duobus lignis compactum. Atque à duobus illis patentibus ramis sive cornibus, non à patiente, ut putabat Isidorus, patibulum dicebatur. Patibulum recentius à Constantino inductum, hodieque usitatum, obtinet formam Græcanicæ literæ Π. In hoc patibulo non clavis figi solent; sicut in veteri cruce: sed teste strangulantur. Ante Constantinum non erat moris quemquam publico judicio strangulationi addicere: si qui αγχόνη sive strangulatione, seu laqueo perirent, sponte sua sic vitam finiebant. Quare κρεμᾶν & suspendere in publicis suppliciis non aliter debent intelligi, quam de cruci addiciti. Ne quidem aliter suspendendi verbum accipitur in illo xii Tabb. Caput obnubito, & ex arbore infelice suspendito. Quoties igitur de suspensione sermo est, sedulo attendere oportet de quibus temporibus sit sermo. Quenadmodum idem quoque faciendum in Græca voce συρπός, & Latino patibulum. Nam ante Constantinum nunquam intelligi debent de ligno, unde

penderent strangulati, sive lignum illud vocetur furca, sive crux. Utroque enim sumi videoas. Crucem veram per patibulum signat Salustius: cum in Histor. ait, patibulo affigi. At de furca usus Tacitus in xiv Annalium: ubi conjungit patibula, ignes, cruces. Furca etiam capienda, cum in Glossis Philoxeno tributis Patibulum exponitur σωρός: sed additur (sic enim recte emendant) ρρχαιώς. Hæc quippe antiquior est σωρός significatio. Fusc docteque de his Salmasius epistolis de Cruce.

12. §. Nec vera crux solum figuram referebat Hebrei Tau, sed etiam Ægyptii.

* Cap. 245.
et seq.

Quia de re Salmasium vide libro de cruce*. Vbi inter alia docet, siccirco non modo Dei, vel Di appellari; sed etiam salebdi, à crucis forma, quia saleb Ægyptiis crux. Addit, forma hac sæpius etiam occurtere in literis Ægyptiorum Hieroglyphicis, uti SS. Patres annotarunt: ac aliquando etiam cum ansula inveniri, sicut Tavi Abyssinorum.

13. §. Queritur, an non & figura eadem sit, vel fuerit, Tau Samaritani. Putavit hoc Origenes propter locum Ezechielis cap. ix, ubi Dominus jubet, ut angelus per medium eat Hierosolymam, inque fronte eorum, qui piis suspiriis ob peccata populi, & calamitates ejus, ingemiscunt, Tau notet, quo his solis parcatur, dum occidione occiduntur, qui non fuerint ita signati. Nec dubium, quin eo alludatur Apocalypsi cap. vii, cum jubetur parci in fronte signatis. Sane Tau Hebraum intelligi nequit, cum hoc habeat figuram longe aliam: que propius accedit ad literam Π. Sed dicebat Origenes, se ex homine Hebreo intellexisse, gentem suam olim alias habuisse literas, ubi eadem esset figura literæ Tau, ac Græcis. Deque mutatis literarum ductibus vere aiebat.

Nam ante captivitatem Babyloniam eadem fuere Iudæorum ac Samaritanorum literæ. His Moses usus, his David, ac cæteri. In captivitate demum Iudæi assuevere literis Chaldæis, & Assyriis. Eapropter Esras auctor fuit ut biblia deinceps non Mosaicis, sive Sa-

Samaritanis, sed Chaldaeis literis describerentur: ut fusiū comprombamus lib. I de re Grammatica cap. xxxi. Existimavit igitur, Ezechielem loqui de figura literæ T, non qualem habet apud Iudeos, sed Samaritanos.

14. §. Sed nihil æque huic Origenis sententiæ obstat videatur, quam quod in Samaritanis bibliis litera Tau non habeat figuram Tau Graecorum, verum longe diversam. At in Ægyptiorum literis Tau est ejus figuræ. Num igitur inde obortus sit error, dum Samaritana, & Ægyptia literæ, confunduntur? Verum videmus, etiam B. Hieronymum idem, ac Origenem, dicere.

Sic enim ille ad superiora Ezechielis verba: *Antiquis Hebraeorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Tau litera, crucis habet similitudinem: qua in Christianorum frangitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Nec dicere possumus, Hieronymum Samaritanas literas ignorasse: cum Samaritana etiam consulere biblia soleat: unde initio libri II commentarii in epist. ad Gal. ait: *Quam ob causam, Samaritanorum Hebreæa volumina relegens, inveni &c.*

15. §. Sed hoc quoque argumentum eluseris, si dicas, Hieronymum, cum in Ezechiem scribens Origenem sequeretur, fuisse ab eo deceptum, quia necdum sciret literas Samaritanas: quas postea demum didicerit, ac jam sciret, cum in epistolam ad Galatas commentaretur. Interea & elabi aliter possumus, nullius Origenem, vel Hieronymum, erroris insimulantes; quod malim. Videlicet si dicamus, Samaritanos habuisse geminam literæ T figuram: quarum una referret &c.

Fortasse autem otiosa est omnis hæc quæstio: nec Ezechiel particulatim loquitur de figura literæ: sed indefinite de signo aliquo. Nam Aquila quidem, & Theodotio, retinent Hebreæam hanc vocem ταῦ. Sed LXX, & Symmachus, φυνῶς transtulere σημεῖον. Author idem Hieronymus initio lib. II. commentarii in epist. ad Gal. cap. IIII. Sane in tau, signum, ἡ τάντα, tava, signavit.

16. §. Atque hec de figura crucis. Componebatur vero ex

duobus lignis: stipite arrectario, & ligno transverso. Stipes erectus respondebat malo in navi: lignum transversum antennae malo navis alligatae. Prior magnam partem obtegebatur corpore cruciarii. Alteri alligabantur, vel affigebantur brachia expansa.

Prior, quæ crassior, longiorque, sic describitur Tertulliano lib. i. aduersus nationes: *Pars crucis, & quidem major, omne robur, quod directa statione desigitur. Idem partem eam staticulum, & statumen appellat: nempe ab eadem origine, unde statuam dicimus. Eopse libro cap. xii: Si de hoc differentia intercedit, quanto distinguitur à crucis stipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quæ sine forma, rudi palo, & solo statuculo ligni informis dedicatur. Nec absimili significatione B. Hieronymus ait uxorem Lothi in statuolum salis esse conversam. Arreſtarium huncce crucis stipitem Iustinus appellat ἔργον ξύλον. Ad transversum lignum cruciarius extendebat manus, quæ deinde affigebantur. Hinc Arrianus in Dissertatione Epicteti lib. iv. cap. xxvi: Καὶ ἐν τῷ βαλανείῳ ἀνδυσίῳ, καὶ ἀπέιρας σταυτὸν, οἷς οἱ ἑσαχωμένοι, τεῖχη ἐντεινοῦσι ἐντεινοῦσι. Ut in balneo vestibus exutus, & te ipsum extendens, ut solent crucifixi, hinc inde friceris. Atque hoc referunt antiqui interpretes verba illa Christi ad Petrum Ioa. cap. ult. Extendes manus tuas, & aliud te cinget. Est quoque in Actis S. Pionii Martyris: *Vtro se vestimentis spoliat, & in cœlum suspiciens ac Deo gratias agens, super lignum se ipsum extendit.**

17. §. *Ex stipite arrectario metienda est altitudo crucis: que non uniusmodi semper erat. Quedam enim cruces extra ordinem fuere sublimiores.*

Qualis illa Hamani quinquaginta cubitos alta; ut est in historia Hesteræ: qualis item ea, cui affixus fuit à Carthaginensibus Regulus: de qua Silius Italicus lib. ii:

— Cum robore pendens

Italiæ cruce sublimis spectaret ab alta.

Hanc diversitatem etiam cognoscimus ex epigrammate hoc Lucilii:

Μακεσσέων σανχών σανχόμενον ἀλλον ἐστιν

Οὐ φθονεցός Διοφάνη ἤγειρε ιδῶν ἐτάνη.

Vertit Salinasius * :

Cum Diophon cruce suffixum majore riederet

Altius esse alium, tabuit invidia.

* Lib. de
Crucie
p. 314.

Sublimius solito patibulum , ex ejusdem Salmasii emendatione * , * vulgo
improbum patibulum dixit Sallustius in quarto Historiarum apud No- enim legitur
 nium. **Quomodo improbus natus** , de grandioris staturæ homine ; improbi
 item *improbiora labra* de nimis grandibus , legimus ; & *podex extans* patibulum.
improbus , pro altius. Ut taceam de labore improbo apud Maronem ,
 & similia apud alios.

18. §. Plurimum vero non erant sublimiores , quam ut pe-
des cruciarii à terra tribus solum , vel quatuor pedibus ab-
essent.

Et nisi adeo humilis fuisset , quomodo potuissent de solo in eam
 infilire ? quod indicant hæ loquendi formæ , excurrere in crucem , ad-
 scandere in crucem , in crucem tolli , levare , exaltare , imo in crucem saltare ?
 Imprimis vero hoc necesse habent confiteri , qui hæc non de me-
 diano ligno sive sedilis excessu interpretantur : sed de ξατπαδιώ sive
 suppedaneo. De quo inferius loquar in minoribus crucis partibus.
 Nec si tam alta fuisset crux , quam quidam volunt , unus eam ferre
 potuisset. Quo de more dicain , cum loquar de Christo prius , mox
 Simone Cyrenæ , Christi crucem bajulante. Præterea si alta adeo
 crux fuit , ac vulgo putant , quomodo matrona illa Ephesia , de qua
 apud Petronium Arbitrum legere est , solum cum milite & ancilla ,
 potuit maritum de cruce tollere. Denique modus , quo in cruce ,
 nec tamen per crucem moriebantur , satis altitudinem hanc refellit.
 Nam in sublimi cruce non potuissent , nisi fame , exanimari. At hu-
 miliori cruci convenient tot alia , quæ mortem adferrent. In his
 crucifragium fuit : item quod interdum supposito ad stipitem igni
 pendentes ustularentur : quodque non raro objicerentur bestiis , ut
 hæ cruci adsultantes diriperent viscera. Quod tamen non iero pro-
 batum exempli Laureoli ab ursis decerpti , ut est apud Martialem
 in Spectaculorum libello : nam dixerit aliquis , hos & arbores scandere ad instar felis , vel simiæ . Malim dicere de canibus & lupis. Ca-
 tullus epigr. cix , in Cominium :

Effosso oculos voret atro gutture corvus,

Intestina canes , cetera membra lupi.

Appuleius lib. vii Met. Et patibili cruciatum , cum canes & vultures in-
 tima protrahent viscera. Dixeris , nisi sublimior fuisset crux , facile po-
 tuisse noctu cruciarium ab amicis auferri de cruce. Sed huic rei
 consultum fuit custodia militari. Vnde Petronius Arbiter : Proxima

ergo nocte cum miles , qui crucis adservabat , ne quis ad sepulturam corpora detraheret. In Ægypto mos similis , ut videre est ex Plutarcho in Cleomene ; qui narrat , ut adfixo cruci sint additi οἱ τὸ σῶμα τὸ Κλεομένες ἀνεταχωμένοι φυλάττοντες.

19. §. Valde autem falluntur , qui vel σωρὸν Græcis , vel Latinis crucem , putant aliquando constitisse solo stipite arretrario , in terram defixo.

Censet hoc Iustus Lipsius lib. i. de Cruce cap. v. Tuetur autem his Tertulliani verbis in Apologetico cap. xv i : *Quanto distinguitur à crucis stipite Pallus Attica , vel Ceres Pharia ? quæ sine effigie rudi palo , & informi ligno prostant . Atqui locus potius contra Lipsium facit . Nam aperte vocat crucem , & stipitem , sive palum . Nempe conveniunt quidem eo , quod utrobique sit stipes : sed differunt quod in cruce præterea sit lignum transversum . Sententia igitur est : Non esse gentilibus mirandum , si Christianis forma crucis in pretio sit ; cum ipsi sub forma stipitis sive rudis pali Athenis quidem colant Palladem , in Ægypto autem Cererem sive Isidem . Quantillo , inquit , hæc distant ? num aliо , quam quod in cruce ad stipitem lignum alterum accesserit ? Et sane duo hæc ligna etiam requirit lib. adversus Iudeos cap. x. 17 : ubi mystice enarrat verba illa Mosis benedicentis filiis Iosephi Deuteronomij cap. xxxiiii. 17 : *Tauri decor ejus , cornua unicornis cornua ejus , in eis nationes ventilabit pariter ad summum usque terræ . Post hæc ē Mose adducta subjungit doctor ille Afer , ex parte iam ante nobis allata , & exposita . Non utique rhinoceros destinabatur unicornis , vel minotaurus bicornis : sed Christus in illo significabatur : taurus ob utramque dispositionem ; alii ferus , ut judex ; alii mansuetus , ut salvator : cuius cornua essent crucis extima . Nam & in antennam navis , qua crucis pars est hæc , extremitates hujus cornua vocantur : unicornis autem , medio stipite palus . Videimus , duo animantia memorare , taurum bicorneum , & rhinocerotem unicornem . Transversum crucis lignum ait referre taurum bicorneum : quia lignum illud se habet in cruce , ut in nave antennam , cuius extremitates duæ appellantur cornua : unde sic Maro :**

Cornua velat arum obvertimus antennarum .

Ac similiter Lucanus lib. viii. vela dixit pendentia cornibus aquis ; & Valerius Flaccus in i Argonaut. levum antennæ cornu. Imo & Artemidorus lib. ii. cap. xii. de Tauro , τέρεξ appellat. Vt vero tauro bi-

bicorni assimilat Tertullianus cornua ligni transversi: ita stipitem arrectarium comparat cum rhinocerote: quia ut rhinoceros cornu habet unicum, in naribus puta, unde & nomen accepit; sic etiam stipes ille in medio sui habeat palum acutum, cum videlicet cui solet insidere cruciarius: ut postea plenius exponam. Hæc satis refellunt opinionem Lipsii de cruce unius stipitis. Quemadmodum & illud falsum, quod putabat, stipitem erectum proprie crucem, transversum autem lignum proprie vocari patibulum. Nemo enim veterum sic iis utitur vocabulis.

20. §. *Vidimus de partibus crucis majoribus: quæ formam crucis constituant. Sunt præterea alia minores, non tamen simpliciter necessaria, quia & crux erat sine partibus minoribus. In his de una constat ex Scripturis: Ea est tabella supra verticem: quæ continebat supplicii causam.*

Ita in Christi cruce hæc tabellæ inscripta erat mortis ratio, quod regnum affectasset: ut plenius exponetur capite proximo. Græcis ideo titulus αὶ τίᾳ. De quo Scaliger Animadversionibus Eusebianis ad annum 1973 *. Erat vero tabella cerusata, cui literæ atramento * *Pag. 146.* sic inscribabantur, ut longius conspicerentur. Nec tamen grandes adeo quam censem, qui putant, sublimes usque adeo crucis fuisse Romanis. Hic quoque media ineunda est via. Quia vero scriptæ literæ istæ majusculæ in gypso, hinc tabellam eam Sozomenus, de cruce Christi agens, λέχωμα appellat. Id vocabulum Etymologus magnus ait signare tabellam gypso dealbatam, utilem ad ei inscribendum, quæ publicanda essent. *Album* vocat lex Constantini in Codice Theodosiano. Λέχωμα συνίδε nuncupat Nicephorus Callistus. Ac firmat illud Hesychii, huic probando etiam Salmasio adlatum: Σανὶς λέχη, λέχωμα, ἐν ᾧ αἱ γραφαὶ Αἴγυνθον ἐγέρθοντο πάγις κακούγες. Τιθέται ἐν τῷ διπλῷ σαρῷ. *S A N I S* alba, album, *in quo sententia adversus maleficos Athenis scriberentur. Apponebatur vero in cruce.* Quod postremum capere oportet de temporibus ante Constantium Magnum. Ac plane existimo, Hesychium (Christianus enim fuit) in animo habuisse αἰτίαν, quæ conspecta in cruce Christi.

21. §. *Præterea attendebatur in cruciariis, ne, si solum manus affixa essent ligno transverso, ruptis manibus corpus decideret de cruce. Huic metui bifariam potuit obviam ire:*

prior ratio est, si medio trunko affigeretur lignum, cui cruciarius insideret: altera, si sub pedibus esset affixum lignum, cui cruciaris insisteret.

Vtrunque horum videre est è picturis crucis, cui Franciscanos affixere Iaponenses. Hoc interim differunt, quod manus pedesque non clavis adfixerint, sed funibus alligant cruci. Quemadmodum & in eo discrimen fuit, quod sic alligatos cruci carnifex, medium diaphragma lancea transfigendo, vita privaret.

22. §. *Prius horum, videlicet lignum medianum inter feminam excurrens, ac prominens, agnoscitur ab iis Theologis, qui vixerunt ante tempora Constantini M., cum crux etiamnum foret in usu, ut ejus figuram optime potuerint nosse. Vt sunt Iustinus Martyr, Irenaeus, Tertullianus.*

Iustini verba primo apponam loco, ex dialogo ejus cum Trypho-

^a Deuteron. ne. Vbi primo adducit verba Mosis^a, benedicentis Iosepho: glo-

33. 17. riamque ejus inter fratres comparantis tauri bicorni, ac rhinoce-

^b Pag. 249. roti unicorni. Subdit deinde ^b: Μονοκέρω^θ ἡ κέρας εἰδεὸς ἀλλα

edit. Com- περγματ^θ ἢ χήματ^θ ἔχ^θ ἀν τις εἰπεν καὶ δυοδεξαι, εἰ μη^θ τί πάτερ^θ ἐσ-

melin. τὸν δειννουσιν. ὅρθιον γὰρ τὸ ἐστι ξύλον, αφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρ^θ εἰς

κέρας τωρεγμένον, οὗ τοῦ ἀλλο ξύλον περούμοιο, καὶ ἐκατέραθεν ὡς

^c Salmasius πηγάνυθεν ὡς κέρας^c, καὶ αὐτὸς ἔχειν ἐστιν, ἐφ' ὃ ἐποχθεντικοὶ σωματεῖοι.

lib. de Cru- καὶ βλέπεται, ὡς κέρας, καὶ αὐτὸς σὺν τοῖς ἄλλοις κέρεσι σωματεῖοι λι-

cepag. 243. corrigit eis συκίον. Unicoris enim cornua nullius aliis rei, aut figuræ, quis similia dixe-

reūt, vel ostenderit, quam typi crucem designant. Rectum enim unum est li-

sententia gnūm: unde summa pars in cornu sustollitur, cum aliud ei lignum adaptatur,

sit, eminere & utrinque extremitates, ut cornua, uni illi cornu adjuncta apparent:

in figuram & quod in medio impactum est lignum, ipsum etiam, ut cornu, eminet; puta

cornu, sive in quo cruciaris vehantur, ac insident, ac appareat ut cornu, ipsum quoque

cornibus aliis conformatum, ac compactum. Videtur ut quatuor cornua

agnoscit in cruce Iustinus: duo, quibus taurum bicornem referat:

ea sunt extremitates ligni transversi, antennam referentis. Duo item, quibus referat monocerotem: nempe & cornu monocerotis

refert, quod supra medium stipitis arrectarii exstat: & præterea

cornu hoc repræsentatur palo in stipite medio. Est & quintum cor-

nu, nempe extremitas ima stipitis arrectarii. Sed hoc præterit Iu-

stinus,

stinus, quia sub terris latet. Iustinus vero, dum hanc etiam partem annumerat, quinque statuit extremitates. Sic enim scribit lib. 11. cap. XLII: *Ipse habitus crucis fines & summitates habet quinque; duas in longitudine, & duas in latitudine, & unam in medio, ubi requiescit, qui clavis adfigitur.* Extremis verbis clare signat τὸ ἔξεχον πῆγμα. Ut male de suppedaneo intellexerit Feuardentius *. At Tertullianus, ^a In notis ad Irenaeum.

quia consideraret crucem sub figura literæ T, non habuit rationem ejus, quod supra medium ligni transversi stipes arrectarius paulum emineret. Itaque tria solum crucis agnoscit: videlicet cornua duo ligni transversi, & unum medii stipitis erecti. Verba ejus antea adduximus, ut liqueret, crucem Tertulliano nunquam dici de solo stipe. Nunc partem eorum apponam, ut magis pareat de paleo eminente in medio stipite arrectario. Sic igitur ille adversus Iudeos cap. x: *Nam & in antenna naris, qua crucis pars est, hujus cornua vocantur: unicornis autem in medio stipitis palus.* Ut quidem Pamelius rescripsit, qui illud cornua se de suo supplevisse agnoscit. Retinet & Scaliger: sed maluit: *Qua crucis pars est hac, extremitates hujus cornua vocantur.* Sed Salmasio placet hac veterum codicum lectio: *Qua crucis pars est, hoc extremitates ejus vocantur.* Extremitates istæ cornua dicuntur: unde crux tauro comparatur, ut superius satis exposuimus. Hujus vero est loci, quod subdit: *Vnicornis autem medio stipite palus.* Vbi clare signat lignum illud in medio stipitis erecti referens cornu monocerotis. In editione B. Rhenani est, *media stipite palus; pro medio, vel in medio stipite.* Vnde Pamelius fecit, *media stipitis palus.* Quod σόλοινγρ. Possit & cum doctissimo Bartholino ^b Lib. de Cruce pag. 128.

gere, *medius stipitis palus.* Proclivis fuerit error, ut medio sit ex medium, quia 9, vel simile, saepe pro us soleat scribi. Idem Tertullianus lib. 11. adversus Iudeos *sedilis excessum* nuncupat. Pars, inquit, crucis, & quidem major, est omne robur, quod erecta statione defigitur. Sed nobis tota crux imputatur, cum antenna scilicet sua, & cum illo sedilis excessu. Excessum vocat, ut Iustinus τὸ ἔξεχον. Ut vero hic sedile nuncupatur, ita censet maximus Salmasius ^c Lib. de Cruce pag. 230.

dem dici à Mæcenate versibus istis:

Hanc mihi vel acuta
Subsidem cruce sustine.

Putabat Iosephus Scaliger ^d, etiam sedilis excessum notari à Julio Firmico, cum libro de errore profanarum religionum ait: *Cornua nihil aliud, nisi venerandum crucis signum monstrant.* Hujus signi uno extenso, ac ^d Animad- versionibus in Euse- bium pag. directo 10.

* Libro de
Cruce
pag. 247.

directo cornu, mundus sustentatur, terra constringitur. Nec assentio Claudio Salmasio, qui * censet, per unum illud cornu intelligi sumam partem stipitis arrestarii. Nam tria solum cornua agnoscit, praeterito medio stipitis palo. Præter quem duo alia ponit cornua ligni transversi, quod considerat, quasi è duobus esset lignis compactum, quæ brachia hominis repræsentent. Sic enim subdit: *Et è duorum, quæ per latus radunt, compagine, Oriens tangitur, Occidens sublevatur, ut sic totus Orbis, triparita stabilitate firmatus confixi operis, immortalis radicis fundamenta retineat.* Atque hæc de mediis stipitis palo, sedilis excessu.

23. §. *Vidimus de priori ratione sustinendo corpori: quæ debetur sedili. Altera est ab ligno cruci impactio, in quo pedes cruciarii. In hoc pede uno prius insiliisse videtur cruciarinus: ac deinde ei, altero etiam pede impositio, insituisse.*

Videntur hoc indicare variæ loquendi formæ. Vt, excurrere in crucem; quod legas apud Plautum Mostell. 11. 1: *insilire in crucem*, Mil. Glor. 11. 3: *adscendere in crucem*, cui opponitur *descendere de cruce*: ut locuti etiam, qui prætereuntes crucem Christo insultarunt. A secundo est Plauti Bacchidibus vox *Crucifali ficta*, quasi in crucem salientis.

24. §. *Quæritur igitur, an hoc ἀστόδιον etiam fuerit in cruce Dominica. Nullus meminit eorum, qui ante Constantinum M. vixerunt. Sed meminere aliquot, qui multo postea fuere.*

Fortasse etiam Nazianzenus, sive potius Apollinaris, vel alias in Christo Patiente: cujus verba sunt ista:

— Ήλωσαν χέργες,
Πόδας τε καθήλωσαν ἐν πηκτῷ ξύλῳ.

Quod fortasse reddere possis:

Fixerunt clavis manus,
Impacto ut affixere ligno ejus pedes.

Saltem intelligi nequit τὸ ἐν μέσῳ πηγνύματον ξύλον: sive palus è medio stipitis arrestarii extans, cui ut equuleo insiderent: eoque vel non signatur aliquod ex lignis minoribus, vel fuerit hoc πῆγμα illud prope in imo stipite, cui insisterent. Ac multum hoc antiquitatem ejus.

ejus sententiæ fulciret, quia tam Apollinaris, quam Nazianzenus, vixere anno Christi trecentesimo, & sexagesimo. Fuit hæc sententia Iosephi Scaligeri. Sed enim non video, cur non potius assentiam Claudio Salmasio, cui πηλὸν ξύλον est stipes erectus, soloque defixus. Quomodo & Terminus, qui palus erat ligneus, defixus in agris dicitur Tibullo:

Nam veneror, seu stipes habet defixus in agris.

Sane ad stipitem hunc arrectarium affigi solent pedes, uti manus ad lignum transversum.

Ad certiora igitur veniamus. Post Apollinarem, ac Nazianzenum annis ducentis claruit Gregorius Turonensis. Obiit enim annis quatuor ante sexcentesimum; uti quatuor post eum Gregorius Magnus. Hunc in cruce suppedaneum, ac fortasse primum, itatusse, evidens est ex lib. 1. de gloria Martyrum cap. vi: *Queritur, cur planta affixa sint, qua in cruce sancta dependere visa sunt potius, quam stare. Sed in stipe erecto foramen factum manifestum est. Pes quoque parvula tabulae in hoc foramen insertus est: super hanc vero tabulam, tanquam stantis hominis, sacra adfixa sunt plantæ.*

Eam Turonensis conjecturam plane fecutus est Beda in *Colle-
ctanis*: quando è quatuor diversis lignis compactam fuisse crucem ait. Vixit ille seculo toto post Turonensem. Videlicet anno se-
ptingentesimo, & deinceps. Ac pene annis quingentis post simili-
ter Innocentius III, qui anno claruit millesimo ducentesimo: &
sermone priori de martyre uno hunc in modum loquitur*: *Fue-
runt autem in cruce Dominica ligna quatuor, stipes erectus, & lignum trans-
versum; truncus suppositus, & titulus superpositus. Quæ postea repetit,
mysticeque enarrat. Iustus Lipsius nihil caussæ habuit, cur intelligi-
geret de trunco in terra juxta crucem apponi solito, ut esset ævit-
pedis sive obliqui sustentaculi loco. Nec enim is crucis pars erat.
Et fulcienda cruci non unus suffecisset truncus; sed pluribus fuisset
opus. Quo minus autem de sedilis excessu possit intelligi, in causa-
sa est, quod ex quo crux in usu esse desiit, de illo non amplius lo-
quuntur scriptores: minimeque omnium, qui vixerunt tanto post Gre-
gorium Turonensem. Omnes enim pedibus in Turonensis senten-
tiam ierunt. Et quod *suppositum truncum* appellat, indicat, loqui de
supposito toti corpori, non ventri, & natibus duntaxat: præsertim
quia sic insiderent, ut magis starent: at suppedaneo vère insisterent.
Adhæc opponit Innocentius *titulum superpositum*, & *truncum supposi-
tum*:*

* Pag. 171
edit. Colo-
nienſis an.
1575.

25. §. *Etiam Gregorii Turonensis sententiam secuti sunt pictores multi, qui post eum, sed ante complura secula, vixerunt.*

De quo malo verba ponere Francisci Feu-ardentii Notis in Irrenæi librum 11. cap. XLII: *Istud denique plurimum confirmant vetustissimæ crucifixi Domini nostri in templis servatae imagines, quas etiam eodem anno, quo hæc scribinus, CIO IO XCV, multis in locis conspeximus, cum dicto scabellulo, in quo pedes etiamnum distincti secretique duobus clavis affiguntur. Nimirum Virduni in majori eademque vetustissima æde unam: & monasterio, quod à divo Paulo nomen habet, alteram. Treveri ejusdem forma vidimus in majori templo duas: in æde B. Virginis, tres: sancti Simeonis, duas: S. Paulini, unam: & S. Maria, alteram. Confluentia in templis diversis, tres. Colonia Agrippina etiam ejusdem forma imagines, id est, pedibus disjunctis, atque duobus clavis in subiecta tabella confixis, plurimas conspeximus. In summo templo tres; ad S. Severinum, tres; ad S. Cunibertum, tres; ad S. Gereonem, unam; ad S. Ursulam, unam; ad S. Mariam de Capitolio, unam; in cæmeterio S. Georgii, unam; ad Indulgentias, unam; ad S. Mauritium, unam; ad Clarisas, unam; in quodam Xenodochio, unam: audimusque, in aliis sacris locis tales multas servari: quibus superior conjectura nostra non mediocriter firmatur.*

26. §. *Præterea suppedanei formam conspicere est in Roma subterranea. Sed & in veteribus numis eam observarunt viri eruditi.*

Ac primus in his Nobilis, ac doctissimus præceptor meus, Franciscus Nansi, hoc nomine etiam laudatus Iosepho Scaligero in Animadversionibus Eusebianis.

27. §. *Multorum nihilominus opinio est, pictorum & similium de suppedaneo esse commentum.*

Sane non agnoscit Iustus Lipsius in libris de Cruce. Est & Theophilus Rainaldi in Metamorphosi latronis cap. IIII*: Nulla hujus fulcri & sustentaculi vestigia apparent apud Ethnicos, cruciariorum supplicia desribentes. Et quid opus suppedaneo, si possint tolli vel levare in crucem? Quomodo & veteres de hac re locutos videmus.

28. §. Ne-

* Pag. 64.

28. §. Negant quoque, vel suppedaneo, vel mediano ligno, cui insiderent, fuisse opus, quia nervosa adeo sint hominis manus, ut nihil periculi sit, ne mole corporis rumpanatur: saltem pedibus conjunctis, & clavis ad stipitem arretarium adfixis. Id fortasse aliquid sit in corporibus tenuibus & emaciatis: veletiam corpulentis, quando ante Solis occasum corpora de cruce tollerentur: ut fiebat apud Iudeos: sed apud alias gentes ratio erat dispar, ubi non tollebant corpora de cruce, sed cibum relinquebant alitibus, & si humilior esset crux, etiam lupis, ac canibus. Cujusmodi cadavera tempore diutino ita tabescabant, ut neque nervi sufficerent corpori sustinendo, imprimis mole vel pondere prægravato.

Saltem non dubium, quin corpora paulatim putrescant, ac tum tabe liquefacti corporis, tum pondere corporis penduli, foramina manuum dilatentur: eoque corpori, quod suppedaneo, vel alterutro sit suffultum, minus à ruina in cruce periculum esse, quam si utrumque absit. Nec putandum, si neutro esset opus, Iaponenses esse usuros utroque; antiquos autem alterutro saltem: ut liquet ex Irenæo, & aliis, qui bene crucis formam norant: ut qui vixerint, quando adhuc crux obtineret. Nec audio, qui censent, nimis fore delicatum mortis genus, si ita insiderent, vel insisterent ligno. Nec enim delicatum videtur illud, quod efficit, ut diutius in gravissimo supplicio vivant. Nisi quis cum Mæcenate sapiat, qui vitæ tantam putabat jucunditatem, ut eam prorogari optaret, si vel acutæ cruci insideret: ut antea vidimus. Sed si quis querat, utrum potius censeam in Christi cruce fuisse, sedilis excessum, an suppedaneum: de priori dixero: idque ob Tertulliani, & aliorum auctoritatem, qui, ut dixi, vixerent, cum crux obtineret. Suppedaneum vero qui certo agnoverit in cruce Dominica, ante Turonensem habemus neminem. Imo neutrius mentio est apud veterum ullos, qui de cruce inventa ab Helena, & forma ejus crucis, egerunt. Solum enim meminere stipitis recti, antemina, & tituli. Videre hoc est ex Cyrillo Hierosolymitano, Ambrosio, Paullino, Rufino, ac tribus his æquilibus, Socrate Scholastico, Hermia Sozomeno, & Theodoreto.

29. §. Nunc à partibus, & forma crucis, ad clavos venio.

Quos Gregorius Turonensis Dominicos vocat, quia Dominus iis cruci adfixus tuit. Vulgus pictorum, imo & scriptorum aliqui *, Dominum, uti & latrones duos, funibus alligatos cruci arbitrantur. At eos refellit ipsa crucifigendi vox: quæ vim aimitat, si fuerint alligati, non clavis fixi: ut etiam apud Augustinum est psal. LXVII. Et sane veteres Theologi uno ore aiunt, eos clavis affixos. in his è Græcis sunt Chrysostomus homil. de cruce, & latrone, & homil. xv in epistol. ad Rom. Nonnus in xix cap. Ioann. adhæc Basilius Seleuciensis orat. XVI. è Latinis vero B. Augustinus lib. I. ad Simplicianum quest. XI, & tractat. VI. in Ioanne; nec non S. Gregorius lib. XVII. Moral. cap. XXV. & Alcimus Avitus Carin. III:

Etsi confixas clavis exiendere palmas

Non potuit, liber mentem cum voce tetendit.

Et sane sic in cruciariis obtinuisse, videre est ex Seneca de vita beata cap. xix, & Plinio lib. XXVII cap. IV; ut Appulcium mittam; atque è Græcis Vlpianum in Demosth. orat. Κατὰ Μεδίαν, atque alios. Et si in latronibus alter fuissest, non operosum fuissest S. Helenæ distinguere crucem, in qua Christus peperdit, ab illis latroni, contra quam est apud Paullinum epist. XI, ad Severum, & Theodoretum lib. I. Histor. cap. XVII. ut reticcam juniores: quales Nicephorus lib. V. cap. XXIX, Alexander Monachus orat. de inventione Crucis, & Georgius Hamartolus in Chronicō. Nam indicium fecisset Helenæ, quod in his deforent foramina clavorum. Nec tamen abnuam, olim etiam funibus adligatos cruci. Saltem in apocrypho opere Abdia Babylonii legas lib. II. Historiæ Apostolicæ: *Proconsul mandat quæstionem, ut ligatis manibus, & pedibus, non clavis adfixus suspenderetur, quo diutino cruciatu desiceret.* Sed de exigua ejus scriptoris auctoritate nihil nunc dicam: præsertim, quando de ea in Historicorum Historia vidimus. Hoc igitur sufficerit nunc, quod propositum fuit proconsuli abire à vulgari crucifigendi modo, ut vita, ac cruciatus foret diuturnior. Quod satis arguit, quam nihil illud repugnet consuetudini clavis adfigendi. Interea in sexto Lucani, (ubi de maga Thessala, cruciariorum reliquiis ad artes suas utente, sermo est) de vinculorum adligatione verba sunt aperta. Clarum quoque illud Artemidori Oneirocriticon lib. II. cap. LVIII: Σταυρῷσθεντι ἀνδεὶ ἀγάμω, γάμον περιστηρόλι, δέ τινες δέσιν, ταλω' πάντα

τοι συμφέροντες. Crucifigi (se somnianti) viro non habenti uxorem nuptias prædictis, obligaturam; attamen non adeo commodas. Imo etiam concurrisse videntur clavifixio, & vinculorum ligatio: & fortasse in ipso Christo. Audiainus Hilarium lib. x de Trinitate: Sed forte per dulci in cruce corporis pœna, & colligantium funium violentia vincula, & adactorum clavorum cruda vulnera sunt dolori. Et videamus, cuius corporis homo Christus sit, ut in suspensam, & nodatam, & transfosem carnem dolor invaserit. Nec videtur aliter capi oportere illa Tertulliani in Scorpiano cap. xv: Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur. Videlicet per cinctiō nem intelligit non solum clavifixionem, sed etiam conjunctam ei vinculorum adstrictionem. Quomodo & Theophylactus exponit illud Ioan. xx i. 18. Extendas manus tuas, & aliis cinget te.

30. §. *Clavis plurimum affigebantur cruci jam erectæ: quandoque tamen, maxime si sublimior foret crux, jacentes ac supini imponebantur cruci exinde erigenda.*

Prius defigi solere cruces, quam affigeretur cruciarius, ostendit Iosephus lib. viii. de exitio Iudeæ: Οὗτος δέ προσέτικε καὶ πηγῶν σωρὸν, ὡς ἀπίκαιο κρεμῶν τὸν Ελεάζαρον. Bassus iustit crucem defigi, tanquam protinus suspensusurus Eleazarum. Idem cognoscimus ex illo Titi Quintii epigrammate in Alcæum poëtam:

Αὐτοί τοι, γάρ, ἀφυπνούσαι, ὁδοπέρες, τῷδε θῆται νότῳ
Αἰλασίω σωρὸς πήγυλου ἥλιεσθαι.

Quod Salmasius * vertebat:

Fronde libroque carens super isto monte, Viator,
Vt crux Alceo figitur alta, vides.

Proque hoc modo sunt formæ illæ loquendi, adscendere in crucem, infilire in crucem, in crucem levare. Nempe vel in suppeditaneum cruciarius insiliebat, vel, id si nullum foret, in medium palum, sive sedilis excessum, à carnifice levabatur: haut aliter ac aliquem à stratore in equum sublevare videmus. Scalarum enim in crucifixione usus abberat: qui si fuisset, veterum aliquis meminisset. Atque hæc de priori, longeque vulgatori ratione crucifigendi.

De posteriori cognoscere est ex Actis S. Pionii. Inque Christo idem obtinuisse, sententia est Laurentii Iustiniani sermone de Passione, Palæoti cap. vi. de sacra sindone, & Francisci Lucæ Brugen-sis in Matth. cap. xxvi i. 35. Dissentiente interim Malonio ad Pa-læotum de sacra sindone cap. vi. num. viii. Mihi quoque non du-

* Epist. de
Crucis pag.
449.

bium, quin in Christo obtinuerit confuctudo receptionis: qua prius nuda crux infigebatur humo: ac deinde in eam tollebant illum qui foret crucifigendus.

31. §. *Præterea queritur, quas corporis partes clavis transfixerint. Illud quidem convenit, manus pedesque trajectos: sed remanet in controversia, de manibus quidem, qua parte perforati; de pedibus vero, utrum altero alteri imposito; pes uterque uno transmissus sit clavo; an uterque seorsum fuerit trajectus. De priori ambigunt, num hirsive vola, hoc est medium manus fuerit trajectum, an vero vel carpus, qui inter brachium & manum, vel proximum carpo metacarpium. Prius multi contendunt. Ac pro se adserunt verba hæc Zacharie xiiii. 6. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Ut vulgata habet translatione: sive, ut in aliis: Quid sunt plagæ istæ inter manus tuas? Ut ad verbum sonant Hebreæ. Eo alii laxius manum accipiunt, ut carpum comprehendat. Ac censent, sic potius capi Scripturas oportere, quia carpus firmior sit vola ad corporis pondus sustinendum.*

Posteriori modo Antwerpiæ pinxerat Petrus Paullus Rubenius, vir & doctrina, & pingendi arte clarus. Hæc quia pictura in templo, & loco illustri erat collocanda, ob novitatem picturæ, turbavit animos quorundam; qui iccirco litem ei movere: in his Ioannes Cramuel Lobkowitius, Abbas Disenbergensis, & Melroensis: ut ipse scribit ad Bartholdum Nihusium. Ut & inde videas, eum ligno tum mediano, tum suppedaneo, plane adversari.

32. §. *Alterum erat, utrum Christus cruribus divaricatis, ac pedibus disjunctis pependerit, eoque pedes singuli seorsum fuerint clavis transfixi; an uno clavo pes uterque, quia pes unus alteri esset impositus. Si prius, quatuor fuerint clavi: si posterius, terni.*

De isto sic Baronius in Annal. ad an. xxxiv, num. cxiv: *De Christo Domino antiquiores imagines quatuor ipsum affixum clavis representant: nempe*

nempe seorsum singulis pedibus singulis affixis clavis. Sed aliam sententiam de tribus clavis recentior probavit usus. Pro posteriori modo est, sive Nazianzenus, sive Apollinaris, in Christo Patiente, & toto seculo junior eo Nonnus. Imo & alii multi: inque his Theologi illi, qui Revelationes Brigittæ, vel scripferunt, vel limarunt. Sed aliter auctor libri de Passione Cypriano tributus: *Clavis sacros pedes terebrantibus.* Et plures advocare ad partes, nisi liqueret, cum morem suisse Romanum. Nec aliter capiendum est hoc Plauti Mostellaria act. II. sc. 1:

Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrit:

Sed ea lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.

Multum hoc lucis capit, si institere suppedaneo, ut etiam apud Iaponenses fit. Apud quos ea pœna ratio multum convenit cum Romana. Quippe manus licet, pedesque non affigantur clavis; sed solum alligentur; tamen crux eorum & ἔπονδιον habet, cui insistent, & lignum inter semina, cui insideant. Ut videre est ex Franciscanorum historia, quos Iaponenses cruci affixerunt. Nec aliter dixerint Trevirenses, qui dextri pedis clavum se habere jam à multis seculis prodiderunt: quod ipsum ex antiquis memoriis se referre ait Iustus Lipsius in Notis ad librum II de Cruce cap. ix. Nec quicquam apertius his verbis Gregorii Turonensis lib. I de gloria Martyrum cap. vi. *Clavorum, inquit, Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hac est ratio. duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis.* De planitarum clavis ait objici posse, eas in sacra cruce dependisse, ut his nihil fuerit opus. Respondet, *In stipite erecto foramen factum manifestum est.* Pes quoque parvula tabula in hoc foramen insertus est. Super hanc vero tabulam, tanquam stantis hominis, affixa sunt plantæ. Excessit Gregorius Turonensis quadriennio ante annum sexcentesimum, octennio ante Gregorium Magnum. At quatuor quoque agnoscit Ruffinus, qui annis ducentis antecessit: de quo mox videbimus.

33. §. Atque hæc de cruce, & clavis, ratione temporis, quo Christi, & Apostoli fuere. Subjungam, quæ pertinent ad tempora trecentis quasi annis postea subsecuta: quando crucem eam reperiisse creditur Helena, mater Cæsaris Constantini.

* Lib. de
Cruce pag.
371. &

Mirantur alii, imprimis maximus Salmasius*, Eusebium multa seqq.

quidem referre de pio Helenæ studio in visitandis locis , quæ Christus calcasset , deque Ecclesiis exstruendis : sed illud præterire de tribus , dum Calvariæ mons repurgatur , crucibus inventis , uno Domini , ac duabus latronum : item de cruce Domini exinde agnita , quod ægrotæ mulier latronum crucibus admota , non recuperarit valetudinem , sed tactu ejus , de qua pependerat Christus : adhæc de clavis crucis Christi , quos Helena dederit filio Constantino , partim galeæ ejus , partim equi freno infigendos , ut hoc pacto tutior foret adversus hostes . Sane tanti hæc visa fuere Theodoreto , ut etiam eo retulerit prophetiam Zachariæ xiv. 20 : Καὶ ἔσται τὸ ὅπλον τῶν χαλινῶν ἐπίπεδον τῷ κυνέῳ παντοκράτορε . Atque erit hoc in freno equi sanctum domino omnipotenti . Quod majoris foret auctoritatis , nisi pro freno equi Hebraice foret tintinnabulis : illis nempe , quæ collis equorum appendebantur , ac Græcis dicebantur κύδωνες . Ut præterea , quod quæ sequantur apud Zachariam , pertineant non ad Hierosolymam illam , qualis erat sub imperatoribus Christianis , sed antequam à Tito est destructa . Quis vero illa de inventa cruce , ac clavis , melius scire potuit Eusebio , qui tum temporis vivit , & tam sedulo & accurate singula de Helena enarrat ? An dicendum , ea omisisse , quia non crederet rumori vulgi ? sed eum postea ad sensu Episcopi Hierosolymitanus , & aliorum auctoritate , vires ac pondus accepisse ? atque inde esse , quod viri pii ea pro certissimis habuerint ? Meminere enim ætate proximi , Cyrilus Hierosolymitanus , Ambrosius , Paullinus , Rufinus , & qui seculo post inventam crucem claruere , tres æquales scriptores , Socrates Scholasticus , Hermias Sozomenus , & Theodoretus .

Magis etiam miratur idem vir sumimus , quomodo clavi crucis Christi potuerint dignosci ab illis , qui fixi fuerint in cruce utraque latronum . Neque enim cruci inhærente potuerunt , quia ut tollerentur crucifixi , necesse fuit extrahi , inque terram conjici . Num dicimus , clavos quosque , iis locis unde prius fuerant exempti , iterum esse insertos ?

Simeonis Metaphraستæ , quem Baronius in Annalibus sequitur , opinio est , cum Christus esset sepeliendus , B. Virginem hosce clavos è corpore filii exemisse , & in sinu suo collegisse . Sed enim hoc si foret , quanto verisimilius esset , clavos à piis adservatos , quam annis propter recentis postea sub terra esse repertos ab Helena , magni Constantini matre ! Adhæc Marcus Velerus pluribus adstruit lib. i.

de Cruce cap. xxxiv, moris fuisse in Iudea, ut quibus instrumentis aliquis in cruce neci esset datus, eadem cum illo terra obruerentur. De quo ex Rabbinis etiam inferius dicam.

34. §. *Quid inventa cruce clavis factum sit, exponit Rufinus Histor. Eccles. lib. 1. cap. viii: Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat (Helena) ad filium. Ex quibus ille frenos compo- suit, quibus uteretur ad bellum. Et ex aliis galeam nihilo minus belli usibus aptam fertur armasse.*

Vbi, ut dixi, quatuor videamus clavos agnoscere: cum alios dicat freno, alios galeæ inserviisse. Ac similiter Theodoretus histor. Eccl. lib. 1. cap. xviii. De duobus assentit Gregorius Turonensis loco ante memorato: de aliis duobus paullo aliter. Sic enim scribit: *Queritur etiam, quid his clavis fuerit factum. Duo sunt, quos supra diximus aptatos in freno; tertius projectus in frustum: quartum adserunt esse defixum in capite statuae Constantini. At cur freno inserti? Caussam addit, Quo fa- cilius, si adversa gentes restitisseni principi, hac virtute fugarentur. Nec dubitat dicere, Zachariam de hoc vaticinatum, verbis istis: Erit, quod in equum ponitur, sanctum Domini. Clavorum istorum magnam esse virtutem, comprobat postea eo, quod Iustinus imperator, à mago quodam illusus, propter pecuniam, expertus est, ac suis omnibus patefecit. De tertio clavo, in frustum ab Helena projecto, sic rem paullo plenius narrat: Adriaticum mare magnis fluctibus movebatur, in quo tam fre- quentia erant naufragia, ac demersio hominum, ut vorago navigantium dice- retur. Tunc provida regina, condolens excidia miserorum, unum ex qua- tuor clavis deponi jubet in pelagus, confisa de Domini misericordia, quod sa- vas fluctuum commotiones facile posset opprimere. Quo facto redditur mire quietum, tranquillaque deinceps navigibus flabra prestantur. Vnde usque hodie sanctificatum mare venerantur, cum ingressi fuerint, jejuniis; oratio- nibusque & psalterio vacant. De quarto clavo sic scribit: Adserunt, esse defixum in capite statuae Constantini: que civitate, ut aiunt, tota, excelsior esse suspicitur: scilicet ut tota, cui eminet, salutis quodammodo galea corona- ta est. De horumce clavorum usu vide sis Ambrosium in funere Theodosii, Cassiodorum in Tripartita lib. 11. cap. xviii. Paullum Diaconum, Eutropii continuatorem lib. xii, Zonaram Annal. part. 111; Nicephorum lib. viii. cap. xix. Hos laudo fidè Mallonii, notis in Alphonſ. de ſtig. Chr. p. 363.*

35. §. *Supereft videamus, an clavi ifti, non quatuor dico si tertius submersus, sed summum tresupereffe existimentur.*

Sane unus eorum ab Helena dicitur transmissus Romam in Ecclesiam S. Crucis in Hierusalem. Hodieque illic adservari, ait Franciscus Maurolycus in Topographia sanctorum reliquiarum. Nec aliter Christianus Adricomius in descriptione Hierosolymorum num. **CXLII.** Præterea Mediolani clavus summa in veneratione est. De clavo autem pedis dextri, Treveris adservato, jam antea vidimus. Sed de primo horum Romam missio, nihil tale veteres, qui aiunt, freno vel galeæ insertum esse. Cum vero multo plures tribus clavi hodie ostendantur: queritur, an non hoc clamet imposturam. Contentus ero adferre, quid ad hoc respondeat Baronius an. **CCCXXVI**, num. **LIV**: *Accidit fortasse alicubi: ut clavus aliquis inter sacras Reliquias adservatus, quo mystica membra Christi, nempe Martyr quipiam, confixus est, idem unus ex ipsis Christi clavis fuerit existimatus. Quasi dicat, ut error sit, abesse tamen animum fallendi: & sic quoque posse quodammodo Christi crucifixi clavum nuncupari: quia Christus in membris suis sæpe sit crucifixus. Nempe ea loquendi forma, qua*

* *Act. 9.4.* Christus ipse Saullo dicebat, * *Cur me persequeris?*

36. §. *Quia de forma crucis, & clavis, abunde videor pro instituto dixisse, venio ad illud, quam ad mundi plagam vultum Christus direxerit dum in cruce penderet, deque ritibus, qui inde defluxerunt. Vetus est traditio, Christum, cum crucifigeretur, occidentem spectasse.*

Meminit ejus rei B. Hieronymus in Marc. c.xv. Et paullo hoc junior Sedulius lib. iv. al. v:

Occiduo sacra labuntur fidere plantæ:

Arcton dextra tenet, medium lœva erigit axem.

Item Beda in Luc. cap. xcii, S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, Io. Damascenus lib. iv. Orthod. Fid. cap. xiii. qui tres paullo post annum septingentesimum vixerent.

37. §. *Quia autem Christus expansis manibus in cruce Occidentem spectabat: eo in baptismo quoque, in quo, ut Apostolus testatur, crucifigimur Christo, Christusque in verbis*

cru-

crucifigitur, baptizandus sic statueretur, ut expansis in formam crucis manibus, terque demonem exsufflans, spectaret Occidentem.

Quem ritum cognoscere est ex Dionysio Areopagita lib. de cœlesti Hierarchia cap. 11.

38. §. *Etiam hinc ritus alter, ut precantes respicerent orientem.*

Vt memorant Clemens Rom. lib. 11. Constitut. Apostolicarum cap. LVII, Iustinus lib. quæst. ad orthodoxos, quæst. cxvi 11. Clemens Alex. lib. IV Stromat. Tertullianus adversus Valent. Origin. homil. 11.1 in Num. Basilius lib. de Spiritu S. Damascenus lib. IV. de fide orthodoxa cap. XIIII. Nempe servus Stratonis ejus, qui Tyriorum postea rex factus, ex domini consilio orientem solem in occidente quærebat, ac reperit: ut Iustinus in Trogi epitome narrat lib. XVII. At Christiani è contrario Christum, justitiæ solem, occidentem, hoc est, moriente pro se, in oriente quærunt, eumque precantes animi illuc oculis spectant.

39. §. *Cæterum hujus ritus non ea solum causa adfertur, quod Christus in cruce spectarit occidentem, sed etiam quod in sepulcro sic positus fuerit, ut caput occidentem versus fuerit conditum.*

Vt Adrichomio ex inspectione sacri sepulcri observatum in de script. Hierosol. num. CCCXXXV.

40. §. *Quod item faciem occidentem versus converterit cælum adscendens.*

Hoc idem adstruit ex vestigiis pedum Christi marmori impressis, qui in monte Oliveti spectantur: ut idem Adrichomius refert.

41. §. *Quod præterea occidentem versus conversurus faciem creditur in adventu secundo.*

Quod colligunt ex illo, quia Act. 1 dicatur, *Quemadmodum vidi sis eum adscendentem, ita veniet.* Hujusmodi vero aliquid habere incerti, fatendum: interim vero non sunt dissimilia, quæ ab iis curiose adeo adferuntur.

42. §. *Imo & eo Orientem spectandum in precibus dixere, ut cogitemus, quomodo Adam in Oriente sit ejus in paradiso, ac cum eo pariter nos felicitate istac exciderimus, quam per Adamum secundum luculentius recipimus.*

Sed ut hæc ratio locum habeat in nobis cis paradisum habitantibus, ita contrarium exigeretur in illis qui trans paradisum incolunt Orientem.

43. §. *Majoris vero momenti ea est consideratio, cur Christus potius cruci sit adfixus, quam alio supplicii genere affectus.*

Superius quidem ostendimus, cur Christum crucifigi maluerint judices. At nunc dispicitur, cur Deus hoc potius supplicii genus elegerit, quam ut vel decollaretur, sicut decessor ejus Iohannes Baptista: vel dissecaretur serra, sicut Iesaias prophetes; ut aliorum supplicia in aliis præteream.

44. §. *Ratio vero adfertur à veteribus non inelegans, quod conveniret, ut sicut primus homo in ligno nobis peperit mortem: ita filius Dei nobis vitam acquireret in ligno.*

Natura humana vulnus accepit in ligno, Adamo primo comedente de arbore scientiæ boni & mali. Eidem naturæ medicina est ab ligno, Adamo secundo pro nobis paciente in cruce. Vnde in hymno Ecclesiastico:

*Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hostis unde laserat.*

45. §. *Præterea eo Deus spectarit, quod hoc mortis genus esset maxime acerbum, coque magis ostenderit Dei odium erga peccatum, amorem vero erga hominem.*

Quam illustre enim est indicium odii erga peccatum quod noluerit illud expiari, nisi supplicio tam duro, diroque. Quantum etiam documentum amoris & misericordiæ erga nos, quod voluerit ipsum Filium unigenitum ejusmodi supplicium pro nobis sustinere?

46. §. *Adde quod non modo valde esset acerbum, sed etiam igno-*

ignominiosum, & infame supplicii genus. Humillimus igitur humillimo, sive abjectissimorum hominum affici voluit supplicii genere.

Itaque gentiles ridere hoc solent in Christianis, quod fiducianū collocarent in crucifixo: quem & Epicureus ille Lucianus contemtim⁹ appellat τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀναστολοποθέντες^b. Sed Christianos non puduit crucifixi. Imo B. Paulus I ad Cor. 11. 2 negat, se quicquam scire, præter Iesum Christum, καὶ τὴν ἐσαρωμένον^c. Notum illud, quod Ignatio tribuitur: O' ἡγούσης ἔρως σωρόθεις^d. Nec sivit Constantinus Cæsar, ut illud supplicium ulterius inserviret tollendis facinorosis. Quare illud sustulit. Vnde B. Augustinus tractatu 111 in Ioanneum: *Modo in pœnis reorum non est apud Romanos; ubi, cum Domini honorata est, putatum est, quod & reus honoraretur, si crucifigeretur. Nimirum movit Cæsarem, quod hoc supplicio salvatum esset genus humanum, videlicet, quod ad sufficientiam meriti, non efficaciam applicationis. Omnes nimirum reducit à captivitatis necessitate: reducit solos fideles à captivitate. Pro omnibus mortuus, si PRO notet finem conditionalem; non mortuus pro omnibus, si PRO notet finem absolutum, sive effectum. Quomodo veterum Patrum sententiam in postremo Historiæ Pelagianæ libro fusius expressuimus.*

^a Lib. de
Peregrini
morte.
^b Illam in
Palestina
crucifixum.
^c Et hunc
crucifixum.
^d Amor
meus cruci-
fixus.

47. §. *Etiam rationem hanc mysticam ejusmodi mortis adducit Athanasius De Incarnatione Verbi Dei, Ut in morte sine mutilatione integrum corpus servaret, & caussa subduceretur iis, qui Ecclesiam in partes cipiunt discindere.*

Quantopere sane unitas Ecclesiæ cordi fuerit Iesu Christo, arguit precatio ejus Ioann. xvii. 11. 20: ubi & hanc causam, cur prounitate ea oret, bis adducit; *Vt credat Mundus, quia me misisti.*

48. §. *Quæritur, an in veteri Testamento evidentem habeamus predictionem hujus crucifixionis. Non arbitror. Censuit id tamen Iustinus Martyr, dialogo cum Tryphone.*

Vbi agit de illo ex psal. xcvi. 10: *Dominus regnavit à ligno.* Ac similiter legit Tertullianus adversus Iudeos cap. x, & lib. 111 adversus Marcionem cap. xix, & xxii. Item Arnobius, Lactantius,

Augustinus, Cassiodorus, Fortunatus. in cuius hymno tempore
passionis cani solet :

*Impleta sunt, quæ cecinit
David fideli carmine,
Dicens in nationibus,
Regnavit à ligno Deus.*

Ac legas etiam in Psalterio Romano. Ab Hebræo tamen codice absunt, ac vulgata Latina. Sed Lindanus vult, Iudæos sustulisse ex codice Hebræo: Genebrardus, sciolos quosdam mutilasse codices Latinos. Verum ut, propter Iustini autoritatem, credimus, in nonnullis codd. fuisse duo hæc verba, Ἐπὶ ξύλῳ: ita absuere ab iis, quibus usi Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. Præterea defunt in codice Chaldaeo. Nec ea Latino interpreti addi voluere Romani correctores, ac Sixtus V, & Clemens VIII Pontifices. Planeque iis adsentio, qui arbitrantur, è glossemate hominis pii irrepellere in quorundam exemplarium contextum. A qua opinione alienus neutquam est Faber Stapulensis.

49. §. *Fuere interim in V. T. typi, quibus hoc mortis genus significaretur. Ut exaltatio serpentis in deserto: de qua Numer. xxii. 8. Vnde Christus ipse Ioan. iiiii. 14. 15: Sicut Moses exaltavit serpente in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.*

Nec ignoro, complures doctissimos viros exaltationem hanc intelligere de prædicatione Euangeli. Sed capi oportere de exaltatione in ligno, sive crucifixione, indicant hæc Christi verba Ioan. xiiii. 32: *Cum exaltatus fuero ē terra, omnes traham ad me.* Quibus subiungit Euangelista: *Hoc autem dixit, significans, quia morte esset moriturus.* Miretur fortasse aliquis, Deum hoc potissimum symbolum elegisse apud populum usque adeo propensum ad idolatriam: ut in hoc ipso serpente eventus comprobavit. Nam necesse habuit Ezechias rex eum confringere, postquam eo populus ad cultum idololatricum abuteretur: ut est ii sive iv Reg. xvii. 1. 4. Sed enim voluit Deus, quemadmodum læsi erant à serpentibus, sic liberarentur serpentis conspectu. Sicut autem serpens æneus figuram quidem habuit serpentium, à quibus erant læsi; sed non habuit venenum: sic Christus habuit figuram primi Adami; sed non habuit peccatum. Præcipue vero

vero similitudo in eo consistit: quod sicut, qui corporis oculis adspicerent serpentem in perticam levatum, liberabantur à morte temporali: sic qui oculis fidei intuentur Christum elevatum in lignum crucis, hi liberantur à morte æterna.

C A P . VIII.

De iis, quæ Christo fecere alii, dum in
cruce pendens vixit.

1. §. **A**b iis, quæ ad crucifixionis tempus, & formam crucis, pertinent, venio ad illa, quæ contigere, donec de cruce deponeretur. Horum alia mortem antecedunt, alia consequuntur.

Quæ precedunt mortem, triplicia sunt. Alia alii fecere Christo: alia dicta sunt à Christo. Alia à Deo facta sunt ad glorificandum Christum.

Quæ Christo fecere, partim ab inimico plane animo sunt profecta: partim aliquid habent humanitatis.

Ad prius pertinet quadruplex ignominia. Primum, quod à latere ejus duo sunt latrones crucifixi. Deinde quod titulus sit adscriptus cruci, quasi foret lāse majestatis reus. Adhuc quod eo in cruce nudo, & inspectante, uestes sint divisæ. Tandem, quod Iudei ac gentiles irriserint & subsannarint crucifixum.

Tria priora eodem ordine commemorat Euangelista Ioannes. Et videtur is maxime consentaneus naturæ. Quare huic potius, quam illi aliorum Euangularistarum insistam: eo magis, quia postremus scripsiterit Ioannes.

2. §. *De primo ignominiae genere sic Euangelista: Crucifixi sunt cum eo duo latrones. Quomodo, ut Marcus * * Marc. ait, impletum, quod ait Iesaias cap. L I I I . 12 : Cum ini- 15. 28. quis reputatus est.*

Imo in medio eorum est crucifixus: quasi aliis duobus magis fascinorosus. Atque hac ipsa de causa vulgo existimant, sublimius aliis

p̄pendisse. Ac sic pinxere Albertus Durerus, pluresque alii non
parvi nominis. Sed de iis, quæ de suo historiæ sacræ addiderunt,
inagnam partem verum est illud Lucilianum,

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

3. §. De altero narrat Scriptura, Pilatum in tabella capiti affixa scribi jussisse caussam hanc supplicii, quod regnum affectasset apud Iudeos.

Ioannes xix. 19: Εγεγένετο καὶ πέτλων ὁ Πιλάτος, καὶ ἔθηκεν ὅπερ
σαρπῖδα. Scriptis & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Condemna-
tionis titulum intellige. Præter quem & alii erant multi. In his, se-
pulchri. Vnde Iuvenalis :

— *titulo res digna sepulchri.*

Vbi lapidis inscriptio intelligenda.

4. §. Titulus vero erat , ut integre eum refert Ioannes , qui postremus Euangelistarum scripsit ; Iesus Nazarenus rex Iudeorum.

Fuse differit Cajetanus, cur hoc crimen potissimum adscriperit Pilatus, cum pluria fuerint, quorum accusaretur. Vide eum Ientaculi primi quæstione quarta. Sane hoc pacto egregie se ultus est de Iudeis. Negabant illi, posse esse Cæsaris amicum, nisi eum, qui regem se diceret, poena crucis afficeret, quæ seditiones maneret. Paruit ille: atque ita satis ostendit, Cæsaris se gratiam cupere. Sed dum scribi jubet, Iesus Nazarenus Rex Iudeorum; non, (ut maluerint proceres Iudeorum) qui se regem diceret Iudeorum: exprobavit iis stultitiam, quod regem exspectarent, & quando haberent, voluerint eum cruci affigi.

5. §. Tribus linguis adscriptus fuit titulus: *Hebreæ*, quia hac uterentur, ubi sumtum supplicium: *Græca*, quia hæc maxime familiaris esset Orienti, ex quo Alexander Magnus eum subegisset, & Seleucideæ, sive Syriacæ, imperium illuc tenuissent, ut Ptolomai in Ægypto. *Latina autem*, quia *Iudea* & *Syria* reliqua in Romanorum foræt potestat, ex quo *Tigranem* vicerat Pompeius.

Eo igitur tribus hisce linguis scriptus fuit titulus, quia nemo Hierosolimae

rosolymis foret, quin aliquam è tribus hisce linguis nosset. Ut nihil sit opus eo recurri, quod in tribus linguis cernamus non contemnendum Trinitatis mysterium. Quod placuit, inter alios, Iacobo Le-desimæ, libro de divinis Scripturis quavis lingua non legendis, *^{Pag. 19.}
cap. III*. ^{edit. Colon.}

1597.

6. §. *Ac Lucas quidem hoc ordine linguas recenset, Græca,
Latina, Hebræa: Ioannes illo; Hebræa, Græca, Latina.*

Arripunt hunc Ioannis ordinem Baronius, Gretzerus, alii, ac Latinam linguam extremo aiunt loco collocari, quia locus extimus foret honoratissimus. In quo immane quantum eos ratio fugit. Baronius tamen hoc evincere conatur ex eo, quod in theatris, & amphitheatris, ita cavea Senatorum foret. Quasi hoc alia de causa fuerit, quam quia sic proximi spectaculo forent, ac facilius cuncta cernerent. Idein Baronius pro fe adfert, quod in pompa triumphali præmitterentur aurum, & alia hujusmodi: postea vero dux subactus, & inde imperator consequeretur. At hoc factum, ut sic voluptas cresceret spectaculo. Quod non fuissest, si initio præissent vieti duces, & imperator. Imo ne in eo quidem satis rem explicat, cum Imperatorem ait postremum fuisse. Nec enim in fine is, sed medio pompa erat. Quippe sequebantur Imperatorem amici, ac senatores, posteaque legiones. Nihilo solidius est, quando postremum ait fuisse locum consulariem: Cujus causam vide apud Plutarchum in Problematis. Nihil profecto certius, quam Romanis, duo si forent, honoratiorem fuisse locum priorem; si tres, medium. Quare longe aliter statuendum de ordine linguarum, quam Baronius putavit.

7. §. *Nempe Ioannes retinet ordinem eum, quo linguae istæ
in Iudea fuere usurpatæ. Nam Iudeorum sermo vernacularis
erat Hebræus; à Græcis vieti, Græcam; à Romanis subacti,
Romanam didicere.*

Proque eo ordine etiam se habet harum trium linguarum antiquitas. Latina enim profluxit è Græca, Arcadum imprimis, qui Dorice locuti. Græca autem promanavit à Phœnicia, sive Syra, quæ dialecto solum ab Hebræa differebat.

8. §. *At Lucas attendit ordinem Pilati, vel ministrorum:
qui primum locum genti dedere, quæ prius vicisset Iudeos;
secun-*

secundum autem, quæ secundo subegisset; postremum vero genti bis subactæ.

Et profecto quid æquius, quam ut postremum sortiretur locum gens, quæ prius parvissit Græcis, nunc vero subjecta esset Romanis. Quod vero Græcam præmisere Romanae, licet & Græci Romanis parent, id inde est, quod Iudæorum haberetur ratio, qui prius ab Alexandro M., postea à Pompeio M. essent vici. Accedit, quod Græca lingua multo latius pateret, quam Romana, ac istis terris Græci prope omnes scirent. Latine non item.

Cui hæ causæ non placent, dicat, eo diverso ordine usos Evangelistas, quia de ordine non laborarent, sed sufficeret iis, dicere de tribus linguis, quæ tum in usu essent: ac, neglectu ordinis, ostendissent, neque nos de ordine curiosos esse oportere.

9. §. *Tertium ignominie genus est, quod, Christo prorsum nudo in cruce relicto, eodem vivente, ac vidente, divisere ejus uestes in partes quaternas: ac sortem super eas miserunt, ut hac arbitra quisque suam haberet portionem. Sic, teste Evangelista Ioanne, impletum est utrumque eorum, quæ legimus Psal. xxii^b. 19: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem.*

Habes etiam in quibusdam codd. Matth. xxvii. 35. Sed in vetustissimis Græcis non reperit Beza. Nec habet Syriaca Immanuelis Tremellii. Habet tamen illa Guidonis Fabricii. Habet & Arabs. Non legit Origenes. Editio Sixti Papæ V non habet. Addidit in ea, quam recognovit Clemens viii. Plane eo inclino, ut ex Ioanne sit adjectum. Sixtinus tamen Amama^c putabat, rectius addidisse Clementem Mattheo, quam Sixtum omisisse.

^c Antibar-
bari Biblii
lib. i. cap.
10. scđt. i.

10. §. *In quatuor autem partes distribuerunt, quia uestes Iudeorum habuere partes quatuor.*

Vnde Deuter. xxii. i. iudicetur, ut fimbrias assuant quaternis palliorum angulis. Et credibile est, quaternos fuissent milites, quorum opera crucifixus sit Christus: ut sic unicuique sua foret portio.

^d Inconfisti-
lis.

11. §. *Sed præter uestes eas, sic dissectas, fuit tunica appa-
ratus, h.e. texta è superiori parte usque ad ima, ac nupiane-*

con-

*confuta. De qua dixere milites: Non scindamus eam,
sed sortiamur de illa, cuius sit.*

Quæstio est, qualis fuerit tunica Christi, quæ ἀρρέφες * dicitur ^{* Inconsu-}
in Scripturis. Variæ de eo sententia sunt. Mihi optime videtur hanc ^{tibis.}
rem explicasse Salmasius Notis in Vopiscum †: ubi docet, tunica- ^{† Pag. 402.}
rum, id est, χλωνων, alias fuisse φιστες, vel συμφορητες, h. e.
scissiles sive fuitiles, sive fibulatas: alias αρρέφες, sive inconsutiles:
priores utriusque in humeris fibula constringebantur: posteriores
vero una ex parte fibulis jungabantur; ex altera vero parte erant non
conclusæ. Sic nostræ, ut vocant, camisia, utrimque sunt φαντοι, con-
futæ, sive conclusæ, ac tecta: sed pallia ab una parte sunt φιστες sive
φαντæ, partesque fibula conjunguntur. Αρρέφον igitur, quod non ha-
bet φαντων, seu φαντæ, h. e. περόνων, sive fibulam. Sed hanc rem
idem doctissimus, & summus vir, fusiis se persequi velle ait in Ope-
re de re vestiaria. Tunicam hancce Christi, à matre fuisse contex-
tam, traditum est ab Euthymio. Ut admodum preciosam extollit.
Nonnus in paraphasi Ioannis cap. xix, ubi vocat αιγλήν τη χτῶνα
splendentem tunicam. Ejusdem est:

Οἶνοπα μὴ φίλαιμδον αἰνθέα τένεδε χλωνων

Θέσπελον αἴμαφιέποντα τύπων, ξένον.

Ne rubram hanc veri coloris tunicam dissecemus,

Habentem formam divinam, & peregrinam.

At aliter Isidorus Pelusiota lib. i. epist. LXXIV, ubi sic scribit: Τις δὲ
ἀγνοεῖ τὸ διπέλειαν τῆς ἐστῆτος ἐνείναις, ὃπερ εἰ πάντοι κέχενται τῷ Γα-
λιλαίων; *Quis ignorat vestis illius ruitatem, qua pauperes Galileorum
utuntur?*

12. §. *Quarta est ignominia, quod Iudei ac gentiles irrise-
rint, & subsannarint Christum.*

Id etiam fonti facere sit inhumanum: quanto magis insonti?

13. §. *Derisores isti fuere quadruplices. Ac primo dicuntur,
sannis, & convitiis exceptisse prætereentes: ut qui capita
quassarint, dicentes, Vah, qui destruis templum Dei,
& in tribus diebus illud reædificas! salva te ipsum,
descendens de cruce. Si filius Dei es, descendere de
cruce.*

Quasi se filium Dei declarare debuerit descendendo de cruce , & non potius manendo in ea donec moreretur , & postea resurgendo è sepulchro . Quomodo impleturus erat illud Oſeæ xiiii : Ero mors tua , ô mors .

14. § . Alterum irrisorum genus fuere principes sacerdotes cum scribis & senioribus . Quorum talis sermo : Alios salvos fecit : se ipsum non potest salvum facere .

Bella oratio ! Scilicet credituri erant de cruce descendant , qui credere noluerunt à morte resurgent : quod longe erat maius .

15. § . Addidere etiam : Confidit in Deo : liberet nunc eum , si diligit eum : dixit enim , Filius Dei sum .

Impie prosector , atque etiam stulte : cum non potuerint ignorare , Deum prophetas , & tot sanctos homines , qui in numine reposuissent suam fiduciam , non tamen semper eos præsentibus eripuisse periculis .

16. § . Tertium genus irridentium fuere milites , qui spectantes titulum dicebant , Si tu es rex Iudeorum , salvum te fac .

Vtrum ab his etiam sitienti in cruce oblatum fuerit acetum , postea melius dicetur .

17. § . Quartum genus est latronum , qui una erant crucifixi . Hi dixerunt , Si tu es Christus , salvum fac te ipsum , & nos . Sic Matthæus , & Marcus . Sed Lucas de uno id dicit : alterum enim rogasse , ut sui vellet esse memor , cum venisset in regnum . Que veteres sic conciliant , ut prius ambo sint convictiati : postea alter respigerit .

Ita Origenes tractat . xxxv in Matth . Athanasius serm . de Passione & Cruce Domini , Ambrosius lib . x . in Lucam , Hieronymus in cap . xxvi . Matth . Chrysostomus homil . xxii ad Rom . in mor . & homil . lxxxviii in Matth . Prosper contra Cassianum cap . xiv , Titus Bostrensis in Luc . cap . xxxiiii : item Theophylactus , Eu- thymius , alii .

18. § . For-

18. §. Fortasse tamen simplicius dixeris, cum Euangelista in plurativo latrones aiunt, unum è latronibus intelligi.

De quo loquendi genere, Scripturis familiari, pluribus dixi lib. iv. orat. Institut. cap. viii. sect. x.

19. §. Vt cumque hoc est, latronum ille, qui pendebat à dextra, alterum increpuit: *Tune, tu inquam, qui in eadem es damnatione, ac brevi Deo omnium rationem redes, ne cum Deum times? Nos justi damnati dignas subimus pœnas: hic vero quid commisit?* Deinde (*miram fidem!*) *eum, quem, ut maleficum, ac mox moriturum, videbat in cruce pendentem, moriturus & ipse, Dominum vocat, atque addit;* *Memento mei, cum veniris in regnum tuum.*

Non videtur ulla oratio adeo brevis tam multa complecti, quam latronis pauca verba. Pœnitentiam videmus, & contritionem, quam vocant, tralatione petita à rerum durissimarum imminutione in particulas minutissimas. Nec corde solum dolet, sed ore etiam peccata sua confitetur, atque ita sarcinam eorum à se abjicit. Confitetur autem sponte, ac libere, coram infinita multitudine eorum, qui tempore paschali solent congregari Hierosolymis. Solent hi esse circiter quadragesies centena & quinquaginta virorum millia: ut ex Flavio Iosepho ^a computant Ioannes Boudinius ^b, & Theophilus ^{a Lib. 7. belli Iudaici} Reinaudus ^c. Præterea ex caritate socium blasphemantem increpat. Idem, non de præsenti supplicio, sed vita futura sollicitus, orat, non mundanam salutem, ut à rege terreno: sed cælestem. Atque orat, non ut Salome pro liberis suis, præfiniendo quid fieri velit, nempe ut filiorum uni à dextris sedere det, alteri à sinistris: sed mo-deste solum poscit, ut sui meminisse velit; cætera Christo commit-tit. Addit, *Cum veneris in regnum tuum.* Pendentem videbat: & à morte verbo & spiritu suo regnaturum sperabat. Quousque neque tum pertigerant Apostoli, cum temporale Messiae regnum somniarent. ^{c De Metamorphosi Latronis cap. 9. pag. 408. &}

Quæ longe maxima cum cogito, non repugno, si quis cu[m] non nullis arbitretur, latronem, pro zelo, quo fervebat, etiam circumstantes commonuisse sui muneris, multaque dixisse, quæ reticuerint Euangelistæ. ^{409.}

20. §. Videtur autem latro eo usque animo ascendisse, tum miraculorum fama, tum mansuetudine Christi, fortitudine atque innocentia, quæ ex actibus Christi in Cruce ipsa relu-cebant. Nec tamen hic sistendum: cum primas obtineat gratia Christi interior, quia subitus ille afflatus à divina tractione fuit.

Quod & Leonis Magni judicium est serm. II de passione. At non audiendus Cassianus, cum, Collatione XIII cap. XI, ait, Zacheum, & latronem desiderio suo vim quandam regni cœlestibus inferentes specialia vocationis monita prævenisse. Quem errorem refellit Prosper adversum Collatorem cap. XIV, item Concilium Arausicanum II, quod desinit in his verbis: *Vnde manifestissime credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum susciperere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divina largitatis donum.* Fusius de hac gratiæ prævenientis necessitate egimus Historiæ Pelagianæ lib. IIII. part. II. Quid vero responderit Christus latroni pio, postea commodius dicetur.

Puto autem, satius esse, ut in principali hac conversionis caussa subsistamus, quam ut conjectura curiosa, multumque incerta, imo, ut puto, falsa, conversionis instrumentalem caussam esse dicamus, quod Christi pendentis umbra in latronem inciderit. Christum enim aiunt peperisse vultu verso Occidentem versus; de quo supra abunde diximus. Inde autem consequitur, hora sexta, sive meridie, quando Iesus est crucifixus, Solem habuisse à sinistra, ac proinde umbram brachii Christi incidisse in latronem, qui à dextra Christi erat. At si Petri umbra ægrotis fuit salutaris; non quidem vi naturali, quandoquidem inumbratio non est actus corporis nisi negativus; sed morali, vi divina se exserente nonnisi ubi vellet: quanto, inquit, major vis fuerit umbræ Christi, qui non corporibus modo, sed animæ pariter mederi solet! Proinde ita colligunt, hujus umbræ vi conversum fuisse latronem à dextra Christi pendentem, sive Septentri-nem versus, sicuti alter latro pendebat versus austrum, ut ille non potuerit à brachio Christi inumbrari. Hanc caussam commemorat, nec improbat, Vincentius Ferrerius Valentinus, monachus Ordinis prædicatorum, qui anno excessit CIↃ CCCC XVII, atque à Calli-
sto

sto III. in sanctorum est numerum relatus. Vide eum Concione in parasceuens, & in serm. IV majoris hebdomadis. Præivit vero toto seculo Iacobus de Voragine sive Varagine, Serin. IIII de Innocentibus. Ambigo autem, an ipso meridie umbra Christi potuerit attingere latronem non minus sublimem: saltem id non nisi de inferiori corporis parte fuerit verissimum. Et quomodo in umbram potuerit corpus latronis, si ab hora sexta, usque ad nonam, tenebræ fuerint? ut est apud B. Ioannem. Velle ad ista, quibus alia mens, magis attendissent.

Quodsi quis subitæ hujusmodi conversionis ac in latrone videamus exemplum exposcat, illustre habemus in B. Paulo. Multaque alia, sed disparis autoritatis, adducit Theophilus Renaudus in Latronis Metamorphosi cap. IV.^a Qui & cap. seq. fuse differit, utrum conversio istiusmodi necessaria, an libera, dici debeat.

^a Pag. 140.^b aliquam^c multis fe-^d quentibus.

Sanctus hic latro, cui quæ facta sit promissio, postea dicetur, *Dimas* appellatur à nonnullis: quoruni, ut puto, antiquissimus Gaufridus Vindocinensis^b: eoque plane puto, id nomen esse haustum ex apocryphis libris. Quædam tamen facella cum hoc nomine huic Sancto latroni fuisse errecta, apud Baronium legas in Martyrologio Romano ad VI. Kal. April. Sed in ipso Martyrologio nomen præteritur. Sic enim istic legas: *Ierosolymis commemoratione sancti Latronis, qui in cruce Christum confessus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in paradyso.* Sed neque in Martyrologiis suis nomen expressere Beda, Ado, Vsuardus. In nonnullis etiam libris, sed fere obscuris scriptoribus, nuncupatur *Dismas*: imo & *Gisma*, *Gesma*, *Gesta*: sive id factum sit errore librarii, sive quod, pro variis terris, varie id nomen corruperint: ut in incertis fieri solet. Imo in Collectaneis seu Floribus, Venerabili Bedæ, non sine nominis ejus injuria, adscriptis, bono latroni *Matha*, improbo *Ioca* nomen fuisse dicitur. Cujusmodi commentis piget immorari. Nec Chrysostomus^c ad senserim, existimanti, hunc latronem fuisse hominem gentilem. Potius Iudæum censeo: quo & Euthymius inclinat, propterea quod crederet Christum esse promissum Messiam. Nam unde alioqui ea gentili foret notitia? Ne illud quidem pro certo admisero, quod Chrysostomus^d, Eulogius^e, Cosmas Hierosolymitanus^f, putant, eum solitum noctu insidias struere, ac multis fuisse homicidiis infamem. Quod item ab annis amplius XXX latrocinatus dicitur: imo Iesum intercepisse in via, cum Maria & Iosephus cum pueru fugerent in

^c Tom. 2. edit. Graco- lat. serm. 7. additio in Genesim.^d Homil. 55. in Genes.^e In Apolo- get.^f In canone de exalta- tione Crucis od. 7.

Ægyptum. Hisce fabulis occasionem præbuit, quod Scripturis dicitur λύσης: quasi non ea vox habere locum possit, si zelo nimio in seditione commiserit homicidium. Quo inclinat Innocentius 111*, & Idiota †. Potuit igitur non modo prima ætate esse religione Iudaica imbutus, sed etiam in proverba diu bene vitam composuisse, sed ob unum insigne facinus addici cruci.

* Serm. 1.
de Convers.
S. Pauli.

† Contem-

platione de
confitu
carna, &
animis, cap.
4. num. 2.

21. §. *Ab latrone nunc venio ad aliam adstantium actionem: quam Matthæus, & Marcus, contigisse memorant paullo antequam Christus exspiraret. Cum enim is clamasset, Eli, Eli, putarunt aliqui, invocasse Eliam.*

Quales non fuere milites Romani; hi enim non norant Eliam: neque Iudæi Palæstini; hi sciebant, Eli signare Deus mihi: sed Græci religione Iudæi; qui, lingua Hebrææ, ac Chaldææ ignari, de Elia tamen norant ex LXX interpretibus.

22. §. *Mox etiam Christo clamante, se sitire, unus accurrit, spongiamque aceto immersam calamo circumvolvit: ut eo in sublime elevato inde Christus liquorem exsugeret.*

Sed verba tum pronunciata non similiter referunt Matthæus, & Marcus. Apud Matthæum est: Οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον, Αὐτὸς, οὐκαλός εἰ ἐρχεται Ἡλίας σώσων αὐτέν. Reliqui vero dicebant, Sine, videamus, an veniat Elias servatum eum. Hæc videntur ab adstantibus dici ei, qui potum dabat. At apud Marcum est de eo qui daret bibere, Επόπτεν αὐτὸν, λέγων, Αὐτός τε οὐκαλός εἰ ἐρχεται Ἡλίας καθελεῖν αὐτέν. Dedit ei potum, dicens, Sinite; videamus, an veniat Elias ad eum detrahendum. Hæc pugnare judicat Iansenius Concordia Euangelicæ cap. CXLI. Eoque Marciū censet eodem modo scripsisse, ac Matthæum: sed librarium quempiam omisisse, Οἱ δὲ λοιποὶ: tum alium pro ἔλεγον reposuisse λέγων; & ex ἀφεσ, fecisse ἀφεσ. Sed nihil est, cur putemus, locum esse depravatum. Nam & qui potum dabat, & qui non darent, pariter dixerat, videamus an Elias sit venturus. Illud sine, vel sinit, non poscit aliiquid permitti, puta, ut potus detur vel negetur, sed prope modum redundat, ut cum dicimus agere, vel agete.

23. §. *Quod vero acetum ei datum, id non tam factum, ut illuderent, vel ut celerius obiret, quam ut refocillarent.*

Alia tamen mens Iansenio: qui in Harmonia sua tradit, acetum eo

eo datum, quia id haustum morteni acceleret vulneratis: atque id velle Hieronymum, cum præbitum ait, ut eum *confopiant*: atque hoc inde etiam posse colligi, quod M. Antonio Trituniviro, ut ex vulnere, quod sibi inflixerat, citius moreretur, datum fuerit accentum: ut narrat Plutarchus in ejus vita. Verum hæc sententia eo refellitur, quod datum hoc ab iis, qui videre volebant, utrum Elias illi esset opem latus. Voluere igitur eum aceto reficere, quo vita prorogaretur, donec Elias adventaret. Sane aceto, si deficentibus præbeatur, viam esse refocillandi, & veteres medici prodidere, & usus quotidianus ostendit. Et quia hæc sunt acta apud cohortem Romanam: quid si acetum sit datum more Romano? Pro quo facit, quod in caltris Romanis potus erat posca: hoc est, aqua aceto permixta. Sane & Cato Censorius, ut de eo Plutarchus testatur, aquam in militia bibebat, vel in acri siti & calore acetum: villum exiguum nonnisi viribus deficiens sumebat. De Hadriano ita Spartanus: *Cibis etiam castrenis in propatulo libenter utens: hoc est, larido, caseo, & posca.* Atque idem in Pescennio: *Iusset vinum in expeditione neminem bibere: sed aceto universos esse contentos.* Videmus inde, ut duabus ipmis sufficere acetum putarit. Vulcatii quoque est in Avidio: *Præter laridum, atque acetum, militem in expeditione quicquam portare prohibuit.* Quod igitur acetum est datum Christo, non tam ad ignoriam ejus factum, quam humanitate qualiali. Quippe, ut vidimus, more castrensi, honestiores etiam contenti fuere aceto, sive ea, quain generali nomine *poscam* dixerat, à πίνω, sive *poto*, ut ab ἔδω, vel *edo, esca.* Domi interim nonnisi pauperum potus erat. Itaque Plautus Mil. Glor. Act. 111. opponit vinum, unde facile agentes se incibriant; & poscam, qua alii sitim coguntur explore.

Alii ebrii sunt, alii poscam potitant.

Vide & de poscam Hieronymum Mercuriale lib. 111. Var. Le^t. cap. xxii. Et refert Ioannes*, vas fuisse aceti ad manum. Quod ap- * *Cep. 19.*
positum sine dubio, quia mos foret (credo Romanus) dare acetum *vers. 29.*
in cruce morituris.

24. §. Sed videtur hic non levis esse inter Euangelistas dis-
sensus. Apud Matthæum xxvii. 48. & Marcum xv. 36.
leguntur hec verba: οὐδὲθεὶς καλάμῳ ἐπόποιν ἀπίν. At
pro eo Ioannes xix. 29. ait, νῦν ὡπῷ οὐδὲθέντες. Quaritur
igitur, si νῦν ὡπῷ fuerit spongia circumvoluta, quomodo
fue-

fuerit circumligata a calamo? vel si calamo, quomodo hyssopo?
Ac videtur hic nonnullis tam aperta pugna, ut locum existi-
ment corruptum. Interea hi ipsi diversimode corrigeret labo-
rant. Sunt, qui apud Ioannem pro ὑσπερῷ τετέφεντες legen-
dum putent ὑσπερῷ τετέφεντες: ut sententia sit, spongiam
fuisse circumvolutam hasta vel pilo, Romana militia telo.

Fuit hæc conjectura maximi viri Ioachimi Camerarii, Notis in
Ioannis cap. xix. Τοσὸν interpretatur pilum: quod jaculi genus; uti
& hasta erat velitaris; non item hasta illa, unde hastatorum ordini
nomen. Hac enim minus pugnabatur. A pilo, telo missili, pila-
ta dicuntur legiones, & Festo populus pilumnus, pro Romano. Simili-
ter οὐσὸν exponit tum Cesaibonus, Polybii interpres, tum ejus
enarrator Lipsius, libris de Militia Romana. Sed maximi Salma-
sii * sententia est, οὐσὸν esse Latinorum hastam; pilum vero ab iis
δόρῳ nuncupari. Atque hoc se plenius demonstrarunt promittit
commentario de Militia Romana.

25. §. Hec sententia eo corruit, quod & pilum, & hasta, Ro-
manis semper fuerit è ligno, ferroque: calami autem, vel
arundinis vox, quando in telis numeratur, solum conve-
niunt telis ex arundine factis; sive ha sagittæ forent, sive
etiam jacula, sive hasta.

Sagittarum ex calamo sive arundine sæpius mentio est apud poë-
tas. Sic Maro vii Æn. de Ascanio feriente cervum:

— Perque ilia venit arundo.

Idein Ecl. iii:

— cum Daphnidis arcum

Fregisti, & calamos.

Ovid. viii. Met.

Impositis calamis patulos sinuaverat arcus.

Arabibus etiam eadem vox K A N A', & cannam, & hastam significat.
Nimirum per metonymiam materiæ. Quæ ratio in pilo Romano,
vel eorum hasta, non habet locum. Itaque nusquam de hasta Roma-
na, vel pilo, νάλαχυστον usurpatur.

26. §. Atque his etiam refellitur eorum opinio, qui pro
ὑσπερῷ legunt ὑσπερῷ.

Vt nempe ex litera π una solum lineola, seu vetustate, seu aliter, perierit. Adde quod licet à λόγχῃ, λογχωλὸς apud Suidam legas ex epigrannitate, ab νασῷ tamen nuspiam invenias νασωλὸς. Neque νασωλὸς idem fuerit ac νασός, uti nec λογχωπός idem qnod λόγχη. Nemo sic veterum locutus. Sed λογχωλὸς iis, hasta habens è ferro cuspidem, ut opponatur hastæ puræ. Nam λόγχῃ proprie cuspis ξδόειραι, teste Iulio Polluce lib. x. cap. xxx.

27. §. Alii pro νασώπῳ legunt οἰστόνῳ.

Οἰστόνῳ τοιχὸς πύρῃ: si recte interpretatur Hesychius. Sed vox argumento est, sic dici, quasi οἴστος πύρῃ. Vt non tam designet fordes in capraruim pilis, quam ovinum. unde Ovidius:

Oesypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis?

Demitus ab immunda vellere succus ovis.

Et Plinius lib. xxix. cap. ii. ait, Oesypo in Atticis ovibus genito palma. Firmari autem eo hæc sententia videtur, quod sæpius apud auctores optimos librariorum culpa pro οἰστόνῳ legatur νασώπῳ, vel νασώπῃ. Nec id modo Græcos, ut Galenum lib. ii. de med. fac. sed etiam Celsum lib. v. cap. ix: imo & Plinium, de quo monuit Herniolaus Barbarus ad ejus lib. xxix. cap. vi. Etiam Arabes Medici, quia apud Græcos scriptores crebro reperirent νασώπῳ esse conversum in οἰστόνῳ, soñniarunt, duplēcēm esse hyssopum, siccām, & humidam: ac per siccām quidem intellexere verum hyssopum: per humidam autem, οἰστόνῳ.

28. §. Sed æsupo nullus hic est locus. Vulneribus quidem medebatur, iis impositus: sed succida lana illa, vel ejus fordes, nihil ad sitim restinguendam, vel spiritus revocandos, poterant conferre.

Imo ori admotæ potius nauseam creassent. Nec uspiam de more ejusmodi lectum. Imo vix aliud æque rationi est adversum.

29. §. Præterea ἐπί νασῷ, vel νασωτῷ, vel οἰστόνῳ corrigentibus valde obstant omnes codices Græci: omnes item qui è Græco vertere: uti interpres Latinus, Syrus, Arabs, Ægyptius: qui omnes canna habent, sive arundo.

Nec aliter commentatores veteres omnium æstatum. Persica etiam Xavieri historia summitatem cannæ sive arundinis reddidit.

30. §. Sic igitur colligimus; cum nunquam facile aliquis error debeat in sacris codd. agnoscit: tamen minime heic ipsis modis emendari oportere. Nunc videamus, quomodo conciliari possint Euangelistæ, si nihil mutemus. Est vero triplex ratio. Primus est modus, si cum Origene statuimus, per calatum, & hyssopum, idem signari: videlicet fruticem hyssopi, qui & thyrso sive caule constat. Nempe ut thrysus quidem utilis fuerit ad altius sublevandam spongiam, quo facilius contingere os Christi possent: at folia profuerint ad hoc, ut odore eorum recrearetur Christus.

Hanc sententiam juvat, quod eodem verbo utantur Euangelistæ. Nam ut Matthæus, & Marcus, aiunt, καλάμῳ τεθεῖσι, ita Ioannes ὑσώπῳ τεθέντες. Ut idem videatur per καλάμον & ὑσωπὸν denotari. Quod si est, totum hyssopum fruticem intelligere oportet: videlicet caulem sive thrysus cum foliis: folia quidem, ut odore resicerent: caulem vero, ut sustentaret spongiam, & eadem præstaret, ut facilius, manu in altum porrecta, spongia ad moveretur ori Christi. Nam, ut diximus, non ultra tres, quatuorve pedes, cruciarium elevabatur à terra: ut sufficerent hæc duo, si manus in altum elevaretur, & contineret bipedalis hyssopum thrysus.

Ad folia hyssopi quod attinet, audiri non debet Theophylactus, quando arbitratur, additam fuisse hyssopum, ὡς δηλητικῶδες, tanquam letale aliquid, ac mortiferum. Plane enim est ἀλεξητικόν, cum vim habeat revocandi spiritus defecientes. Quo fine & acetum fuit, ut Nonnus * loquitur, ὑσώπῳ καπεσοφύον, hyssopo temperatum: quomodo nunc buglossum (borraginem) vocant officinæ) vino est mos indere. Nempe, uti Κρῆς τῷ λεπτήμανι aliqui naribus ad movere solent pulegium, & acetum; de quo auctores Galenius, & Trallianus: sic acetum & hyssopum dedeit Christo, ne plane desiceret, priusquam adventaret Elias.

* Ioa. 19.
29.

31. §. Adversus hanc sententiam facere videtur, quod hyssopus sit exiguus frutex, ut caulis non potuerit ad hoc iuvare, quo facilius spongia ei imposita ad os pertingeret. Sed facile hic ictus exitur, si hyssopus in montibus Hierosolymitanis altius excreverit.

Dioscoridi duplex est hyssopus, montana, & hortensis. Montana, ut Arabes tradunt, est frequens in montibus Hierosolymitanis.

Et censem *σπάρυντα* Salmasius*, huic caulem fuisse & longiore, & firmorem, sic ut spongiam & facile sustineret, & longius exporrigere. Quomodo amaraci, sive majoranæ caulis, ubi anniculus, ligneus fit, atque ad altitudinem duorum pedum exsurgit: cuim alio-
qui in hortis sit caule & brevi, & infirmo. Interea assensum sufflaminat, quod *calamus* quidem *κατ' ἔξοχων* dicatur de calamo aromatico: nec Græcis modo, sed & Hebræis, quibus *ηὐπ* sic sumitur Ie-
faïæ XLIII, 24, & Ierem. VI. 20: at nunquam restringatur ad cul-
num hyssopi. Adde quod non satis sit evidens, apud Iudæos esse
hyssopum *θευδόρειδην*, sive arborecentem: concavum præterea, ut
caulis ejus possit calamus nuncupari. De quo certiora proment, qui
deinceps Iudææ montana lustrabunt.

32. §. Nec si sententia hac minus arrideat, eo pugnant
Euangelistæ. Est enim & altera, tertiaque, conciliandi ra-
tio. Vi si dicamus, alios, ut humanitatis officium presta-
rent, spongiam circumdedisse arundini, alios hyssopo. Vel
si statuamus, quod magis placet, spongiam fuisse hyssopo,
hyssopum calamo circumvolutam.

Quod visum Toledo in Ioannem, & Michaëli de Palacio, Theo-
logo Granateni. Et profecto, ut non pugnant, si unus dicat, Ti-
tium adfuisse, alter Mævium, quia uterque potuit adfuisse: ita nec
contradiccio est, si hic dicat, spongiam fuisse circumligatam calamo,
alter hyssopo: quorum hyssopus in summitate esset calami: ima ve-
ro calami pars manu teneretur. Vnde etiam Nonnus Ioa. xix. 29.

*Ἵππης καλάμης τοῦτον νείλον αὔριον ἐπέστρεψεν
Ωρεγένην ὑαστῶπων κεκερεφεμένον οὖτε οὐλέθρευτον.*

*Recta procedentis arundinis ad extremam summitem figens
Porrexit hyssopo mixtum acetum exitii.*

Eandem sententiam securtus est, inque Christo suo Patiente egregie
expressit divinus vir, Hugo Grotius:

— *Vase defusus late
Amarus avidos spongia laxat sinus,
Premit fluentem purus hyssopi viror,*

* Epist. 1.
de Cruce
paz. 318.
& 321.

*Quem levat in altum dextera adstantis viri
Protenta arundo.*

Porro hæc locum habent, sive per calamini intellecteris arundinem vulgarem; sive *νατ' ἐξοχλω* malis *νάλαμον διώδη*, seu aromaticum: cujusmodi à Matthæo & Marco signari putabat *ο μαναεῖτης* Ludovicus de Dieu *, vir probitate, & doctrina eximus. Quod firmari etiam videtur more illo Iudeorum, quo (ut ex Rabbinis observatum clarissimo Theologo, & collegæ antehac in Leidensi Academia conjunctissimo, Constantino L'Empereur) ad lustrationem immundorum adspergebant hyssopo tres habente culmos, sive caules: ac, si breviores hi forent, eos ligno cuipiam alligabant. Similiter nempe illi, qui Christo dabant bibere, hyssopum cum sponsa calamo alligarunt. Atque hæc dicta sunt de iis, qui Christo è sponsa acetum dedere exsugendum.

C A P. IX.

De iis, quæ dixit Christus in cruce pendens. Deque ejus morte.

1. §. Accedo ad ea, que Christus dixit in cruce. Sunt ea se-puplicia: alia oratio Christi orantis pro inimicis: alia paradisum promittentis latroni: alia matrem alloquentis, ac mox eam commendantis Ioanni: alia conquerentis, se à Deo desertum: alia potum poscentis ab adstantibus, alia de consummatione omnium testantis: alia Deo commendantis spiritum suum.

Prima igitur oratio erat, qua pro illis oravit, qui crucifigerent: causa etiam addita, quia, quid facerent, nescirent. Nemirum neque norant, esse Filium Dei, quem affixissent cruci: neque notum iis, sic Deum procurare salutem generis humani.

Hac oratione satis ostendit Iesus, se esse perfectissimum patientię ac caritatis exemplar. Atque ita est impletum, quod est apud Iesaiam cap. LIII: *Ei pro transgressoribus rogavit.* Etiam hoc veri est Pontificis, (ut inquit scriptor divinus epist. ad Hebræos cap. ix.)

orare

* In Notis
ad Ioan.
cap. 19. 29.

orare pro populi sui ignorantia. Ac nobis quoque exemplum præbuit; secundum illud Luc. vi: *Orate pro persequentibus vos.* Quomodo Stephanus, proto martyr cum lapidibus impeteretur, in genua provolutus dixit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum:* ut est Act. vii. 1. Ac Iacobus etiam, frater Domini*, præceps datus de pinna templi, cruribus fractis, adhuc semivivus, manibus in cælum protensis, aiebat: *Domine, ignosce illis.* *Quid enim faciant, nesciunt.* Auctor B. Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis.

* *Alphæi filius, qui minor di-
Etus, ad dis-
crimen
majoris pu-
ta Zebedei
fili, ab He-
rode gladio
occisi, ut est
Act. xii. 2.*

2. §. Altera Christi oratio ad latronem fuit à dextris pen-
dentem: à quo rogatus erat, ut sui vellet meminisse, ubi
in regnum pervenisset. Huic Christus respondit, Amen
dico tibi, hodie tecum eris in paradyso. *Vbi quatuor
in considerationem veniunt.* Primum, quid sit Amen.
Deinde quicum verbo hodie conjugatur. Exinde quod
dicat, secum fore. Denique quid per paradisum intelligatur.
A M E N plurimum adverbii significationem habet, ut sit
idem ac vere: nunc verbi, ut significet fiat: nunc nomi-
nis, ut valeat verus. Hic primo sumitur modo.

Ἄμην ἡν̄ est ab radice ἡν̄ aman, verax, ac fidelis fuit. Adver-
bii modo sumtum exponitur vere, certo, ἀληθῶς, πεπισθεμένως. Et
sic accipisolet in N. T. Sunt qui jurandi particulam dicant. Sed pa-
rum est verisimile, hoc si esset, toties ea fuisse usurum Christum, qui
crebris juramentis interdixit nobis. Mollius igitur Augustinus
tract. xl. ait, esse quasi juramentum. Nempe ea utitur Scriptura,
ut vehementius affirmet. Ac interdum est simplex, interdum ge-
minatum. Nec tamen hic mysterium querendum, cum Ioannes sa-
pe geminet, ubi simplex est apud Euangelistarum alios.

Quando verbi optantis vim habet, à LXX exponitur γένοντο, fiat,
ratum esto, ac fixum. Ac sic sumitur i Cor. xiv. 16: ubi negat, idio-
tam, non intelligentem, quid dicatur, posse dicere amen: qua voce
in veteri Ecclesia populus obsignabat precationem sacerdotis.

Præterea amen vihi habet nominis: ut Apocalypsius cap. 111. 14:
Ταῦται λέγονται Αμήν, οὐ μάρτυς ὁ πιστός, οὐ ἀληθίνος. Hec dicit ille Amen, testis
fidelis, & verax. Vbi ἀμήν esse nomen, ex articulo addito recte colle-
gere Ticonius, & Primasius. Quod addo, quia pauci hujus tertiae

significationis meminerunt: imo plerique solius secundæ faciunt mentionem: in his etiam Angelus Caninius lib. de locis N.T. cap.v.

3. §. Hodie *cum verbo eris, non cum dico, coheret; ut quidam cavillantur, qui sic distinguunt, Amen dico tibi hodie. Quorsum enim dicaret Christus, se eo die loqui? Sententia igitur Christi est, non se diu velle differre id, quod poposcerat latro; nempe ut sui meminisse vellet, cum in regnum suum veniret: sed eopse die postulatum ejus impleturum.*

Aliter tamen, Theophylacto teste, visum Græcis quibusdam; nempe ne cogerentur fateri, quemquam in paradisum recipi ante universalem resurrectionem. Sed istiusmodi distinctionem ut hereticam detestatur Moyses abbas apud Cassianum Collat. i. cap. xiv. Alios etiam huic errori implicitos adducit Turrianus in defensione Constitution. lib. v. cap. xiiii.

4. §. *Magnam etiam vim habet, quod Christus ait, Mecum eris: juxta illud apud Ioannem: cap. xvii: Volo, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. Significat igitur, qui nunc particeps esset supplicii, fore deinceps partipem glorie.*

Bernardus tractatu in illud, *Ego sum vitis: Mirat, inquit, benignitas: non dixit simpliciter, Eris in paradiſo, vel, cum angelis eris; sed mecum eris. Satiaberis eo, quem desideras: Videbis in maiestate, quem confiteris positum in infirmitate. Nec differo, quod promitto, quia hodie mecum eris. Sane magnæ erat gloriæ, ingredi paradisum: sed majoris, ingredi cum Domino, ut annotat Chrysostomus homil. in Parasc.*

5. §. *Paradisi nomine à Christo intelligitur non hortus à Deo in Èden plantatus, sed locus beatarum animarum.*

Hebræis στρέπτω pārdes notat hortum amoenissimum arboribus fructiferis constitutum: ut Eccles. ii. Ab Ebræis accepere Persæ: à Persis Græci, quibus vocatur παράδεισος: ut apud Xenophontem: Cum vero natura sua vox sit generalis, sumi in Scripturis solet de horto, in quo collocati fuere primi parentes. Atque hic etiam sic accipiunt variis è patribus Græcis: item Moses Bar-Cephas, libro de Paradiſo.

difo. Sed plane est verisimile, terrestrem illum paradisum diluvio universali, & fortasse ante etiam, fuisse abolitum. Quare statuendum, loqui Christum de bonis illis, quæ, ut ait Paulus, *oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non adscenderunt*. Atqui, ut argumentatur Chrysostomus in Genesin, terrestrem paradisum vidit Adam oculis, audire aures, cor ejus exceptit: unde colligit, non regnum paradisi, sed regnum cælorum intelligi.

6. §. Ex eo autem, quod Christus latroni promittat paradi-
sum, quæstio exorta est, quomodo hoc conveniat cum eo,
quod Christus Ioh. 111. neget, quemquam ingredi re-
gnum celeste, nisi regeneratus fuerit aqua, & spiritu. Nec
enim fuisse baptizatum, antequam adfigeretur, verisimile
est. Huic rei bifariam occurri video. Sunt qui dicant, pro
baptismo aquæ fuisse baptismum sanguinis, sive martyrii.
Obiisse enim ut martyrem, ipsius Christi collegam. Aliis
vero placet, fuisse baptizatum aqua, & sanguine Christi,
quo cum impetu fluente è Christi latere perfoſſo fuerit ad-
ſpersus.

Vtrumque horum apud B. Augustinum legas, imprimis libro de
animæ origine ad Vincentium Victorem, lib. 111. cap. ix. Quo
potissimum remitto, quia ipse id facit lib. 1. Retractat. cap. xxv, ubi
agit de censura libri LXXXIII. Quæſtionum. Ac priorem modum,
nempe quod ut martyr obierit, etiam probaverat Cyprianus, qui
epift. LXXIII. martyrem appellat. Quasi cruciatus cæperint quidem
à pœna latrociniī, sed in martyrio fuerint consummati: quod &
sensit Eucherius homil. de Latrone. Videlicet, quia milites, crura
ei frangentes, non solum moris causa id fecerint, sed odio Christi,
quem latro confessus esset: ut scribit Benedictus Fernandius in Ge-
nes. cap. xl. Ac subscribit Carthagena lib. xi. de Christo ho-
mil. 111. Similiterque alii complures.

Alterum vero modum probat Ioannes Chrysostomus orat. de
cœco à nativit. item orat. de resurrectione: atque iterum serm. de
regressu ex Asia.

7. §. Sed quod ad prius attinet, est latro mortuus in Domi-
no; at non pro Domino. Neque enim adjudicatus est mor-

ob confessionem revelatae veritatis: sed ob homicidium. Quodque ad posterius, ut fuerit aqua & sanguine Christi adspersus, non is dicendus baptismus, cum Christus dici nequeat baptizasse, qui jam erat mortuus. Imo & mortuus videtur fuisse latro, quia haec adspersio contigit post crurifragium latronis, quod perfoctionem lateris antecessit. Denique neque illud certum est, an aqua & sanguine fuerit perfusus. Sane id esse non potuit, si Christi latus sinistrum fuerit perfosum, quod multi arbitrantur, quia cor ea parte jacere existimatur. Nam sic in sinistrum latronem aqua & sanguis profluxerint, non dextrum. Atque adeo sublimis ille situs latronis vix sinere videtur, ut lancea latus Christi perfodiente, utcumque id dextrum foret, latronis dextri corpus perfunderet, nisi crura vel pedes fortassis. Neque si latro non fuerit baptizatus, eo minus verax fuerit Christus; quia quae de necessitate baptismi dicuntur Ioannis 111, ea proprie sunt capienda de baptismō, qui fit aqua spirituali. Sic enim capere oportet quod de aqua, & spiritu dicit, ut sit schema illud, quod vocatur ἐν Δικαιοΐῳ. Quod vero ad aqua baptismum, non ejus privatio, sed contemptus damnat. Si enim haberi non possit, & paenitentia ac fides adsit, supplet extraordinarie Christus, quod aliter nequit obtineri.

Fuse hæc comprobavimus disputatione de baptismō septima; quæ inscribitur de Necessitate baptismi.

8. §. Venio ad orationem Iesu tertiam: cuius prius occasionem referam. Narrat Euangelista Ioannes, quomodo ad crucem adfliterit, cum Euangelista ille, quem Jesus diligebat, hoc est Ioannes ipse, tum etiam B. Virgo, una cum Maria Magdalene, & Maria Salome, filia Cleopæ, vel potius Clopæ.

Nam Κλωπᾶς hic dictus; Κλεόπας autem, alter discipulorum eun-
tium Emauntein. Hæc uxor fuit Zebedæi, & inde mater duorum
Apo-

Apostolorum, Iacobi majoris, & Ioannis Euangelistæ. Dixeris, addi oportere Mariam Iacobi, & Iose matrem. Sed hæc non est alia, quam B. Virgo, quæ horum quidem mater non erat, attamen mater dicebatur, quia essent Iosephi liberi ex priori uxore: &, mortuo Iosepho, à maximo natu filio, vel potius privigno, quicum vivereret, ab aliis sic Mariis distingui vulgo soleret, priusquam Iesus miraculis innotuisset; imo postea etiam veteri more appellaretur. Qua de re fusius dictum nobis Dissertatione de genere, & fratribus Christi.

9. §. Quantopere doluerit B. Virgo hoc spectaculo, haut facile aliquis exprimere valeat. Atque eam doloris magnitudinem prædixerat Simeon ille justus, his verbis: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

Christus conspecta matre, ac Ioanne, prius quidem matri filius; Mulier, ecce filius tuus: *puta Ioannes, qui posthac filii loco erit.*

Matrem non vocat, sed mulierem, ut alias quoque fecit, quia non terrenum, sed Patris sui negotium ageret in terris.

10. §. Deinde etiam Ioanni ait: Ecce mater tua. Hoc est, quam tibi, velut matrem, deinceps curæ esse cupio. Atque ab hoc tempore eam Ioannes recepit eis rā iδη, h. e. in domum suam.

Exinde videtur longo tempore fuisse silentium, idque non Christi modo, sed etiam præterevantium & adstantium. Cujus causam his fuisse credo tenebras, que horrorem incuterent: ut postea de iis plenius dicam. Christus vero absque dubio interim orabat pro nobis. Iamque tribus quasi horis pependerat in cruce; ac post tot patienter perlata, tot tranquille acta, tempus instare videbat, quo spiritum erat traditurus. Ergo, ne mortuus jam putaretur, sed adhuc vivere constaret, exclamavit ingenti voce; E L I E L I, sive, ut eadem mente est apud Marcum, E L O I, E L O I, L A M A S A B A C H T A N I? Hoc est, Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti?

Quæ verba sunt initium Psalmi xxii. Sed pro Hebræo Azabatani, quod in Psalmo legas, in Christi sermone est Sabachthani. Cujus causa est, quod Iudei à captivitate Babylonica non uterentur amplius mero sermonc Hebræo: sed multis Chaldaicis permixto.

11. §. Porro adlata Iesu verba sic aliqui interpretantur, quasi sint vel cum desperatione luctantis, vel vere desperantes. Qui priorem sententiam sequuntur, aiunt, à desperatione tantum non absorptum: eoque dixisse non meditata, sed vi doloris extorta, at mox correcta: quomodo oculis caligine obductis non pariter omnia videmus. Quibus posterior placet opinio, scribere non verentur, revera desperasse, atque ita fieri oportuisse, quia in se recepisset desperationem nostram. Posteriorem sententiam probare neutrum possumus.

Etsi ea fuerit opinio Ioannis Feri, docti, & facundi, pene ante hoc seculum, Ecclesiastæ Moguntini. Sed illum hac propter jure reprehendit Lucas Brugensis.

12. §. Absit enim, ut statuamus, servatorem nostrum non confidisse Deo. Horret id animus credere. Quippe si fiducia in Patrem carebat, cur configuit ad Deum? ut ostendunt illa verba, Deus mihi, Deus mihi. Non igitur putandum, verba ea esse diffidentis, & deliberato propterea consilio exposcentis à Deo rationem, cur sibi tanta expositio ignorminie nullum vel corporis auxilium, vel animi solarium praestaret. Sed est ea querimonia ab humana proveniens infirmitate.

Nam & in Christo, ut superius dictum, distinguere oportet inter hæc duo: quorum prius est appetitus sensitivus sive desiderium naturæ: alterum autem voluntas perfecta, sive appetitus rationalis, quatenus est subditus rationi, non ut est natura quædam. Prius non ulterius se extendit, quam ut inter naturæ commoda, & incommoda, distinguit, priora appetat, posteriora aversetur. At appetitus rationalis aliquid etiam appetit naturæ desiderio repugnans. Nam non sinit diutius appetitum sensitivum, sive voluntatem, ut est natura

tura quædam , appetere , quod est suum , quam ipsa velit. Et ipsa , dum hoc permittit , consideratis omnibus circumstantiis , statuit quod est præferendum , appetendo etiam naturæ contraria ob finem meliorem. Ratio igitur norat in Christo , cur desereretur. Sed nesciebat facultas inferior , cuius captum ea res transcendent. Atque ab hac proficisciebatur illa interrogatio.

13. §. *Queras , quid attinuerit , non sileri , sed promi hanc interrogationem. Non sui hec causa protulit , sed eorum , qui credituri adstant , ut viderent magnitudinem passionis.*

Sane Martyres magno cum gaudio saepissime ad passionem procedunt , idque quia interius eos Deus soletur , ut mala ferant exteriora. Sed , Christo paciente , non λόγος in rationem , non ratio inferiorem in facultatem insinuabat vigorem illum , unde gaudium , ac solatium proveniret. Quæ gratia subductio majorem longe passionem Christi fuisse arguit. Atque hoc est , quod derelictionem appellat Christus. Nempe quod , cum idem Deus , & homo , divina tamen natura consolationis suæ roris non deflueret in humanam : neque se in carnem diffunderet : sed sineret , ut ingentem ea horrorem persentiret.

14. §. *Quanto hæc sunt verisimilia , quam , ut tantus Christi dolor inde potissimum fuerit , quod is , ob temperiem optimam , sensu fuerit acutiori , quam hominum alii ?*

De quo Bonaventura in **III. dist. XVI. art. I.** quæ. **I I.** item Suarez **T. III. part. III. dist. XXXIII. s. II.** Audiamus etiam Theophilum Reinaudum in Metamorphosi Latronis cap. **III ***: Consideranda est ^{* pag. 67.} Christi Domini exquisitissima temperies , tactum profundens acerrimum. Sicut enim stimuli impactio (quæ asino , propter asinam , hoc est , ignobilissimam temperiem , non est adeo dura) homini , ob temperiem perfectiorem , accideret longe asperior: ita inter ipsos homines , qui temperatores sunt , acrius percelluntur , admoto eodem doloris objecto. Addunt , in Christo non illa modo attendere oportere , quæ dolorem parerent: sed etiam quæ ignominiam: ut sputa , irrisiōnem: & similia , quibus in latronibus una crucifixis , parcitum fuit , ut observat Isidorus Pelusiota : lib. **III. epist. CXXX.**

Verum , ut hoc etiam nomine graviorem fuisse perpeſſionem Christi , quam illam latronum , lubentes agnoscimus : ita multo altius hisce ascendendum , si aſſequi ſtudeamus tanti doloris in Christo cauſas .

15. §. Porro verba ſuperius adlata Hebraice expreſſerunt Euangeliſtæ , ut intelligeretur , quod ſubjicitur , ex circumſtantibus quosdam putatſe invocari ab eo Eliam .

Valde autem infirmum eft Bellarmini argumentum , quando ex eo quod Elias credebatur advocate , colligit , Eliam à Iudæis ſolitum invocari . Queſtimadmodum nec ullius ponderis eft , quando idem invocationem sanctorum inter Iudæos obtinuiffe evincere labortat ex divite apud inferos rogante Abraham , ut mittere ad ſe Lazarum velit . Ex eo autem , quod verba Christi ſint initium Psal . xx I , ut diximus , colligere eft , alia etiam ejusdem Psalmi ad Christum typice pertinere . Vt ſunt , Omnes videntes me deriferunt me . Item : Foderunt manus meas . Adhæc : Diviferunt ſibi r eſtimenta mea .

16. §. Hinc Iefus dixit , Sitio : qui quinctus eft ſermo . Nempe noctem duxerat i nſomnem ; pluri maque erat perpeſſus , que ſitim accenderent . Ergo aliquis eorum , qui Elias credebant invocari , accurrit cum ſpongia , que acetum imbibera t , eaque calamo imposta inde ei bibendum dedit .

Varic antea hunc locum enarravimus : ſed hanc cumprimis approbamus ſententiam . Quæritur , quis hoc humanitatis officium præſtiterit , milesne fuerit , an adſtantium aliis . Ex Matthæo xxvii . 47 . 48 . clare liquet , factum eſſe à quodam adſtantium , qui , cum Eli Christus vocaſſet , Eliam advocate putarit , ut opem ferret . Acetum vero , in quo ſpongiam tingeret , ad manum erat . Nam , ut ait Ioannes xix . 29 . vas erat poſitum aceto plenum . Quod cenfeo factum eſſe ex more , quo acetum solebat dari cruciariis ad refocillandum eos languentes .

17. §. Poſtquam acetum ē ſpongia bibiſſet , ait Christus ,
C O N S V M M A T V M E S T .

Id eft , quicquid à prophetis de me prædictum , quicquid etiam ad redimendum genus humanum præſtari opus fuīt , id omne jam implevi . Atque hic fuit ſermo ſextus .

18. §. Ex-

18. §. Exinde, viventibus adhuc latronibus duobus, cele-
rius ipse, quam vulgo crucifixi soleant, posuit animam
suam, eandem iterum sumpturus. Emisit vero spiritum
suum clamans voce magna, vel potius, ubi voce magna
clamasset, (nam Graece est Κέχεσας,) Pater in manus tuas
commendo spiritum meum.

Hoc est, velut depositum quoddam committo fidei tuæ, postea
resumpturus. Verbis usus est Christus è Psalm. xxx : ubi tamen LXX
habent, παρεγνήσομαι, etiam consentiente contextu Hebreo. Id
fuerit, deponam : hac mente, iam jam, velut depositum caruin, com-
mendabo tibi.

19. §. Post illa inclinato capite, animam efflavit : quomodo
mori instar miraculi est. Nam instante morte maxime ho-
mines sunt infirmi. Christus vero, ut diximus, magno cum
clamore excessit. Ut hinc liqueat, sponte animam deposuiss-
et. Quod aliter etiam comprobatur. Nam sic crucifixi s̄epe
biduum, triduum, vivebant.

Immerito & heic ambigit Lipsius. Nam Hanoviæ Iudæus de-
orsum crucifixus supervixit dies quinque. Ac plurimum fame sola
solent mori crucifixi. Quibus vero eos lenta adeo morte defungi dis-
picebat, crura iussere frangi. Atque hunc morem amplexi sunt
Iudæi, eo quod ante Solis occasum sepeliri ex lege Mosaica oport-
eret. Ex his videmas, Christum, vel mire suisle infirmum, quod
esse potuit in corpore tot suppliciis afflito, ut ante dictum : vel
omnino naturale mortis tempus anticipasse. Ac hoc quibus placet,
convenienter dicunt, occisum quidem à Iudæis, quia crucifixionem
mors naturaliter erat secutura : & tamen animam suam posuisse cuin
vellet, &c, cum vellet, adsumisse ; quod ad sacerdotale munus per-
tinebat. Sin ex mera infirmitate mors naturaliter obvenit, sisten-
dum in eo, quod adsummis etiam legionibus angelorum tueri se
poterat, ne caperetur, nedum adfigeretur cruci.

20. §. Quaritur, cur Christum mori oportuerit. Gemi-
nam afferunt rationem. Una est, quia aliter non potuerit
satisfieri iustitia Dei. Quod verum est, si non absolute,

saltem ex hypothesi decreti divini. Nec enim alium Scripturæ nobis salutis modum aperiunt, quam Christi satisfactionem pro peccatis nostris.

Sane & Augustini, & veterum alii permulti, imo & juniorum magni nominis, (quod in opusculo quodam jam ante annos xxv, ut amici norunt, exarato, luculente ostendimus) ea fuit opinio, in infinitis divinæ sapientiæ thesauris non defuisse modum alium nos pœnis liberandi: sed hunc pro libertate sua elegisse. Etiam arbitrantur, uti punire omnes potuit illa misericordia, ita potuisse omnibus ignorare illa justitia. Nempe distinguunt inter judicem, & principem: judex est alligatus formulæ; non princeps, qui iuramento potest dispensare de Lege. Atqui, inquit, si justitia est punire sontes, in justitia sit non punire sontes. Verum hoc argumentum istiusmodi est, ac si dicas: Si liberalitatis Regia sit, dare mihi talentum: illiberalis ac folidus sit, nisi dederit. Itideum enim se res habet in puniendo. Cujus causa est, quia à natura peccati sit, ut possit puniri. Sed ut quis actu puniatur, est à libera punientis voluntate. Sane Deus etsi bonus est, non tamen necessario creavit mundum: quia inter bonitatem, & actum creationis, media intercedit voluntas. Ac similiter in merito, & inflictione pœnae, inter justitiam Dei, & executionem justitiae punitivæ, est actus liber; nempe voluntio puniendi.

21. §. Alteram rationem, cur moriendum facerit Filio Dei, eam adferunt, quia non aliter potuerit satisfieri divinæ veritati: quod ex predictionibus prophetarum, & typis legalibus, adstruunt. Sed ex his non aliud evincere est, quam Deum ita decreuisse: at non item, hanc aliter decernere potuisse. Addunt & comminationes divinas. Ut quod Deus dixerit Adamo: Quocunque die comederas de arbore hac, morte morieris. Vnde sic ratiocinantur, Deum non fuisse veracem futurum, nisi vel ipse, vel alius, satisfecisset pro nobis. Sed salvo aliorum iudicio, sic censeo, comminationes divinas, nisi adsit iuramentum, significare quidem punibilitatem, sive jus puniendi, quod inde Dominus accipit; sed

sed non inde consequitur, Deum constringi ad exequendas pœnas, quas interminatur: præsertim, cum tacitajæ prius subsit conditio.

Ita Deus et si non perderet Niniven, verax esse perstitit, quia tacita esset conditio hæc, nisi se corrigerent. Sed de isto nulli litem movebimus, contenti eo, ne ea moveatur nobis, quibus sufficit quid Deus voluerit, seu aliud potuerit, seu, ut nunc contendunt aliqui, non potuerit.

22. §. Questio est Philologica, an Christi mors per magni Panos obitum debeat intelligi.

Apud Plutarchum libro de defectu oraculorum legimus, ut Ämylianus rhetor variis narrarit de ré miranda, cuius inter alios & pater suus Epithersis, grammatices professor, locuples testis suis-
set. Historia istæc erat hujusmodi. Thamo, gubernatore Ägyptio, in Italiam tendente navi vectorum, & merciū plena, cum ad Echinadas insulas esset deventum, cœpit ventus plane remitti, atque ita nullo quasi vento ad Paxas fluitabant. Heic posl. cœnam, dum alii potant, alii vigilant, grandis est vox audita, quæ semel, iterum, tertio Thamum inclinaret. Tertio deum paruit: ac dictum ei fuit, ubi ad Palodes (ad paludes vertunt; atque ita Baronius quoque; cum Pa-
lodes, sive Pelodes, portus sit ad cuius ingressum est Buthrotum, Epri oppidum) ubi, inquam, ad portum Palodes ventum sit, in terram inclinat, magnum Pana esse mortuum. Disputatum postea, quid facto opus esset. Placuit inandatum præteriri, si ventus, cum eo esset devenitum, faveret. Sin intermisisset, morem gerendum. Ventum eo:ventus nullus: inclamat Thamus, quod iustus erat. Mox gemitus, & suspiria multo plurima audiuntur, & cum admiratione juncta: quasi dolentium ob magni Panos mortem, & admirantium, mori potuisse. Vbi Romam deventum, nuncius is, à tot vectoribus longe mox, lateque, diffusus fuit. Res ad aures pervenit Cæsaris Ti-
berii. Advocatis Thamum. Reim hic omnem exponit. Tiberius exquirit ex hominibus eruditis. Quid ex gentilibus nisi fabulas au-
diret? Aliunt illi, videri sibi illum ex Mercurio, & Penelope prognatum. Quid hic Christiani?

23. §. Sane admodum verisimile est, per magnum Pana ac, cipiendum esse Christum, coque Christi mortem nuntiatam.

Tempus convenit, sive spectemus, quod res ad Tiberium delata: sive quod contigerat id tempore Epithersis, patris Aemyliani, unde id accepit Plutarchus, Trajani Cesaris praeceptor. Et quis potius Pan magnus dicatur, quam Christus, auctor nature sive universitatis, quam nomine Panos intellexere gentiles?

Etiā hoc videre est ex illis quæ de Pane in Bucolica scripsit Iūnius Philargyrus *. Verba ejus ponam: *Pan, id est, Natura omnium rerum, inventor est fistula. Pan pastoralis Deus, per cornu Solem significat, & Lunam: per fistulam, septem planetas stellas: per pellem maculosam, colifidera: per camam, ventos: per ungulas caprinas, soliditatem terræ: villosum est, quia vestitus gaudet terra. Hic autem natus est Mercurio in arietem converso, & Penelope, uxore Ulyssis. Plura de hoc dicimus in opere de Theologia Gentili, & Phisiologia Christiana.*

C A P. X.

*Quæ Deus, Christo in cruce pendente, fecerit
ad glorificandum filium.*

1. §. **N**unc videamus de iis, quæ ad glorificandum Iesum facta sunt, dum in cruce viveret. Hujusmodi est illud Marci xv. 33: Γενομένης δὲ ὥρας ἑκτῆς, σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλῃ τῷ γῆν ἐως ὥρας ἑκατῆς. Cum fuisse hora sexta, tenebrae factæ sunt super universam terram, usque ad horum nonam. Vbi videmus, duas exprimi ωραῖσι τοις. temporis unam, loci alteram. De priori similiter Matthaeus xxvii. 45. Lūcas vero xxxii. 44. Ήν δὲ ὥρα ὥρας ἑκτῆς, καὶ σκότος ἐγένετο. Erat autem quasi hora sexta, & tenebrae factæ sunt.

Sententia est, tenebras fuisse à incredie usque ad nonam, sive nostram tertiam pomeridianam. Fuere autem tenebrae istæ non spissæ, quales Ægyptiacæ, aut noctis: sed cuiusmodi esse solent tempore eclipsios Solaris.

2. §. *De tempore satis. Altera ωραῖσι τοις de loco erat,*
qua,

que, ut Marcus, & Lucas referunt, terra erat universa.

Vbi non solum Iudæam, sed totum intelligi orbem oportet, si standum Dionysio, quem vocant Areopagitam. Is enim tenebras hasce in Græcia, sibi, & philosophorum aliis, visas ait in epistola ad Polycarpum contra Apollophanem, & epistola ad Apollophanem jam conversum: ut quidem Iansenius ait Concordiæ Evangelicæ cap. cxlii. Mallem pro Græcia Ægyptum dixisset. Nam continuo subjungit, eclipsin eam sibi, & Apollophani, visam esse Heliopoli; quæ sane inclyta Ægypti civitas: ubi inumen colebatur bovis figura, ut & Memphi: quemadmodum abunde dictum nobis lib. i. de Gentili Theologia Christiana, cap. xxix. Putamus autem, per universam terram solam signari Iudæam. Quod & Erasmus arbitratur in cap. xxvii Matth. Scio, eo nomine vapulare à Melchiorre Cano lib. xi. cap. ii: eumque sequitur Rosweidus Leg. Talionis tab. vii*. Sed decepit eos, quod non viderent, illa de Dionysio, & Apollophane, esse commentitia. Omnino enim epistolæ illæ sunt Ἰανσενιουσι.

3. §. *Quæritur, an Eclipsis ea fuerit naturalis. Non fuisse naturalem, satis indicat, quod contigerit tempore Paschalis, sive Luna xiv, quando plenilunium est, ut tum Luna fuerit ex adverso Solis, non inter Solem, & nos, interjecta: quod non nisi in novilunio fit, ut neque alia Solaris esse eclipsis possit.*

Tertullianus, Origenes, ac veterum alii, testantur, Eclipsios hujus meminisse etiam Phlegontem Trallianum, Hadriani Cæsaris libertum. Phlegontis verba sic Latine reddidit Hieronymus in Canonе Eusebiano: *Quarto autem anno ccii Olympiadis, magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo visæ sint, terraque motus in Bithynia Nicæa urbis multas ædes subverteret.* Phlego tamen pro naturali habuit eclipsi; quod valde adversatur Tertulliano. Dixeris, videri eandem; quia Euangelistæ dicant, fuisse eo tempore terræ motum; ac Phlego itidem dicat, tempore Eclipsios ejus, de qua agit, terræ motum fuisse in Bithynia, maximeque Nicæa. Scio: sed scrupulum injicit quod sileat de terræmotu in Palæstina. At,

inquisas, potuit hoc ignorare: nec levem videri nobis auctoritatem Patrum debere, qui eandem faciunt eclipsim, illam Euangelistis, ac Phlegonti memoratam. Movit Patres, quod eundem in annum utraque incideret. Sed falsos esse, arguit, quod si tam miraculosa Eclipsi variis conspecta terris foret, non solus ejus Phlegon meminisset. Quid enim magis in natura stupendum, quam Solem deficere in plenilunio? Ut iam mittam, quod ante dicebam, Phlegonti sermonem esse de Eclipsi naturali, quæ solum in novilunio.

4. §. Porro et si in plenilunio Luna sit ex adverso Solis: non propterea putandum, Lunam è loco suo accurrisse ad Solem, sequè inter Solem, & Terram, constituisse, atque ita effectis- se eclipsin proprie dictam. Hac si forent, à gentilibus utique essent observata, & complurium consignata monumentis. Quare verisimilius est, obscurationem eam contigisse ex retractione radiorum Solarium.

Possit & caussa esse à maculis Solaribus, qui in disco Solis medio apparent visentibus per telescopium, sive tubum Batavum. Nam minus longe illuxerit Sol, maculosiore Solis parte Iudæa obversa. Potuere & corpora quædam opaciora obduci, sic ut lux Solaris fieret Iudæis minor. Hujusmodi aliquid contigisse, verisimilius est, quam ut Luna ex adverso Solis procurrerit in locum Soli subjectum: ac deinde iterum in locum priorem se receperit.

5. §. Atque hæc de obscurationis Solaris caussa effidente. De- nique etiam finem ejus videamus. Voluit Deus ea ostendere, quantopere aversaretur Iudaorum scelus.

Nam Sole radios avertente, idque meridianò tempore, quo imprimis lucet: significabatur, cum nolle intueri tam atrox facinus. Etiam quia lux lætitiam parit, tenetrix tristitiam: naturam ipsam quasi tristari hac obscuratione Solaris luninis indicabatur. Et ut spissis Ægypti tenebris Ægyptiorum cæcitas, ita hac obscuratione cæcitas Iudaorum notabatur. Impletumque ita illud Amos VIII: Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.

C A P . XI .

De iis agitur, quæ contigere, dum Christus in cruce mortuus pependit: nempe ab eo tempore, quo expiravit, usque illud donec fuit depositus de cruce. Inque eo tempore quatuor explanantur. Primum de quatuor prodigiis in Scriptura expositis: tum duobus aliis, quæ ab aliis videoas superaddi. Deinde de consecuta hominum indignatione ob occisum Christum. Postea de postulato Iudæorum, ut Christo frangerentur crura, ac postea deponeretur de cruce. Denique de militie transfigente Christi latus; unde aqua, & sanguis exierunt.

I. §. **Q**uæ diximus, evenere antequam Christus expirasset. Nunc videndum de illis, quæ, eo defuncto, necdum tamen de cruce deposito, contigerunt. Atque hic, quia proxime dixi de prodigiis, quæ acciderunt Christo vivente, prius subiectam nunc de prodigiis quatuor aliis quæ mortuo acciderunt. Primum est de velo templi scisso: puta eo, quod adytum à sancto separaret.

Tres enim fuere templi partes: atrium, in quo populus; sanctum in quo sacerdotes; sanctum sanctorum, quod solus ingredi poterat summius sacerdos. Περιπέτασμα illud, quod ruptum fuit, distinguebat sanctum à sancto sanctorum. Καταπέτασμα τε ἀδύτος * appellatur à * velum Flavio Iosepho I. viii. Antiquit. c. ii. De eo sic Paulinus Carm. xv: adyi.
Tunc & discuso nudata altaria velo
Amisere sacrifigionem adyi.

Hoc exemplo etiam Christianis ante sacrarium, atque altare, velum fuisse, indicat illud B. Chrysostomi in epist. ad Ephes. homil. iii: Οὐαντὶς τὰ ἀμφίβυρα, πότε νόμισον Διγένειαν τὸ σεπονὸν ἀνωθεν καὶ καλέναι τὸν ἀγγέλον. Vbi videris trahi vela ostii: existima calum superne diduci, & angelos descendere. Vbi εἰρηφήρον vocat velum, seu cortinam ostii: quæ Anastasio bibliothecario velothyra. Diximus de ea in Glossario Latinobarbaro, ac pluribus Rosweidus Notis in

Paulini carm. xvi 11. Porro istoc adtyi velum demum à morte Christi fuisse ruptum , ex eo cognoscimus , quod Matthæus , cum dixisset, Christum emisisse spiritum , subjungat: *Et ecce velum templi scissum est.* Ex quo, id post Christi obitum contigisse , etiam colligit B. Augustinus. Atque hoc miraculum tres describunt Euangelistæ , cum tria alia solus describat Matthæus.

2. §. *Ejus prodigii duplex fuit significatio : quarum una Iudeos , altera tangit Christum. Quod ad priorem attinet : quemadmodum obscuratione Solis ostendit Deus , quanto- pere hoc Iudeorum facinus aversaretur ; quanta etiam eorum cæcitas foret : ut antea pluribus dicebamus : ita nunc veli ruptura monstrabat , sicut Iudei ruperant vestem , di- centes , Christum blasphemasse , sic Deum rumpere velum templi : partim nimirum ut iram suam declararet ob Iudeorum scelus ; partim ut indicaret , se propterea etiam detestari ipsum divini cultus locum.*

Sane Iudei , qui in luctu , & indignatione , rumpere vestem so- lent , ratione erant prædicti. At nunc scinditur creatura ἀλογος , ad testandam facinoris indignitatem. Atque hanc rationem etiam adducit Theophylactus.

3. §. *Altera ratio , quam Christum spectare dicebamus , ea est , quod sic ostensum recludi cælum : adeo ut nunc cuilibet illud pateat. Præterea significatum fuit , finem imponi typis lega- libus , scissō miraculose velo , quod inter typos eos illustrem obtinebat locum.*

Similitudo in eo consilfit , quod ut rupto velo patuit Sanctum Sanctorum antea populo invisum : ita morte Christi nunc omnia manifestentur legalia , quæ antea erant obscura , & quasi velo quodam cooperta. Cæterum Origenes duo statuit vela templi : exte- rius , in templi egressu ; interius , quod erat coram propitiatorio. Atque inde mystice colligit , hic prius velum esse retectum : in vi- ta altera alterum retegendum. Sed haec licet belle dicantur , tamen nihil solidi habent quantumtantur. Omnino enim unum erat templi velum. Et aliter si fuisset , non dicerent Euangelistæ templi velum : sed , utrum illud templi velum foret , addidissent. Similiter Tertul- lianus

lianus Apologetici cap. xvi: *Solis sacerdotibus (sacrarium) adire licetum: etiam conspectus ceterorum velo oppenso interdicebatur.*

4. §. Alterum erat prodigium, terræ motus. Qui & ipse ostendit, rerum naturam Christo quasi συμπάχειν *. *condolere.

Sane terræmotu, iram Dei significari, etiam cognoscere licet è Psal. xvii: *Commota est, & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.*

5. §. Tertium prodigium erat ruptura petrarum; qua itidem ostenditur, naturam Christo condoluisse.

Vt petræ non tam fuerint duræ, quam corda Iudæorum, quibus nihil obstinatius.

6. §. Quartum fuit prodigium, quod monumenta etiam sint aperta, multaque inde resurrexerint corpora fidelium, qui obdormivissent. Non tamen utrumque in morte Domini contigisse existimandum. Quippe Domino quidem moriente, vel mox à morte, aperta sunt sepulchra: sed exiere inde, non nisi Christo resurgente.

Vnde Matth. xxvii. 53: *Exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctum civitatem. Vbi Hierosolymam, licet in ea tam atrox scelus patratum esset adversus Filium Dei, sanctam nihilominus civitatem vocat, ob cultum divinum istuc institutum. Videntur autem, clare dici, exiisse deinceps sepulcris postquam Christus resurrexerat. Græce est, μη τῶς ἤρεσον αὐτοῖς. Neque enim par erat, ut ante Christum resurerent: quem Apostolus † vocat primitias dormientium, & primogenitum ex mortuis. Vtrum vero postea morituri iterum, an ad immortalitatem resurrexerint, dicam postea, cum loquar de resurrectione Christi, & ejus efficacia.* † Cor. 15. Coloss. 1.

7. §. Atque hæc de quatuor prodigiis in Scriptura memoratis. Addunt quedam aliqui, de quibus tacet Scriptura. Nam illo de velo rupta addit ex Nazareorum Euangelio B. Hieronymus de fracto templi superliminari. Imo idem Hieronymus à Flavio Iosepho proditum ait, angelos, templi Hierosolymitani praesides, cum Christus crucifigere-

- tur , velumque scinderetur , dixisse , Transmigremus
hinc.

Hieronymus ad Hedybiam , quæst. viii : *Velum quoque templi scis-
sum est in duas partes , ut completeretur illud , quod refert Iosephus , præsides
Templi dixisse virtutes , TRANSEAMVS EX HIS SEDIBVS.*

8. §. Sed eo minor hac parte nobis est beati viri auctoritas ,
quod ipse alibi hac referat non ad Paschæ , sed ad Pentecos-
tes festum subsequens.

Sic enim scribit in Chronico Eusebiano ad Olymp. ccii : ubi
cum de Passionis Dominicæ anno locutus foret , subjungit : Iosephus
etiam vernaculus Iudeorum scriptor , circa hæc tempora die Pentecostes Sacer-
dotes primum commotiones locorum , & quosdam sonitus sensisse , testa-
tur : deinde , ex adyto templi repentinam subito erupisse vocem , dicentium ,
TRANSEAMVS EX HIS SEDIBVS.

9. §. Imo longius etiam recedens alibi idem refert ad tem-
pli excidium Hierosolymitanum.

Puta Commentario xviii in Iesaiam , cap. LXVI : ubi de excidio
Vrbis loquens , ait : *Quando præsides templi consona angeli voce dixerunt ,
TRANSEAMVS EX HIS SEDIBVS.*

10. §. Nec propterea insultandum B. Hieronymo , quasi
parum attenderit , quid scriberet , dum sibi ipsi contradic-
cens , nunc paschate , sive tempore Passionis Dominicæ ,
aliquid contigisse vult , nunc pentecoste : nunc anno , quo
excisa est Hierosolyma . Nam cum refert hanc historiam
ad passionem Dominicam , Eusebium sequitur , qui eam
tribuit opinionem Iosepho . Quando autem ait , paullo an-
te excidium evenisse , ipsum sequitur Iosephum , quem
postea consuluit .

Eusebium id paschali tempori tribuisse , liquet non solum ex
Chronico Hieronymiano ; sed etiam ex lib. viii . Demonstrationis

* Pag. 250. Euangelicæ * , ubi , cum locutus esset de nocte ea , qua Christus dis-
cipulis mystica distribuit symbola , addit exinde , cœlestie legem Mo-
saicam , ac hoc per verba illa , μεταξε αἰνωμάτῳ ἐγρέφεν , fuisse significa-
tum.

rum. Sed Iosephum velle hanc vocem in templo auditam esse tempore Vrbis obsecræ, satis videre est ex iis, quæ refert lib. vi. de bello Iudaico cap. xxxi *; ubi sic scribit: Κατὰ δὲ τὸν ἑορτὴν, ἡ πεντη-
κοστὴ καλεῖται, νύκτων οἱ ιερεῖς προελθόντες εἰς τὸ ἔνδον ιερὸν, ὥσπερ αὐτοὶ τοῖς ἐθνῶι λαοῖς, προτὸν μὴν κινήσεως ἀντιλαβέσθεντος φωνῶν, τοὺς ιπτάμενους, μετὰ δὲ τῶν ταῦτα ψῆφων ἀθροίσας, ΜΕΤΑΒΑΙΝΩΜΕΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ. Festo autem die, quam Pentecosten vocant, nocte sacerdotes intimum templum more suo ad divinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum, quendamque strepitum, senserunt; postea vero subitam vocem audire, qua diceret, MIGREMVS HINC. Pro quibus sic gentili more Tacitus lib. iv. Histor. Taciti: Expasse repellente delubrificores, & audita major humana vox, Excedere deos: simul ingens motus excedendum.

* Pag. 881.
edit. Froben.
Sed in tra-
latione La-
tina, cum
Rufini, tum
illa Gelenii,
lib. 7. cap. 12.

11. §. Quanta fuerit vis & efficacia prodigiorum; quæ vere, partim ante mortem Christi accidisse diximus, qualis obscuratio Solis; partim postea evenerunt, ut quatuor illa è Scripturis memorata: cognoscere licet, ex centurione gentili, qui, istis conspectis, dixit: Vere hic homo justus erat; ut ait Lucas. imo amplius, ut est apud Marcum: Vere hic homo filius Dei erat.

Vbi, in confessione illa hominis gentilis, præludium habemus vocationis gentium.

12. §. Nec ipse solum his motus fuit, sed & milites, qui cum eo erant; ut Matthæus indicat. Imo & vim suam exseruere in Iudeis; qui, iis conspectis, pectora sua obsecratus patratum ferentes, domum cum indignatione, ac pariter stupore, reversi sunt.

Caput, pectus, femur præ dolore & indignatione percuti solere, ostendimus Oratoriarum Institut. lib. vi. cap. xi. §. iv.

13. §. Praeterea in illis, quæ Christo mortuo, attamen in cruce adhuc pendente, contigerunt, illud etiam est, quod Iudei accesserint Pilatum, rogantes eum, ut crura frangerentur adfixis cruci; ac deinde tollerentur ad sepulturam.

Vbi duo videmus Iudeorum postulata: unum erat crurifragium: alterum

alterum vero, corporum de cruce depositio ad sepulturam. De cruxifragio inferius dicam. In depositione videndum, quid postulatum sit ex more iudaico, quid item Romano. More Romano, & aliarum gentium, damnatorum corpora relinquebantur insepulta. Ac ne quis ex propinquis vel amicis corpora detraheret de cruce, custodes apponebantur. Hinc Petronius, *Proxima ergo nocte, cum miles qui crucis asservabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret, non asset ibi lumen.* Natalitiam Imperatoris, ut aliquis ad damnatos etiam ex publico gaudio fructus rediret, solere ad sepulturam deponi, indicat Philo Iudeus in Flaccum. Alias non temere id siebat: nunquam saltem nisi venia à Præside vel magistratibus obtenta. *Quod & Vlpianus docet L. corpora D. de cadaveribus punitorum.*

Ex his liquet, cur Iudei accesserint Pilatum, cum vellent deponi corpora de cruce. Quemadmodum & postea Iosephus Arimatheensis, si vellet Christi corpus tradere sepulturæ, necesse habuit illud petere à Pilato. Sed non sufficit scire, necessario iis fuisse compellandum Pilatum, si deponi vellent. Scito etiam opus, cur vellent deponi. Cujus rei ratio fuit à lege Mosaica: non quidein, quod Iudei isti usque adeo forent observantes Legis: sed ne viderentur ejus non observantes. Revera enim voluerunt non esse pii, sed videiri: sicut arguit, quod iidem parascues die noluere ingredi prætorium Pilati: nec tamen eo tempore verebantur (quod multo magis Legi repugnabat) Christum innocentem addicere morti acerbissimæ. Lex vero, quam nunc prætendunt, legitur Iteratae Legis cap. xxii. 22: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno; sed in eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo, qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam.* Dixeris, hanc legem nihil pertinere ad Christum plane ἀναμάρτητον*. Subscriberem, nisi hic Christum spectare conveniret non κατ' αἰδίθειαν, sed κατ' δέκτησιν Iudeorum: qui, ut facinorosum, cruci addixerant. Itaque & Paullus Gal. 111, Christo applicat illud, *Maledictus qui pendet in ligno.*

* peccati exortem.

Quodsi ante vesperam semper corpora mandari terræ opus erat: quanto magis id fieri necesse fuit instantे Sabbato magno? Eo quoque niotos fuisse Iudeos, docent nos verba B. Ioannis xix. 31: *Iudei ergo, quoniam parascene erat, ut non remanerent corpora sabbato,* (erat enim magnus ille dies sabbati) *rogaverunt Pilatum, ut frangerentur corum crura, & tollerentur.* Cur vellent Christum deponi de cruce,

diximus. Addamus nunc etiam causam Legis illius ceremonialis. Nempe relictis in cruce cadaveribus damnatorum terra fuisse poluta: ut est deuteronomii loco ante indicato. Apud LXX est: Καὶ σὺ μαρτυρεῖ τῷ γένος, τῷ κύρει τῷ Ἰησοῦ διδωσί σοι ἐν κλήρῳ. Et non inquinabis terram, quam Dominus Deus tuus tibi dat in sortem. Quæ Philo libro de specialibus legibus, ubi contra homicidas disputat, sic interpretatur: Ήν ἀναγνώσιον εἰς τὸν νεκρῶν χῶρον ἡστορεῖτε καὶ καταχωστε, ὅπως μὴ τὰ τάφηρα γῆς μακίνωστε. Necesse eos fuit in communem mortuorum locum deferri, terraquerecondi, ne ea quæ super terram essent inquinarentur. Vbi videimus, ut per τὸν γένος intellexerit τὰ τάφηρα γῆς. hoc est, homines ipsos atque aëra etiam, cuius serenitas fœdo maledicti illius spectaculo velut nube obducitur, turbaturque. Nec est, quod dicas, si suspensi polluant terram, magis ab illis pollutum iri patrium sepulcrum. Tales enim non inferebantur communibus sepulcris, sed seorsim à ceteris. Quod legas in compendio Thalmudico dicto Alphesi, & apud Rabbinos Iacob Iurim, ac Mosem Maimonidem.

I 4. §. *Et hæc de postulato Iudeorum. Sequitur videamus de facto militum. Hi utriusque latronis, quia superstites forent, crura fregerunt: in Christo, quia jam mortuus esset, non item: sed miles ei lancea latus lacinavit, unde exitit sanguis, & aqua.*

Vt tria hic veniant in considerationem; quod crurifragium omnissum, latus apertum, & sanguis cum aqua latere exivit. Quæ pluribus explicabimus.

Crura crucifixis confringi solent inalleo. Pro incide erat stipes arrectarius. Fiebat hoc, ut celerius morerentur. Itaque duobus latronibus crura fracta: Christo non item, qui atrociter flagellatus, spinea corona graviter punctus, & omnibus contumeliis vexatus, infirmiori videtur constitutione fuisse quam latrones. Saltem animam exhalarat ante latrones. Etsi autem nihil opus erat mortui latus perfodi, miles tamen lanceam per latus transfixit. Vulgatus interpres videtur legisse apud Ioannem λύσιζε, quia vertit apernit, quasi sit ab αὐτοῖς. Sed in omnibus codd. hodie est λύγε, h. e. pupigit, vulneravit, nempe à νύθω. Estque hoc quintum Christi vulnus. Nam quatuor priora fuere manuum pedumque. Remansisse autem hæc vulnera post resurrectionem, liquebit ex Christi

sermone ad Thomam, qui est Ioan. xx. Volunt, quinque hæc vulnera esse adumbrata quinque lapidibus, quibus Goliathum David devicit. Sane David Christi, Goliathus diaboli typus fuit. Sed quinque lapidibus, quinque Christi vulnera figurari, asseverare certo non ausim: licet conjectura non absurdâ.

* Lib. de
Crucis pag.
338. &
539.

Instrumentum, quo Christi latus perfosum, λόγχη vocat Ioannes. Nonnus id factum ait μάχαιρα. Atqui credibile non est, eum, qui hastam in manu haberet, voluisse ea posita educere gladium ad latus aperiendum. Hæc clarissimus Salmasius * eo pacto acute conciliabat. Censet, μάχαιρα à poëta sumi per κατάληψην pro cuspide sive ferro lanceæ. Nempe simili licentia ac pro eo Gratius cultrum dixit in Cynegetico:

Aut contra ut tenero destrictas cortice virgas

Prægravat ingenti pernix Lucania cultro.

In Euangelio lingua Persica edito à Xaverio, Societatis Iesu Theologo, legas, militem eum, qui lancea Christi latus aperuit, equitem fuisse. Atque eadem fuit sententia iis, qui Scripturam Bohemica reddiderunt lingua. Nempe hoc inde est, quod crediderunt, tam sublimen fuisse crucem, ut equite opus eslet ad latus Christi lancea contingendum. Num etiam dicent, fuisse opus equite, ut calamo ei spongia circumvoluta daretur bibere? Abunde hoc refellitur eo, quod moris Romani non erat, tam sublimes erigere cruces: sed tales, ut ima pars cruciarii non nisi tribus quatuorve pedibus ab humo abesset. Quod satis antea commonstravimus. Adde quod non ab equite, sed pedite, custodiri crucifixi soleant: &, quod palmarium est, Ioannes eum vocet non πτωχά, sed σεξλώτων, quæ vox de pedite usurpari solet, et si postremis seculis miles accipi fuerit de equite: (quod etiam Bohemicos Euangelii interpretes fellerit) at non item antiquis: ut, quin unus fuerit e cohorte peditum, minime sit dubitandum. Pictores vero, qui equitem cruci appingunt, ut saepius vidimus, nihil moramus.

Hoc vero de latere vulnerato, uti & de aquæ ac sanguinis fluxu, solus nobis narrat Iohannes: qui iccirco, ne ex auditu solum id habere videatur, ait, se id ipsum oculis suis conspexisse, atque ita completam esse prophetiam geminam. Prior erat Exodi xii: *Os non coimmunietis ex eo.* Quod quidem præceptum est de agno paschali: sed agnus ille erat typus Christi: in quo id completum, quod in agno paschali adumbratum. Eo autem in typico agno præscriptum, quia

quia contractio ossium agni, ad medullam exsugendam, moram attulisset profectio ex Ægypto, quæ erat properanda. Altera prophetia fuit Zachariæ xii : Videbunt, in quem transfixerunt. Sed hoc in Lxx non invenitur : ut qui in allato Zachariæ loco habeant: *Adspicient ad me pro eo, quod insultaverunt.* Ut vel hinc liqueat, quam utilis, imo necessaria fuerit opera B. Hieronymi, de fonte Hebræo transferentis Scripturas.

Nempe Ioannes secutus codd. ubi erat ἦρι ΡΑΚΕΡΟΥ. Vnde vertit ἐξεκέντοντο, compunxerunt. Sed Lxx usi codd. ubi erat ἦρι ΡΑΚΕΔΟΥ, trajectis literis: quod valet ὠργήσαντο, saltaverunt, sive insultaverunt. Cæterum nec Ioannes ad verbum vertit: sed sententiam tamen expressit. Nec impletum solum in Iudæis Christo pendente: sed etiam implebitur in ultimo judicio: unde Apocalypses cap. 1, v. 7, legas: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Vbi idem est verbum, quod hoc loco: nempe ἐξεκέντοντο. Subjicitur vero istic, quod apud Zachariam loco memorato sequitur: *Et plangent se super eum omnes tribus terra.*

Clare autem hæc historia nobis ostendit providentiam Dei in passione Christi. Quid enim æque poterat fortuitum videri quam quod miles, ambigens an Christus esset mortuus, ac fortasse etiam accedente aliqua petulantia, transfodit latus Christi? Verum Ioannes ostendit, id Scripturis suis prædictum. Priusquam enim adferret duo illa loca antea memorata, præmittit hæc verba: *Facta hæc sunt, ut Scriptura impleretur.* Vbi vt non ita capiendum, quasi niles hoc animo Christum transfoderit, ut impleretur, quod de osse non frangendo in agno Paschali præceptum fuit à Mose^a: aut quod Zacharias^b prædixerat, visuros Iudæos, quem pupugissent. Non ea 46. &^c Scripturæ peritia militi Romano: nec ea pietas. Sed vt sumitur Num. 9.12. hic non antecedenter, verum consequenter, ut vulgo loquuntur: ^b Zach. 12. hoc est, non militis notatur propositum, sed solum rei eventus. ^{10.}
 Nempe factum ut impleretur, valet idem ac si dixisset: sic factum, ut impleretur; sive, sic impletum est, quod prædictum fuit. Similis ratio est illorum Ioannis xix. 24: *Dixerunt ergo (milites) inter se, Ne findamus eam (tunicam inconsutilem,) sed sortiamur de illa cuius futurabit: ut Scriptura impleretur, dicens: Pariti sunt vestimenta ea sibi,* & ^c Psalm. super vestem meam jecerunt sortem. Nec enim dixere ea milites animo 21. 29. implendi, quod legitur in Psalmis: sed dum istoc agunt, quod dicitur, ignorari implet, quod David prædixerat. Sed quæritur, quomo-

do illud de ossibus Christi non contractis cum eo possit convenire , quod pedes clavis fuerint transmissi . Siquidem ex sceletis appareat , pedis ossa arcte adeo jungi , ut nequeat clavus , nisi osse fracto , transadigi . Mihi eorum placet sententia , qui aiunt , clavum , ubi solidiora cohærent ossa , esse immissum , ossibusque iis separatis , medium transiisse : Quoniodo ossa non sint fracta , sed diducta duntaxat , ac collisa .

Quæritur præterea , num alterutrum , an utrumque fuerit latus perforatum . In Scripturis quidem videmus unius solum lateris fieri mentionem . Ac vulgo etiam quinque Christi vulnera numerantur . Est & Tertulliani lib . 11 . adversus Marcionem :

Hujus de latere ligno pendentiis in alto.

Theodoreetus tamen in dialogo 11 Christum ait discipulis ostendisse perforata latera . Et Leo Magnus epist . xc viii . cap . 111 . vocat *vulnera lateris* . Sed est ὡνεκδοχὴ numeri : ut scriptura dicit , Ionam ivisse in latera navis , hoc est , in alterutrum latus : latrones insultasse Christo , hoc est , alterutrum eorum . Et similia , de quibus satis in Oratoriis Institut . dictum nobis lib . iv . cap . viii . § . x .

Sic igitur statuendum , unum fuisse vulnus . Quæritur porro , utrius lateris id fuerit . Sinistri fuisse , ait Lucas Brugensis in Ioan . xix . 34 , Latus aperuit . ubi sic scribit : Non pectus aperuit miles , ut quid a pingunt , sed latus , idque sinistrum ; quamquam pictores dexterum nolent . Penetratis enim costis primum , & pulmone deinde , ac tandem pericardio , transfodit cor , quod pericardio proxime & pulmone consequenter obvolutum , tametsi in medio corporis , tamen ad sinistram situm est magis , quam ad dexteram : prout eriam itus , cum fiat dextra manu , propense petit partem sinistram . Addunt aliqui argumentum mysticum . Nam Adamum primum esse typum secundi Adami : eoque , uti ex primi latere sinistro formata est Eva , sponsa ejus : ita ex latere secundi profluxisse aquam & sanguinem , quibus formatur Ecclesia , sponsa Christi . Eam autem ex sinistro latere factam colligunt , quia uti non debuit sumi ex capite , ne se efferret supra maritum , nec ex pedibus , ne marito contemtui foret , ita ex latere sinistro potius , quod ignobilius , sumtam , quam ex dextro , ne parem se marito crederet . Si ex picturis antiquis de his statuendum , invenias non paucas , ubi latus sinistrum perfoditur . Aliud tamen multis videtur . Adferunt auctoritatem Innocentii 111 . lib . 11 . de Sacro altaris sacramento cap . LIV . ubi sic loquitur : Calix ponitur ad dextrum latus , quasi sanguinem suscep- pturus ,

pturus, qui ex latere Christi dextro creditur vel cernitur profluxisse. Et, toto seculo antiquioris, Iwonis Carnutensis, itidem scribentis, epist. ccxxxv: *Hoschia, quæ juxta calicem consignatur, sic debet esse posita, ut sua & calicis positione dextrum Christi latus representet.* Adhæc aiunt, Athanasium, non veterem quidem, sed alium multo juniorēm, in libello de passione Imaginis Christi sic scribere: *Hebreos patrum suorum vestigia secutos valido iunctu lancea latus dextrum Iconis percussisse.* Etiam, inquiunt, Isidorus Mosconius, libello beatæ Claræ de Cruce, refert, Claram assidua meditatione Christi crucifixi cordi suo insculpisse imaginem crucifixi: *eam autem habere vulnus in latere dextro.* Quin ipsam B. Virginem ad Brigittam, ut in ejus Revelacionibus legitur, dicere, in dextro latere lancea vulneratum. Et in sacra Sindone, quæ Augustæ Taurinorum asservatur, vulnus lateris conspicere in parte sinistra, atque hoc indicium esse, vulnus esse acceptum in latere dextro, quia linteum, quod, corpori circumvolatum, imaginem Christi recepit, à sinistris id representet; unde colligunt, fuisse Christo à dextra, ut contrario se hic modo habuerit, sicut in speculis fieri videmus. Etiam de dextro latere transverberrato legas in historia Persica Xaverii. Sic quoque Io. Chifletius de linteaminibus Christi. Adhæc P. Tarnovius, & tot alii: ut omnino magnos secutus sit auctores Caspar Barlaeus, jam ab annis xxx, & aliquanto amplius, collega conjunctissimus, idem & philosophus, & poëta eximius, quando Christum in cruce pendente sic appellat:

Dextra tibi perfoasa riget, mea sola scelestæ est,

Nec sentit penam noxia dextra suam.

Innocuum qui mucro latus transfixit, aberrat;

Debentur lateri vulnus, & hasta, meo.

In hoc præstantium virorum dissensu non excutiam, quid verisimilius videatur: solum dicam, de neutro latere satis constare: atque hoc etiam Gretzerus censem lib. 1. de Cruce cap. xxxiv.

Etiam quæri video, utrum sub mammilla vulnus acceperit: prout pictores fingunt. Sed eos, ut ante vidimus, Lucas Brugensis refellit eo, quod Euangelista clare dicat, *latus fuisse apertum.* Pictores vero tuetur Daniel Mallonius commun. in Alphonsi Palæoti, archiepiscopi Bononiensis 11, historiæ de Christi stigmatibus cap. 11. Nempe propterea, quia in sindone quæ à Iosepho Arimatæensi emata & Christo mortuo circumvoluta, imaginem ejus recepisse dici-

tur, vulnus istic loci appareat, ubi pingitur vulgo. Sed major esset sindoni illi fides, si veteres ejus meminissent: nunc demum inventa intra annos ducentos: nempe anno c ICCCC LVI 11, ut superius vidimus. Sunt qui dicant, ferrum lanceæ non inter costas in cor adactum, sed inter pe^ctus & femur vulnus inflatum, indeque lanceam cor versus adscendisse. Atque hoc colligunt, quia Christus in alto pependerit, miles in terra constiterit, ut, si cor peteretur, ex inferiori corporis parte ad superiora fuerit deveniendum. Fuit hæc sententia Vincentii Bellovacensis sermonе de Parasceue, Alexandri item ab Ales, quem se sequi profitetur Antonius Gislandas quæst. LXXV. de Parasceue, & Pipinus serin. de Christo Patiente. Sed non essent eo moti arguēto, si scissent, vel cogitassent, crucifixos non multum solere elevari à terra: quippe qui vel de terra uno gradu adscenderent in ~~ταπειδον~~ sive imura crucis lignum, arrectario crucis stipiti additum, ut ei insisteret à crucifigendis: vel si ~~ταπειδον~~ foret nullum, (quod verisimilius videtur) à carnifice sublevaretur in medium stipitis palum, quem *sedilis excelsum* à Tertulliano vocari superiorius dicebamus.

Video autem, cum dulces dicantur clavi, quibus vivus est excru ciatus Christus, lanceæ mucronem, quo à morte est transfixus, dirum appellari: nempe quia gravius peccatur in mortuos, quam vivos. Quam ratione in adserit Franciscus de Petris, Iurisconsultus Neapolitanus lib. I. Festivarum Lectionum cap. v.*.

* Pag. 36.

Dubitari tamen possit, an, qui homo esset gentilis, nec aliud at tenderet, quam ut pareret superioribus, grave adeo commiserit delictum. Totum hoc exinde pendet, quo animo fecerit. Aiunt aliqui, ab eo factum, ne Christus crurisfragium pateretur. Quod durum creditu in homine gentili. Alii igitur petulantia factum putant. Alii etiam odio irruisse: ut Chrysostomus in Ioannem cap. LXXXIV. quein & sequitur, more suo, Theophylactus.

Mihi non displicet, profectum esse ab hæsitatione, quo & sibi, & aliis, de morte certius constaret: ut Cyrillus censet lib. XI. in Ioan. cap. XXIX. Et quo verisimilius hoc videatur, narrant aliqui, oculis suis caligantibus: ut propterea, nihil ambigentibus aliis, de morte ipse dubitarit. Verum quid de illis dicemus, qui plane cœcum suis arbitrantur? Quos sequi non dubitavit Baptista Mantuanus, qui proavorum temporibus magni spiritus poëta fuit. Sic enim cecinit Festorum libro:

*Tu catus non mente minus, quam corpore, sanctum
Lancea, & admoto pectus mucrone petisti.*

Ac fecutus quoque hoc commentum Xaverius in Historia Bohemica. Potius, ut diximus, iis accedimus, qui eo factum putant, ut certius de morte constaret. Interea sic etiam scrupulus supereft, qui eximendus nobis. Nam aliqui fecisse aiunt, quia laeso pericardio, vel corde, certa mors consequatur. Sed hoc si est, dici oportuit, non tam voluisse explorare, utrum esset mortuus, quam statuisse vulnus infligere, unde certo esset moriturus. Sane letalia quidem sunt cordis vulnera, etiam secundum Hippocratem. Verum hoc de laesis cordis ventriculis exponit Galenus lib. v. de locis affectis cap. 1. Et tamen hic quoque aliquod est discrimen, quia, laeso dextro cordis ventriculo, ad aliquot dies potest supervivi. Qua de re Sennertum adi libro v. praxios particularis part. iv. cap. 111, & inclytæ hujus Amstelodamensium Vrbis senatorem Amplissimum & Medicum experientissimum Tulpium lib. 11. Observationum cap. XVI 11; item alios, quos de cordis vulneribus laudat Clarissimus & amicissimus Thomas Bartholinus Medicus lib. de latere Christi*. *^{Pag. 135.} & seq.

Quare si avebat miles cognoscere, utrum Christus esset mortuus, convenientius dixeris, voluisse eum transmittere pleuræ membranam quæ thoracem ambit. Siquidem ex pleuriticis satis est evidens, quam acutus sit illi parti sensus. Proinde si Christus animi duntaxat deliquium esset passus, pleura trajecta confestim ad se rediisset, certumque vitæ indicium dedisset. Quod ubi non factum, vere esse mortuum, potuit miles perspicere. Quamquam quid impedit, quo minus dicamus, utrumque in milite concurrisse. Voluisse enim latus aprire, partim ut certius de morte sibi, & aliis constaret: partim ut, si vita superesset, certo hanc adimeret. Nihil enim impedit, plures esse facti unius caussas.

Etiam in disquisitionem vocant, utrum non latus solum, sed etiam pericardium, atque adeo cor fuerit perforatum. Sed de isto videbimus mox, cum queremus, unde aqua è latere effluxerit.

Porro miles, qui lancea perfodit Christi latus, Longinus dicitur etiam in Martyrologio Romano Idibus Martii, ubi legas: *Cæsarea in Cappadocia passio S. Longini militis, qui latus Domini lancea perforasse prohibetur. Quæritur, verumne id nomine, an fictum Ἀγρός λόγος: qua voce lancea, vel hasta, intelligi solet: συνεκδοχάκως videlicet, cum proprie signet cuspidem hastæ, vel sagittarum ferrum; ut ex Xenophonte, atque*

que aliis , constat ; ac Yvoni etiam Villiomaro observatum contra Roberti Titii locos controversos lib. I. cap. ix.

Etiam illud in quæstione est , utrum hic miles fuerit idem , ac centurio ille , qui cum terræ motum , aliaque miranda , quæ fierent ; Christo in cruce pendente , conspiceret , confessus est , eum vere esse filium Dei : ut legere est Matthæi xxviij . 54. Sed diversos censem cum Luca Brugenæ in Ioa. xix. 34. Nec enim persuadere mihi possum , centurioni , Christum confitenti , animum fuisse istiusmodi , ut adigeret lanceam per latus Christi sustineret. Scio , quid dicant , amore factum , ne crura illi frangerentur. Sed omnino , qui præclare adeo de Christo sentiret , atrox facinus judicasset , sic sacrum corpus violare , seu vivi , seu mortui.

Ad texam aliquid de nomine ejus militis. Si Longino nomen fuerit , plane id fuerit Ronianum. Notum nomen Velii Longini Grammatici , cuius de orthographia liber supereft. , & Dionysii Longini Rhetoris , cuius exstat elegans liber de charæctere sublimi. Ut à Iustus Iustinus , ab Augustus Augustinus , à Marcellus Marcellinus : sic à Longus Longinus. Sed multum metuo , ne primo miles , cuius nomen nesciretur , à lancea , qua aperuit Christi latus , Longini nomine sit donatus : posteaque ita etiam centurio dici cæperit , idque occasione ea , quod 'miles idem ac centurio ille crederetur. Interim sub Cæsare Maximiano Longinus miles fuit , qui privatus militari zona . Sed id sine dubio Romanum nomen putandum.

De latere Christi à milite aperto abunde dictum. Proximum est , ut consideremus illud , quod , ut Ioannes ait , qui id coram consperxit , aqua , & sanguis ex latere ejus profluxerunt. De sanguine nemmo miratur. Solum de aqua est disceptatio. Nam multi eum purum & elementarem fuisse arbitrantur : talem nempe , qualis ille , quo in sacro lavacro abluiuntur. Atque hi ad lavacrum recurrent. Et reperti , qui dissidentibus scriberent hæresios dicam. Vide fodes de hac re differentem Thomam Aquinatem IIII par. quæst. LXVI , art. IV ad IIII : adhæc Salmeronem tom. x tract. XLVII , & Suarez , ac Maldonatum. Sed profecto non recurrendum ad miraculum , nisi ubi naturæ est defectus. Atqui potuit aqua exire è latere pericardio perfosso : est enim illud aqua refertum ad æstum cordis refrigerandum. Vnde Hippocrates sic librum de Corde orditur : Καρδίη , αγγεῖα μὲν ὄντα πυρεψίς , χροιστὸν ἐν καρκοφόρης Φουνικέα . καὶ τοιενετελέσαι την χλωρα λεῖον . καὶ ἐστιν ἐν αὐτέων ὑγρὸν σμικρὸν ὅποιον ἔργον . ὥστε δόξεις ἐν κύστες

καὶ τὸν καρδιῶν αὐτοσπέφεδη. γερόντιαι ἐπειτα, ὅκως θάλατται
ῥωτομέθως ἐν φυλακῇ. ἔχει ἐν ψηφισμαῖς, ὀκόσον μάλιστα καὶ πυρθύρων
ἄνθρ. Cor figura quidem metā similis, colore autem admodum puniceo, tunica
levi circumtegitur, in qua humor * paucus, qualis utina, inest, ut cor in vesica ^{Anutius}
conversari existimes. Ea vero de causa exsilit, ut validum in custodia vi- ^{Fœsius} ^{τοῦ}
geat. Humiditatem autem tantam habet, quanta maxime ad astuantis me- ^{τρών} ^{τοῦ}
delan satis sit. Dixerit aliquis, librum hunc non esse Hippocratis, humor mo-^{τρών}
quia ejus nec Galenus uspiam meminerit, nec Eritianus, ubi li- ^{dictus}. Al-
bros Hippocratis recenset: ac præterea, contra quam Hippocrati qui modi-
factum, nervorum originem, & principem animi facultatem cen- ^{cus antiquis}
seat esse in corde. Non repugno: constat tamen, esse antiquissimum. ^{non signat}
Ac sententia eadem est Galeni. ut qui & ipse lib. v de locis affectis paucus, ut
cap. i. t scribat, καρδίαν ἐν ψηφισμαῖς, in humore moveri. ac mox vulgo ura
subdat: Καὶ θαυμαστὸν, καὶ δὲν αἴροιτο ποτε πλεῖστον ψηφισμάτον τοστον ἐν τῷ mediocris,
πλεύσοντα χάριν τῷ καρδιᾷ, οἷς ἐμποδίζειν αὐτὴν Αγαστομόβηγ. Καὶ γὰρ modumque
θέτει τὸν αὐτοπεινορθίων ζώων ἐθεασύμεθα πλάκης ψηφισμάτον, servans.
ἐν τῷ πλεύσοντα ψηφισμάτῳ δαψιλές. Neque enim mirum videri debet, tantam hu- ^{Quod &}
moris multitudinem cumulari interdum in tunica cor ambiente, ut ipsum, ^{origo vocis} ^{confirmat.}
ne attollatur, impedire possit. Quippe in animalibus dissectis videmus ple- ^{d Edit. Ald.}
rumque plurimum humoris urinæ speciem referentis, in eo, qui ipsum in- ^{tom. 3. fol.}
volvit, panniculo contineri. Quid multis? quando eadem in senten- ^{159. b.}
tia sunt tot Anatomici ac Medici. In his Andreas Laurentius histo-
riæ Anatomicæ lib. ix. ubi de Organis vitalibus, Georginus Ber-
tinus Medicinæ lib. v. cap. ix, Nicolaus Nancelius in Analogia
Macrocosmi, & Microcosmi, Adrianus Spigelius lib. ix. de fabrica
humani corporis cap. v. E Theologis vero, aliisque Scripturæ in-
terpretibus, Benedictus Arias Montanus Elucidat. in Ioannem
cap. x ix, Ioannes Poza Theologus Complutensis in Elucidario Dei-
paræ cap. iv. tr. i. lib. 111, Iacobus Tirinus in Euangelia. Adhæc
summi viri Theodorus Beza, Immanuel Tremellius ^c, & Hugo ^{c Notis in}
Grotius. Atque eodem etiam Iustus Lipsius propendet. Ipsius etiam ^{Ioan.}
sæpe tum Leida id conspeximus, dissecante humanum corpus Petro
Pauvio: posteaque Ottone Heurnio, & Adriano Falkenburgio, vi-
ris clarissimis, multisque annis in Leidensi Academia collegis con-
junctissimis; tum in inclita hac Amstelodamensium urbe anatomien
exercente insigni Medico, & Anatomico, Amplissimoque Vrbis
Senatore, Nicolao Tulpio.

Ac multo minus merum fuerit miraculum, si etiam inter thor-

cem & pericardium aqua seu serum continetur. Sane egregius naturæ mystes Caspar Bartholinus Danus, & dignus tanto parente filius, clarissimus Thomas Bartholinus, existimant, nihil opus esse recurrere ad pericardium perforatum: quia utcumque non fuerit pertusum cor, vel pericardium, ex sola pleura perforata hoc potuerit contingere: imo hoc verisimilium videatur, quia de solo latere aperito legere sit in Euangelio. Statuunt vero, in capacitate thoracis nunc minus esse aquei liquoris, nunc plus, pro cuiusque temperamento: inque Christo ob doloris magnitudinem humorem hunc fuisse adiuctum: nec tamen meram & elementalem aquam fuisse, sed ιχωροῦ φαιμὸν sive αἷμα ιχωροῖς, sive οὐδατῶδες αἷμα, sanguinis serum, sive humorem aquaticum: quomodo & sanguis ex aqua mixtus vocatur Cypriano, vel alteri, libro de montibus Sina, & Sion: πεφυρμένον πότον Apollinari, vel alteri in Christo Patiente. De hac sententia plura nunc non differam: malo enim adeas doctissimum, & amicissimum Thomam Bartholinum lib. de latere Christi cap. iv, & xi, ac deinceps.

15. §. Quare video, utrum aqua, & sanguis, fluxerint simul, an successive, puta prius aqua, post etiam sanguis, vel contra. Præterea ut simul fluxerint, in questione remanet, utrum distincta fuerit aqua à sanguine, an vero ambo fuerint permixta. Censeo, fuisse immixta, non confusa.

* Pag. 274. Præit Apollinaris vel alias in Christo Patiente *:
edit. Mo-
rell. a. 1611.

Εσάξεν δέ τοις, αἷμα τ' ἢ πεφυρμένον.

— Aqua

Effluxit illico, & sanguis non permixtus.

† Ver. Ioan. Nonnus paraphrasi cap. xix †:

34. carmi- Πρῶτη μὲν αἷμα χύθη, μετέπειτα δὲ θεοπελον ὅδωρ.

nis vero Primum quidem sanguis effusus est, deinde vero divina aqua.

390.

Quæ ostendunt, hoc voluisse eos, vel prius unum, inde alterum fluxisse liquorem; vel ut eodem tempore fluxerint, eodem tamen è vulnere ea, quasi distinctis aύλοις sive rivulis, fluxisse arcuatim: quomodo fluentem sanguinem tullios dixerat antiqui. Ut Ennius:

Misso sanguine iepido tullios efflantes vol. int.

16. §. Hic

16. §. *Hic vero sanguinis & aquæ fluxus mysterio non caret. Nam, ut ait B. Ioannes*, tria sunt, quæ testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.*

Sententia est, quemadmodum divinitati Christi testimonium in cælis perhibent, Pater, $\Delta\gamma\zeta$, & Spiritus Sanctus: ita in terris humanitati ejus testimonium dant Spiritus, quem moriens emisit, sanguis & aqua, quæ mortuo è latere eruperunt. Sane homo verus constat anima, & corpore: anima per spiritum signatur: corporis veritatem signant aqua & sanguis: aqua quidem, ex elementis conflari; sanguis, iisdem ac nos humoribus componi, comprobavit. Vnde & idem †: *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus, non s. 6.*
in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Præterea per aquam, & sanguinem, duo significantur sacramenta: baptismus, quo renascimur; & eucharistia, qua renati nutrimur.

17. §. *Sanguis ille, qui fluxit è latere Christi perfozzo, à matre Domini dicitur collectus in usum reliquiarum, hodieque ostentatur. Sed de isto non apud Euangelistas modo, sed omnes, qui trecentis post Christi passionem annis vixerent, altum est silentium.*

Præcipue autem de adseratione ejus poëticam esse fictionem lumbentes agnoscent, qui in fluxu aquæ miraculum statuunt. Nec enim citra revelationem hoc potuisse Maria prævidere.

18. §. *Atque hic terminatur historia Passionis Dominica.*

Dixeris, Passionem non posse ultra mortem extendi: ac videri proinde assentire nos Petro Ioannis, qui circa annum cI cxcv docuit, Christo latus perforatum adhuc viventi: quemadmodum à Guidone Carmelita traditum, & Bernardo de Lutzemburgo in Catalogo hæresium, & ex iis Bellarmino in Chronologia, quam Ecclesiasticis Scriptoribus subjunxit. Nobis vero longe alia mens: sed putamus, quæ proxime diximus, recte ad mortem, ut ejus signum, refferri. Nam ex apertione lateris, & inde aquæ, ac sanguinis, exitu, certo constat de morte Christi.

C A P. XII.

De Christi sepultura, & corporis custodia.

1. §. **A** passione ac morte Christi venio ad historiam sepulture.

Nec enim mos Iudæis fuit cadavera cremare; ut Græcis, ac Romanis, imo & aliis quibusdam gentibus: nedum, ut Colchis, de arbore suspendere: sed terræ mandare. unde Philo libro in Flacum: Αὐθεώπις ἡ πᾶσι χερσαῖοις οἰκεῖ τερον ή Φύσις χωρίου ἀπένειμε γῆν, & μόνον ζῶσιν, αὐλαὶ καὶ απτανθοτιν, οὐ ή αὐτῇ η τῷ πεώτῳ θεόδεχηται γένεσιν, η τῷ οὐ τῷ βίᾳ τελεσθαιαν οὖντον. Hominibus, & omnibus terrestribus animalibus, natura proprium magis locum tribuit terram, non modo viventibus, sed etiam mortuis, ut ipsa & primum exciperet ortum, & postremam resolutionem. Deque Iudæis aperte Tacitus in quinto Historiarum: *Corpora condere, quam cremare, more Aegyptio.* Nisi cum doctissimo Chisletio * pro condere, malis condire. Quomodo de Poppaea idem in xv Annalium ait: *Corpus non igni abolidum, ut Romanis mos: sed, regum externorum consuetudine, differentum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur.* Vbi similiter conditur legit, media porrecta. Verum fallitur. Nam conditum quidem prius, ac postea conditum: at non, ubi odoribus esset referatum, fuit conditum, cum odores illi ipsi ad condimenta pertineant; sed terra tum conditum est. Quod vero Tacitus ait, *corpora condere, more Aegyptio*, id opinionem gignat, quasi eum sepeliendi morem dicitur ab Aegyptiis. Sed ex iis quæ de sepultura Saræ †, atque aliis, narrat Scriptura, satis liquet, morem hunc Iudæis patrium fuisse, non ab aliis gentibus acceptum. At non repugno, quo minus, non dico condendi, sed conendi moreni hauserint ab Aegyptiis. Quibus triplex mos fuit condendi: ditiorum unus, argenti talentum insumentum in conditura, quæ siebat myrrha pura, casia, aliisque odoribus; item vino phœnicio. Alter mediocrium, quia minarum viginti, ac nitro, quod carnes tabefacit, & unguento cedrino, siebat. Tertius infimorum, quo corpora lavabantur, & exsiccabantur. Ac postremus ille mos obtinuit in Iudæa. De more isto Aegyptiorum plura si voles, vide Herodotum lib. 11, & Diodorum Siculum libro 11: è junioribus Chisletum adi libro de linteis Christi sepulcrali-

* Lib. de linteis se-pulcrabilibus Christi c. 2.

† Genes. 23.

cralibus cap. II, & III. Nos Iudaicis ritibus insistemus: ac imprimis sepulturæ Christi: ubi primum agendum de iis, quæ proprie sunt sepulturæ: deinde de custodia sepulti.

2. §. In sepultura attendimus, qui sepelierint, & ubi ac quomodo, & quando id fecerint, & qui fuerint spectatores.
Sepeliere duo viri principes: quorum prior fuit Iosephus ab Arimathea.

Arimathæa vero, ut est apud B. Hieronymum lib. de Locis Hebraicis, & in lib. I Sam. sive Reg. cap. I, civitas fuit in regione Tannitica prope Diospolim, aliter dicta Rama, & Ramathim Sophim, unde Elcana, pater Samuelis prophetæ.

3. §. Hic describitur non modo à patria, quam diximus: sed etiam ab genere, opibus ac dignitate, quia erat nobilis, dives & Senator Hierosolymitanus.

Græce est βελτίς: quod interpres vetus reddit decurionem, nempe quia qui Romæ Senatores, hi in municipiis decuriones.

4. §. Idem erat vir bonus & justus, ac discipulus sive auditor Iesu: ac exspectabat ipse etiam regnum Dei, quod Christus appropinquare docuerat. Nec consenserat iis, quæ adversus eum Synedrium decreterat.

Itaque ut Hieronymus in Matthæum scribit, non defuere, qui de eo dicent intelligendum Psal. I: Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Sed non is scopus Psalmi hujus: et si huic Iosepho recte etiam accommodetur.

5. §. Quamquam vero antea, Iudeorum metu, occulte solum audisset Christum, ut est apud Ioannem*: nunc tandem, metu ac pudore posito, audacter accessit Pilatum, atque ab eo corpus Christi petiti ad sepulturam. Pilatus, cum sciret, crucifixos aliquamdiu vivere solere, prius ex centurione exquisivit, an jam mortuus esset: nec nisi eo cognito corpus permisit Iosepho.

Quod ipsum postea inserviit isti rei, ut de veritate resurrectionis certius constaret.

6. §. Iosephus hinc triplici officio functus est. Nam & corpus de cruce depositum, depositum sindoni mundæ, quam hoc fine erat mercatus, involvit, & ita involutum imposuit novo sepulchro ex petra exciso: quod sibi magno sumtu pararat.

Hanc curam plenius mox explicabimus. Miretur aliquis, ausum esse tangere morticinum, quo se pollui credebant Iudæi. Et hoc quidem ausum, cum mox esset comedendus agnus paschalis. Sed quomodo id corpus pollueret quemquam, cuius sanguis omnem immunditatem abluit? Hæc de Iosepho.

7. §. Alter sepelientium fuit Nicodemus: is qui nocte accesserat Christum, ut est Ioan. 111, & Christi etiam defensionem contra Pharisæos suscepérat, ut est cap. viii. Ut vero Iosephus sindonem, ita hic ad pollincturam attulit mixturam aloës & myrræ, idque ad libras prope centum: ut liqueat, corpus Iesu non leviter fuisset inunctum, sed unguento penitus immersum.

De consuetudine ea pluribus mox loquar. Hæc nunc de personis sufficientia.

8. §. Ordo in pollincta bujusmodi fuit. Primum corpus laverunt.

Lotionis, ac quidem, ut à pluribus factæ, meminit Chrysostomus Homil. LXXXIV in Ioan. Dum peteret eum à Pilato (Ioseph,) & dum lavarent, jan vespere adventarunt. Apud Romanos etiam lotio unctionem præcedebat: unde Ennius Annalium lib. 111 de Tanaquile:

Tarquinii corpus bona femina lavit, & unxit.

Trojanis item tribuit Maro VI Æn. ubi de exsequiis Miseni,

— Corpusque lavant frigentis, & ungunt.

Pœnis quoque morem lavandi cadaver assignat Maro IV Æn. ubi Anna inquit,

— Date vulnera, limfis
Abluam. —

9. §. *Vbi lavissent, ungebant.*

Inungendi hunc morem clare indicant verba illa Christi, cum Maria eum pisticia nardo inunxit, ut est Ioan. xii: *Sinite illam, in diem sepulturae meae servavit istud.* Etiam Ioan. xix, 39, clare est: *Nicode-mus ferens mixturam myrrhae, & aloës, quasi libras centum.* Ac versu pro-ximo additur clare, hunc morem fuisse Iudæis, ut aromatibus con-dirent cadavera. Ac Marci xvi legas, ut Maria Magdalena, & aliae feminæ, emerint aromata, quo venientes ungerent Christum.

10. §. *Nempe Iudæis etiam hoc studio erat, ut defunctorum corpora diutissime conservarentur, bonumque spirarent odorem: quod credibile est fecisse, non solum testando amo-ri erga defunctum, sed etiam ob spem resurrectionis.*

Vnde colligitur, honoreim exsequiarum, si modum servet, esse laudabilem. Quo etiam pertinet illud Ecclesiastici cap. vii: *Mortuo non prohibeas graiam.* Leve autem discriminem erat inter Iudæos inun-gentes, & Ægyptios, de quibus ante diximus. Nam Iudæi exterius solum inungebant. At Ægyptii etiam interius, eoque viscera prius eximebant: ipsum cerebrum extrahebant per nares. Hujusmodi con-ditûræ modus ταξιχευτις dicitur Herodoto.

11. §. *Corpore inuncto, illud linteis sepulcralibus involverunt: quæ multi putant fuisse tria: linteum brevius, quod sudarium dicitur, & caput tegebatur: linteum longum, quod sindon vocatur, & reliquo corpori, eique nudo, cir-cumvolvebatur: & fasciæ sive instite, quibus sindon coer-cebatur, & manus pedesque ligabantur. Sed cum, qui meminere sindonis, non nominent ὁ Γόνια sive χειριας: h.e. linteamina, sive fascias: quique hac expressere, taceant de sindone: credibile est, idem per sindonem & ὁ Γόνια sive χειριας signari. Σινδων sive ὁ Γόνιος erat initio, prout em-tum. Hoc postea fuit discriptum, ut inde fierent ὁ Γόνια, sive χειρια, quia fasciatum corpus involveretur, ac pars inserviret colligando pectori, ac ventri, cum brachio utro-que; pars vero femori ac pedibus: quibus opus erat fasciis diversis.*

Hæc

Hæc fuisius enarrat Salmasius secunda de Cruce ad Bartholinum
 * Pag. 378. epistola *. O θέοντι fuisse integrum linteum, priusquam discerpere-
 & 379. tur, ostendit, quod Lucas linteum illud, in quo varia Petro anima-
 lia ostensa, appellat ὁ θέοντι μεράλω, linteum magnum. Sed ubi in par-
 tes discerptum, quæ pro fasciis, sive vinculis sepulcratibus forent, non tam οὐδέν, vel στυδῶν erat, quam ὁ θέοντι, h. c. linteamina. Hesy-
 chius: O θέοντι, στυδῶν, ζώνη, τελαμών. Ac mox: O θέοντι, λινᾶ μάτια.
 Nempe ut Latinis pannis aliquid integrum: sed partes ejus, panni,
 ταύρου: unde pannus obitus, pannosus, panniceus, παννικός. Majori igit-
 tur linteo, quod sindon dicitur, in fascias discerpto, Christus ictis
 fasciis involutus fuit. Quod etiam indicant Marci verba, ἐνείλησε
 τῷ στυδῶν: & verbum εὐτύλιξε, quod usurpant Euangelistarum alii.
 Sed eos loquentes audiamus.

Ioan. cap. xix. 40, Accepérunt corpus Iesu, & ligaverunt (ἔδησαν) illud linteis (οὐδοῖς) cum aromatis, sicut mos est Iudeis sepelire. Sindone fuisse corpus Iesu à Iosepho involutum, aperte etiam est apud Matth. xxviij. 59: Accepto corpore, Ioseph involvit (ἐνεπέλιξεν) illud sindoni mundæ: οὐρδόνι καθαρῷ. Item Marci cap. xv, 46. & Lucas cap. xxiiij. 53. Præter vero sindonem fuisse sudarium, indicant verba Ioa. cap. xx. 6: Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monu-
 mentum, & vidit linteamina posita, (οὐδοῖα κειμένα) & sudarium, quod fuerat super caput ejus. Clare & linteamina, & sudarium memorat ut diversa. Ac similiter de Lazaro cap. xi. 44: Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus ictitis, & facies ejus sudario erat ligata. Vbi videmus, etiam corpus dici ictitis ligatum, sive fasciis. Græco est χειρίας. Per χειρίας vero plerique non aliud intelligunt, quam quæ οὐδοῖα appellat Ioannes: nempe quia corpus fasciatum involveretur linteis: ut in Resurrectionis historia dicetur. Nec tam-
 men cum eo contendere velim, qui præter ictitas alia fuisse lin-
 tea existimet. Audiamus Augustinum lib. iij de Consensu Euangeli.
 cap. xxiiij: Neque hic repugnat quicquam recte intelligentibus:
 nec enim illi (tres priores Euangelistæ) qui de Nicodemo tacuerunt,
 affirmaverunt, à solo Ioseph Dominum sepultum, quamvis solius commemo-
 rationem fecerint: aut quia illi una sindone à Ioseph involutum dixerunt,
 propriea prohibuerunt intelligi, & alia linteaa potuisse adferri à Nicode-
 mo, & superaddi; ut verum narraret Ioannes, quod non uno linteo, sed
 linteis involutus sit: quamvis & propter sudarium, quod capiti adhibebatur,
 & ictitas, quibus totum corpus alligatum est, quia omnia de lino erant,
 etiam si

etiam si una sindon ibi fuit, verissime dici potuit, Ligaverunt eum linteis: linta quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur. Porro sudarium quoque ex lino fuisse textum, satis indicat Catullus, qui epigrammate ad Asinium, quod prius linteum dixit, mox sudarium appellat: & Dionis in Nerone est σινδόνιον, quod Tranquillo sudarium. Nomen ab usu, quia sudor eo soleat abstergi: Nisi à Græcis; quia Hermippus σωδαῖον: ut ex Grammaticis vett. constat. Pollux ait, quod σωδά-
ειον suo tempore vocaretur, antiquis Comicis dictum καψίδην πον. Quæ vox etiam apud Hesychium. Nec audiendus Nonnus, quando paraphrasi in Ioan. cap. x, 181, & xx, 33, vocem appellat Syriacam. Homo Ægyptius, Græceque doctissimus, Latine nesciebat. Objectant, quod libro Ruth, cap. 111 vers. xv, ubi Hebraice est חַמְתָּה, habi hammitpahat, h. e. dat o linteam, apud Chaldæum paraphrahest sit סִדְרָא, habi sodara: quod Elias exponit, linteum, velum, speciem panni. Etiam סִדְרָא, sudera, pro velamine habet Thargum Exodi xxxiv. 33. 34. Etiam Syriacus interpres Act. xix. 12. סִדְרָא sudara habet, ubi Græce σωδάεια. Sed enim & Chaldæus ille Paraphrahest & Syriacus interpres non minus habent quædam, quæ à Latinis Oriens acceperat, quam habent Græci Euangeliæ, qui multa usurpant à Latinis accepta, quia in Iudæa & Syria vulgo obtinerent. Vir doctissimus, qui de linteaminibus Christi sepulcralibus scripsit, aliter huic quæstioni occurrit ejus operis cap. v. Inclino, inquit, in sententiam Nonni; et si nihil vetat idem vocabulum linguis nativum esse, ut afferunt quidam de nominibus missa, Cephas, Iesus, pascha. Nonni hac parte, ut dixi, levis est auctoritas; quia, cum Latine nesciret, nihil mirum, si origine Syriacum putaret vocabulum, quo Syri, & Chaldæi vulgo uterentur Quod vero ad Missa, omnino à Latinis est, non Hebræo Κύριος; et si non ignorem, pro spontanea manus oblatione usurpari Deuter. xvi. 10. Quippe si à Iudeis foret, novissent vocem eam Ecclesiæ Græcæ. At Cephas, Iesus, pascha, Syriaca sunt, vel Chaldaica: non à Græco κεφαλὴ, ἵστομα, & πάσχω; licet hoc traditum sit à veteribus quibusdam, nesciis lingua Syriacæ. Non tamen adver-
sor, si quis non pro veris habeat etymis, sed allusionibus non inconcinnis.

Simeon Metaphrahest ait, Beatam virginem sudario hoc deter-
sisse caput Christi de cruce depositi: ac deinde illud tradidisse Iosepho ab Arimathæa, ut eo inter sepulcralia linta uteretur. Sed quis

nescit, quain multa ille paraphrastes veteribus ignota, vel è recentiorum hauserit lacunis, vel ipse confinxerit?

Post resurrectionem Christi sudarium illud primitus possessum dicitur à Iudeis credentibus in Christum, usque in quintam generationem: deinde ab infidelibus usque ad tempora Mahuviæ, qui anno obiit **I C L X X V I I I**, ac hæredem regni reliquit filium suum Gизid. Pluribus, ex relatu Arnulphi Episcopi, rem narrat Venerabilis Beda lib. de Locis Sanctis cap. v: ubi & de incombustili ejus sudarii virtute miraculum narrat. Ipsum, si voles, adi: & Chifletium lib. de linteis Christi sepulcralibus cap. vi: ubi & contendit, sudarium Vesontinum magis videri esse illud Bedæ memoratum, quam Taurinense, quia hoc sit pedum xii, illud Vesontinum pedum octo, quam fuisse longitudinem sepulcri Dominici tradit Adrichomius. Verum magnitudo sepulchri Dominici parum ad rem facere videatur, cum Beda clare loquatur, non de sindone, quæ Christi corpus contexit, sed (hæc verba ejus sunt) *sudario capitis Domini*. Et scrupulum merito injicit, quod in hoc sudario non capitinis modo, sed reliqui etiam corporis, effigies sit impressa. Integer enim homo compareret. At sudario solum capitinis, sindoni solum corporis reliqui effigies potuit imprimi. Varie huic difficultati solet occurri: dum alii putant, priusquam resurgeret Christus, effigiem sui totius tegumento capitinis impressisse: alii autem, sudario signari linteum, quod totum corpus à vertice usque ad imos pedes contexisset. Prius censet Gretzerus lib. i. de Cruce cap. lxxxv: alterum Chifletius lib. de linteis sepulcralibus cap. vii. Cui controversia diutius insisterem, si quæstio illa, utrum Vesontinum linteum sit idem, ac illud quicum Christus sepultus fuit, ad veritatem Dominicæ sepulturæ pertineret. Nunc solum dixero, de priori quidem sententia illud, non apparet causa, cur Christus miraculose vellet capitinis velo totius corporis effigiem imprimere: de altera, quod satis sit apertum, sudarium intelligi non universi corporis, sed unius capitinis tegumentum. Vnde & Nonnus:

Καὶ κεφαλῆς ζωτῖον παλινύπον ἄρματι χαιτίς,

Σεδάριον τόπερ εἶπε Σύρων ὅπιδημι Θεοῖς.

Et capitinis cingulum resolutum nexus come,

S V D A R I V M quod dixit Syrorum popularis vox.

Et, licet aliter hic Nonnus, vox ipsa indicio est, sic dici, quia capitinis sudorem detergeret: cui usui Nero ligato circa collum sudario

rio prodibat: ut est apud Tranquillum in ejus vita cap. L I. Et quid multis? cum capiti soli inserviisse clare liqueat ex iis, quæ Ioan. cap. XI legimus de Lazaro, deque Christo cap. xx. Neque aliter Syrus interpres. Ut Augustinum, Bedam, & tot alios, taceamus: qui omnes suscepere. De sudario satis dictum. Sequitur de sindone, quæ corpus reliquum, à collo puta usque ad pedes, obvolvebat. Fuisse illud è lino, manifestum est. Videtur vox esse ab Hebræis. Nam ۲۷،
سادین، quod est Iudicium XIV. ۱۲. ۱۳. LXX vertunt, ut Esai. ۱۱۱.
۲۲، بُوَّسْقُ. Plura de sindone diximus, cum ageremus de juvencie, sindone sola in duto, eaque in militis manibus, dum fugeret, relicta, ea nocte, qua captus est Christus.

Quemadmodum vero sudarium alii, de quibus diximus, sic Allobroges, sive Taurinenses, sibi vindicant sindonem, qua Christi corpus fuit involutum. Quæritur, quo pacto hoc conveniat cum eo, quod eam Vesontiones se habere dicant. Aliqui contendunt, illos habere sudarium, hos sindonem. Alii aiunt, Taurinenses habere linteum, cui corpus Christi involutum cum primum de cruce deponeretur, ac deferretur ad sepulturæ locum, quo in linteo non debuisse Christum sepeliri, quia ex vulneribus Christi esset cruentatum: eoque post pollincturam alio plane mundo fuisse opus: atque hoc esse Vesontinum. Non duim dixi. Nam alii quoque se aliquod ex sepulcralibus Christi linteis habere aiunt. Ad hoc responderi video, fuisse tria linta, sudarium, sindonem, & fascias: ac fortasse alicius ex istis alias hanc, alias partem aliam habere. Sed ecce aliud etiam responsum. Cambrienses quoque sibi sindonem Christi sepulchralem vindicant. Ac Iulius 11. in bullâ anni 1561 ait, eam esse, in qua Dominus noster Iesus Christus, in monumento positus, involutus, fuit. Chifletius * sic occurrit, responderi, & apposite, Pontificem non eo loco decretum sancire, sed ex vulgi sententia loqui. Nimirum, quia vulgus multa credit, quæ sapientes non credunt. Audiamus etiam, quid de variis Christi sindonibus catagraphis, sive pictis, scribat Gretserus lib. 1 de Cruce cap. LXXXV; Hujusmodi *sacra pignora*, & *λειψανα*, ex imitatione aucta, & ex prototypo saepius expressa, occasionem dedisse posteris, ut sibi persuaderent, se verum exemplar possidere; cum non nisi imaginem ex primo sudario vel sindone effigiatam haberent: qui error omni culpa caret, cum & in primis illis, & in his, quæ ad imitationem illorum adumbrata sunt, Redemptor noster honoretur. Addit Chifletius lib. de linteis Christi cap. XXVI, Vlyssipone, primaria Lusitanâ urbe, extra muros, in Monasterio Virginum Matris Dei de Enxobregas,

* Lib. de
lintea mini-
bus Christi
cap. 25.

ostenditur die Iovis hebdomadae sanctæ sudarium cum imagine Christi Domini, sed ectypon. Mallonius diserte afferit, & Camberiano linteo alia exemplaria excerpta esse, qua in magna estimatione, ut par est, servantur: & nos ex Vesontio idem factum supra ostendimus. Quid mirum autem, si multa ectypa paullatim sint habita pro ipso exemplari: quando in sanctuariis etiam quæ brandea vocant, idem usu venit. De hoc more Romano sanctuaria mittendi pro ipsis reliquiis vide Martyrologium Baronii ad Mart. diem xv. Et Annales Eccles. an. Christi lv. nu. xii: item Chifletum memorati operis cap. xxvii. * Vbi & aliter iis occurrit, qui mirantur, pro sudario Christi, quod unicum fuisse è Scripturis constat, plura hodie ostendi. Forte, inquit, alicubi Martyris cuiuspiam prisci ævi, aut alterius viri sancti sudarium pro Christi sudario colitur. Quomodo etiam, ut superius vidimus, Baronius respondet iis, qui objectant de pluribus clavis, quam ternis, aut quaternis. Ait ille, ut aliquis fortasse non sit è clavis, quibus Christus ipse affixus fuit cruci, posse esse è clavis, quibus idem ille postea affixus est. cruci in membris suis: ut in sancto quopiam martyre. Verum hujusmodi si insistere ulterius velim, metuo ne videar τὸ πάρεργον ποιεσθαι ἔργον. Sindonem, & fascias, non fuisse diversa, censuit etiam Nonnus, cum scribit:

Δεπταλέως ὁ θύνησιν ἐμιτεώσαντο Ιανόν! ☉

Σῶμα, πολυπλέκεται διάδει δεσμοῦ.

Tenuibus linteis circumdederunt mortui corpus,

Multiplici circumvolutionum fragrante vinculo.

Ac videtur hæc sententia posse adstrui verbis Ioannis de sepultura Lazari, & Christi. Nam de Lazaro ait cap. xi, 44: Ligatus (δεδεμένος) manus & pedes institis, (κεισίας) & facies ejus sudario erat ligata. De Christo inquit cap. xix. 39: Acceperunt ergo corpus Christi, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus. Græce ἐδησαν εν οἵστιοις. Ac cap. xx. 6. 7. refert, ut Petrus insitiens in sepulcrum viderit tum sudarium, quod fuerat super caput, tum linteamina (τὰ οἵστια) seorsim collocata. Videmus, his locis partim sola memorari οἵστια; partim κεισίας cum sudario; partim, cum eodem οἵστια. Vnde consequi videtur, idem signari per κεισίας, & οἵστια, h.e. per fascias, & linteas. Nempe quia linteas fasciatim nudo corpori circumvolverentur. Præsertim cum, ut dicitur δεδεμένοις κεισίας, ligatis fasciis sive institis, vel taniis: sic etiam dicatur ἐδησαν εν οἵστιοις, linteis sive linteaminibus vinxerunt. Aliorum tamen opinio est, corpus prius fuisse sindone circumvolatum, ac dein-

* P. 164.
& seq.

deinde fasciis sindonem constrictam: vel nudo corpori fascias admotas, ac deinde circumplexitam esse sindoneim. Ac pro hac sententia facit, quod præter sudarium in memorem o*gōvia*, h. e. linteamina, numero plurativo: ut diversi generis linteamina intelligentur, eoque sindon à fasciis sit diversa. De linteis sepulcralibus satis.

12. §. *His à Nicodemo, & Iosepho, curatis, corpus Christi non arca prius inclusum, atque hinc sepulcro est immisum, ut moribus nostris obtinet; sed ita uti erat linteis involutum, repositum est in sepulcro.*

Tradunt Rabbini, in speluncis suis loca excavata: in quibus cadaver fasciis suis involutum reponeretur: ac cavum istuc fuisset pro arca nostra.

Sepulchrum id Christi spelunca fuit, unde & cryptam à veteri scriptore videoas nuncupari. Etiam coimparant veteres cum Ecclesiæ concha: videlicet quia spelunca, quæ Dominicum corpus continuit, structuræ erat concamerata: uti templi pars interior non pro teeto lacunar haberet, sed cameram, quam absidem, & concham dixerat: ac dimidiati hemisphærii figuram habuit, sive quartam referebat partem sphæræ: uti testudo vocabatur, si hemisphærium referret; fornix, si hemicylindrum. De quibus, ut solet, eruditus Salmasius ad Solini Polyhistora *.

* Pap. 1211.
& quatuor
sequentibus.

13. §. *Paupertatem vero Christi arguit quod alieno impositus sit sepulchro: uti & quod alieno unctus unguento, & alieno sindoni involutus. Divinam quoque providentiam ostendit, quod prope locum, ubi crucifixus erat, sepulcrum hoc foret, cum ob imminens pascha, longe eum transferendi non suspeteret tempus. Eandem demonstrat, quod hoc sepulcrum fuerit novum, & è petra excisum.*

Nisi enim novum fuisset, dicere potuissent, alium ex eo resurrexisse: & nisi è petra excisum, suspicari potuerant, discipulos per cuniculos esse ingressos sepulcrum, atque ita corpus susturatos.

14. §. *Ita vero repositus est Christus in spelunca, ut facie respiceret Occidentem.*

Qua de re ex Adrichomio dictum cap. vi, cum agereimus, quam

partem cæli spectaritin cruce pendens. Aliter tamen Beda, qui sic situm censem, ut capite à Septentrione Austrum respiceret.

15. §. Post hæc officia ingens saxum est ad volutum ori monumenti.

Quod & factum in sepultura Lazarī; unde Ioannes: Ἡν δὲ σπήλαιον,
καὶ λίθος ἀπέκειτο ἐπ' αὐτῷ. Causa hujus moris gemina erat: partim ne sacerdici posset in cadaver: partim ne furtum auferretur.

16. §. Atque hæc virorum fuere officia circa sepulturam Christi. Muliebre vero illud, quod femina complures, in que iis præcipue haeduae, Maria Magdalena, & Maria altera, uti à crucifixo non potuerant avelli, ita etiam postquam à cruce esset depositus, viros sunt secuti, qui pollinsteræ, & sepultura curam suscepserant. Atque haec regione monumenti confederunt, sedulo observantes quid de corpore fieret, atque ubi sepeliretur: idque eo animo, ut exacto sabbato eo redirent pollinctoria ergo. Nec Christus modo terra mandatus fuit, sed & crux de qua pependerat Christus: immo & illa, quibus affixi fuerant latrones, istic loci, ubi steterunt prius, obruta terra fuerunt: atque id omne ex Iudeorum more factum.

Consuetudinem eam ex Rabbinis observarunt complures. Solum dicam duos, Orientalium literarum peritissimum Joannem Morinum, Parisiensem Theologum, & suum virum Constantiū L'Empereur, in Leideni Academia antehac collegam meum conjunctissimum. Si veteres ipsos, hoc est, fontes consulere malis, adeatur Maimonides opere inscripto *Manus fortis*, tractatu Sanhedrim cap.xv, num. ix, & coimmentario in Misnajoth, eodem tractatu, in fine cap. seu sectionis vi. & ipsum Misnajoth, eopse tractatu, cap. vi, num. v, & vi, & Ghemara initio cap. vi, ut mittam cæteros.

17. §. Perro universa hac contigere instante jam Sabbatho.

Lucæ xxii. 54: Καὶ ἤρεξε ἦν τὸ πρόγονόν την, καὶ οὐδὲ βατον ἐπέφωνε. Et dies erat Parasceves, & Sabbathum ilucescebat. Aliter dies, aliter
nox

nox θητφωσκει: dies beneficio Solis; nox munere Lunæ ac siderum. Hic serino de nocte illucescente: quia à nocte inciperet dies sive τὸ νυχθίμεγον Iudæorum. Non tamen hic locus tam de initio noctis capiendus, quam de vespera præcedente, sive ultima hora diei Veneris. Nam subdit Euangelista, mulieres spectasse, ubi reponeretur corpus Christi, ac aromata præparasse ad inunctionem, quam post sabbatum exsequi deicerant. Ista sane contigerunt die Veneris, paullo antequam Sol occiderit. Non igitur vox θητφωσκει à Luca accipitur, sicut à Matthæo *. Ille loquitur de luce matutina: hic de * Matt. 28. vespertina.

^{I.}

18. §. Postera ubi dies illuxit, quo Sabbatum magnum erat, principes sacerdotum ac pharisei, neglecta religione sabbati, rogarunt Pilatum, ut, quia Christus, quem impostorem vocabant, dum viveret, dixisset, se die tertia resurrectum, eo sepulcro custodiam adderet, ne discipuli corpus furtim auferrent, ac postea in plebe spargerent, eum resurrexisse: atque ita error de Iesu posterior priori esset periculosior. Ad qua Pilatus respondit, posse eos ad hanc rem uti custodibus, quos haberent.

Romanam κατωδιες vocem retinuit Matth. xxvii. 65: Εχετε κατωδιαν. Ac similiter vers. seq. & xxviii. 1. Nec mirum id: quia Romani erant milites. Siquidem, ut superius dictum, præses Romanus vigilibus Iudeis ad templi custodiam addebat cohortem, quæ quia hominum erat gentilium, eo, qui ex illa cum Iuda preditore veniebant ad capiendum Christum, αὐταρτωλοὶ sive peccatores dicti Matth. xxvi. 45. Cum vero dicat Pilatus, Κατωδιαν ἔχετε, liquet, Iudeos, quo tempore hanc cohortem Romanorum militum habebant, imperium in eam cohortem habuisse. Neinpe parebat ea σερτηγῷ, cuius officium erat, ex Synedrii iussu iis manus injicere, qui deliquerint contra legem.

19. §. Eo impetrato, ut etiam milite Romano ad sepulcri custodiam uti liceret, Iudei lapidem sepulcri obsignarunt, & sepulcro milites apposuere, qui corpus custodirent. Quomodo iterum ignari inservierunt providentiae divinae.

Sperabant enim impii Iudei, se posse hoc pacto impedire, ne surre-

surrexisse postea crederetur. Sed contra evenit, ut sic potius miraculum ac fidem resurrectionis firmarent. Nam ob signatione sepulcri, & addito custodum grege, sublata est occasio, ne à discipulis esse sublatus putaretur.

C A P. XIII.

De descensu Christi ad inferos.

1. §. *Post sepulturam Christi in Symbolo, quod Apostolicum vocatur, subjici solet descensus ad inferos. Quem aliqui olim intellexere secundum naturam divinam. Sed perperam, cum Deus omnia impletat sua g̃oia; eoque proprie non possit dici adscendere, vel descendere.*

Vide Fulgentium lib. I ad Thrasymundum, Vandalorum regem: ubi eos, qui alteram sententiam amplectentur, oppugnat.

2. §. *Omnino autem intelligendum de humana natura. Sed sic quoque in controversia est, utrum capere oporteat ratione animæ, an corporis: & si ratione animæ, num metaphorice, an proprie: si ratione corporis, num ratione sepulturæ, an triduana in sepulchro detentionis. Metaphorice de animo intelligere oportet, si signatur status animæ in loco invisibili.*

Sic transfert ἀδην̄ vetus Irenæi interpres: nempe ut ἀδης idem sit ac αἰδης τόπος. Nec tamen Irenæus metaphorice cepit, ut quidam juniorum; sed proprie, ut mox parebit.

3. §. *Proprie vero de animo intelligunt, quibus placet, animam Christi abiisse in loca infera; idque in locum, ubi Patrum animæ asservarentur, quo inde eas secum assumeret in paradisum. Imo, juxta alios, etiam in gehennam, ut sibi vietorem ostenderet spiritibus malis.*

Quidam contenti sunt dicere, abiisse in locum, ubi animæ Patrum detinerentur, usque dum Christus pro eorum peccatis satisfecisset. Atque ita interpretantur, quod captivam dicitur * duxisse captivitatem. Addunt, cum hisce sui triumphantis comitibus, &

* Ephes.
4. 8.

asseclis se se in paradiſo ostendisse Patri, mortis ac Satanae victorem. Sed alii ulterius progrediuntur: qui volunt, etiam inferorum infima penetrasse, non quidem, ut pateretur, (cuisententia nimium quantum aduersatur, quod in cruce dixerit Christus, jam esse consummatum:) sed ut malis spiritibus se ostenderet; non tanquam reum, sed velut victorem. Quare descendit ille eo, sed sine dolore: quia jam satisfecerat Patri pro inferorum doloribus, quos perpeti nos oportuisset, absque misericordia Dei foret, & Christi merito.

Sane & Irenaeus lib. v. cap. ult. ait, postquam Christus exspirasset, animam ejus triduo conversatam cum animis defunctorum. Est & Fausti Regiensis lib. de Fidei Ratione: *Corpus in tumulo, anima in inferno, divinitas in paradiſo*. Similiter Vigilius lib. i contra Eutychem, & alii multi: in his Nicephorus Callistus lib. i Histor. Eccles. cap. xxxi. Itidem creditum, piorum, impiorumque animas esse sub terris. Saltem Novatianus, qui contra Cornelium episcopus creatus fuit, sic statuit lib. de Trinitate. Eoque antiquior paullo Tertullianus lib. de Idololatria cap. xiiii, & Lazarum, & divitem, à morte apud inferos collocat. Sed hunc ait esse in tormentis ignis: illum vero consecutum esse refrigerium: hoc est, esse istuc, ubi erit refrigerium animabus donec summa erit perfectio in omnium resurrectione. Hilarium audiamus in Psalm. cxxxvii: *Humana ista lex necessitatis est, ut, sepultis corporibus, ad inferos animæ descendunt*. Aliqui malunt dicere, sic quidem fuisse ante resurrectionem Christi: sed à resurrectione ejus piorum animas non ultra esse apud inferos. Hieronymus Marci xiv: *Vespera diei, vesperam indicat mundi; circa undecimam namque horam veniunt novissimi, qui primi denarium vita accipiunt æternæ: quia ante crucem Abraham erat in inferno, & post crucem latro in paradiſo*.

Gentiles, quando Tartarum, & campos Elysios, loca credere vicina, videntur istuc hauiſſe ab antiquissimis, qui tum bonos statuerent inferos, h. e. paradisum, tum malos, sive gehennam.

4. §. *Qui vero ratione corporis accipiunt per descensum ad inferos, intelligunt, vel sepulturam, quæ contigit eodem die ac Christus est passus: vel detentionem corporis in sepulcro, quæ duravit, donec tertio die à mortuis resurrexit. Si horum alterutrum magis placere dixero, Patrum mihi ob-*

jiciatur auctoritas: à quibus invitus discedere soleo. Sed non leve est, quod nusquam id legitur in Scripturis, licet aliquos hoc ex iis colligere non ignorem. Præterea Patres hoc dogma de descensu animæ Christi non habuere pro capite, sive, ut nunc loqui solemus, pro articulo fidei. Unde id videas prope in omnibus symbolis omitti.

Vt in ipsius Synodi Nicenæ Symbolo. Vbi profecto non præteriissent, si dogma hoc agnovissent. Quippe eo nihil magis valuerit ad refellendum Arrium: Siquidem is negabat Christum habuisse animam: ac divinitatem ei pro anima fuisse aiebat. Quod & paullo post defendit Apollinaris, Laodicenus presbyter. Itidem neque legas in Antiocheno 11, & Sardicensi; uti & utraque Sirmiana, quarum priori Liberius, alteri Osius Cordubensis subscriptis. Nec meminist confessio fidei synodi Illyricæ, vel concilii Romani 111, in quo Apollinaristæ, inter alios, damnati. At nihil magis ad expugnandos eos valuerit. Nec meminere Concilia duo Oecumenica, Constantinopolitanum, & Chalcedonense. Nec Toletanæ synodi, vel quod Pelagius edidit, ut orthodoxus crederetur. Neque repetitur in confessione à Cyrillo, nomine Concilii Ephesini, edita: nisi quis eo trahat, quod dicatur spoliaſſe infernum. Sed hoc notat, mortem viciſſe, de que ea triumphaſſe resurgendo. Non in symbolo Charisii Philadelphensis presbyteri, repetito in concilio Chalcedonensi. Nec in Euthychetis responsione, tempore ejusdem concilii. Nec habet symbolum Gelasii episcopi Romani, Neatium, & Iustiniani Imp., vel ejus editum. Non Agathonis episcopi Romani, non Damasi papæ, non Macarii Antiocheni archiepiscopi, qui in Monothelitarum postea sententiam transiit: non Sophronii, quod est in concilio oecumenico vi, sive Constantinopolitano gen. 11. Non Confessio Patrum concilii Hispalensis 11. Non Agapeti. Non concilii Lateranensis, Toletani xii, Bracarensis 111. Non veteris Ecclesiæ Alamannicæ symbolum à Goldasto editum Tom. 11 Antiquitatum Alamannicarum. Non Concilii Tolet. xiiii, vel xvii. Non Nicenæ syn. 11. Non Maxentii Theologi. Non B. Basilii & Epiphani. Non synodi habitæ in encæniis Antiochenæ Ecclesiæ. Non concilii Francofurtensis sub Karolo M. Non concilii Parisiensis sub Ludovico & Lothario. Non Wormatiensis. Vt tandem finiam, in symbolo Athanasii mentio fit; sed potest ibi de sepultura intelligi. Et non esse id Symbolum Athanasii, imo neque

que ante annum fuisse sexcentesimum, fuse ostendimus libro de tribus Symbolis. Fit etiam mentio in Forojuliensi & Arelatensi: sed ea conciliorum sunt recentiuin Symbola.

5. §. Sic igitur statuimus: Orientales per descensum Christi ad inferos primitus intellexisse quod Occidentales vocarent sepulturam: ac errore quodam factum esse, ut cum prius, qui unum dicevent, alterum paterirent, ambo postea coperirent conjungi. Sane temporibus Rufini, hoc est, circa annum quadringentesimum, ipsa Ecclesia Romana erat contenta minimisse solius sepulturæ: Aquileiensis vero Ecclesia habuit quidem utrumque in Symbolo suo; sed si ex Rufini mente iudicandum, unum idemque ambobus significari arbitrabatur.

Non abesse à Romano, vel Orientalibus, ait Petrus Faber Agnosticō lib. 111 cap. x. Sed abfuisse olim, clare indicant hæc Rufini verbain Expositiōne Symboli §. 20: Sciendum est, quod in Ecclesia Romana Symbolo non habetur additum, Descendit ad inferna. Sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo. Vistamen verbi eadem videtur esse in eo, quod sepultus dicitur. Contra vero eo in Symbolo, quod Athanasii dicitur, habetur de descensu ad inferos, non item de sepultura. Errore vero ea conjungi, etiam iudicium est doctissimi Valentini Scindlerī, sic in Lexico suo scribentis in voce Sheol: Habetur in Symbolo Constantinopolitano: Passus etiam sub Pontio Pilato, ac sepultus est. Pro quo in Symbolo Athanasii: qui passus pro salute nostra descendit in infernum. Postea illa unum & idem significantia conjuncta fuerunt, tanquam duo, & diversa.

6. §. Ac pro sententia hac multum facit, quod pro ἀδη sive inferis, Hebraice sit sheol: quod notare terram sive sepulcrum, minime est dubitandum.

Itaque illa Patriarchæ verba Genes. XLII. 38, Deducetis cum dolore canos meos in Sheol: auctor libri Tobith sic reddidit: Deducetis cum dolore vitam meam εἰς τὸν τάφον. Arabes pro sheol habent tara: quod Valentinus Scindlerus in doctissimo Lexico suo vertit terram. Vt hinc quoque colligere sit, sheol, ἀδη, inferos, terram denotare, quatenus est mortuorum receptaculum. Nec aliter accipitur 1 sive 111 Reg. cap. 11. vers. 6, & 9: quibus David moriturus præcipit Salomonī, ut ne canitiem Ioab, & Simei, pacifi-

ce & sine sanguine deducat ad *sheol*. Vbi gehennam non possumus intelligere: nec enim hæc pœna à judice terreno infligitur: sed plane signatur sepulcrum, statusque mortuorum: in quorum numerum etiam Ioab, & Simei, jubet referri.

7. §. *Quando vero errore conjungi hæc duo cuperint, de sepultura Christi, & ejusdem ad inferos descensu, solide nequit comprobari.*

Non constare id, etiam Busæus agnoscit. Erasmus putabat, id factum ab Thoma Aquinate. Vixit is anno **cI** ccc **LXV**. Aliqui hoc eo refellere conantur, quod mille annis ante id in Symbolo Athanasii legeretur. Hunc vero id Symbolo inferuisse, Goldastus putabat, quia valde faceret adversus Arrium, uti & Apollinarem. Vterque enim negabat, Christum habuisse animam. Sed non esse id symbolum Athanasii, luculente, ut arbitror, evicimus opusculo de Tribus Symbolis. Præterea Athanasiano in Symbolo non est de sepultura, ut per eum descensum sepulturam ejusce Symboli scriptor potuerit intellexisse; sicuti antea referebam.

8. §. *Sed si omnino visum, ambo in Symbolo sociare, ut diversa: nihil commodius per descensum ad inferos intellexeris, quam triduanam mortis potestatem in Christum: sive statum animæ in morte, tum ab excessu è corpore usque ad sepulturam, tum inde porro tempore triduanæ commorationis in sepulcro. Quomodo uti de cælo descendit, ut nascetur, ad inferos descendit, cum moreretur.*

Quod est apud Augustinum Quæst. in Genesim. Ac pro hac sententia facere videntur Patrum illi, qui, ut superius dicebamus, ἀδν, quo Christus descendit, commune faciunt animarum domicilium, tum infidelium, tum fidelium: inque hoc ἀδη animas dicunt detineri usque ad resurrectionem, nec ante id tempus in cælestem gloriam pervenire. Vide, inter alios, Tertullianum contra Marcionem lib. **I** cap. **xxxiv**, Hilarius in Psal. **cxx**. † Andream Cæsariensem in Apocalyp. cap. **xvi**: ubiloquitur de stolis albis animarum in sinu Abrahæ recumbentium, & iussorum pusillo tempore, donec numerus electorum consummetur, gloriam æternam exspectare: deinde vero subjungit; Πολλοὶ γὰρ ἡγίων τέτο εἴρηται, πόχως ἀξιεῖται

* **Pag. 532.**
edit. Basili.
a 1570.

ειληφέναι της αρετῆς ἐργατῶν ἔκαστον. δι' ὧν οὐ τοῖς τοι μετάσπους αὐτῶν
δόξης τεμαχίζονται. Multorum namque sanctorum sententia est, unumquem-
que virtutis cultorem locum factis suis dignum post hanc vitam sortiri; ex
quo de gloria sibi preparata certam conjecturam facere soleat. Nempe hoc
vult, licet animæ ante judicii diem neendum penitus, vel fruantur
gaudiis, vel plementantur pœnis pro meritis: eo tamen & loco esse,
& conditione, ut præjudicia futuri sentiant judicii. Ex opinione à
Græcis hausta Grammaticis ἄδης dicitur, quasi αἰδής πάτερ, unde
& locum invisibilem reddidit vetus B. Irenæi interpres. Sane satis
convenit, locum eum non posse à nobis videri: uti neque status ani-
mæ, nec ipsa animæ στοιχία. Sed de originatione adlata non adsentio.
Magis placet Αὐδων, sive Dorice Αὐδων, esse ex πάτερι Adamah, ter-
ram significante. Spiritus ex fine trajectus in initium: *m*, autem
in: *n* commutatum, quia nullus Græcis casus in *m* desinit. Ab
eadem igitur voce est Αὐδης, à qua primus homo nomen accepit
Adam: quia ab *Adamah*, h. e. terra, *Adam* dictus, quia ex terra
sumtus; uti &c, in eandem reversurum, Deus pronunciat. Imo &
ejusdem est originis Arabum M A H A D, & cum articulo A L - M A -
H A D, quod ipsum notat Αὐδων. Fidem fecerit, quod cædem sunt li-
teræ, ac in A D A M A H: sed καὶ μεταπτυσσον. Trajectio hujusmodi vel
est à confusione Babylonica, vel inde, quod linguae paullatim sint
corruptæ. Quid mirum autem, si Arabum vocabula usque adeo
conveniant cum vocibus Hebræis? quando Arabes sunt Ismaëlitæ
rum propago. Ismaël autem filius Abrahæ; frater Isaaci, cuius fi-
lius Iacob, sive Israël, Ismaël's frater. Quid mirum item, si Græ-
ca consonent Hebræis, quando Græcorum pars est à Cadmo & aliis
è Phœnicia advenis? de quo nobis dictum in primo de Arte Gram-
matica cap. x. Porro non temere dicebamus, S H E O L, et si pro-
prie sit sepulchrum, sive subterraneum corporum receptaculum,
figurate tamen etiam accipi pro statu mortuorum, sive detentio
in morte. idque bifarium, quia alius ἄδης communis, alius pro-
prius, vel damnatorum. Nempe corporis locum posuere pro ani-
mæ conditione. Sic enim sumitur Genes. x x x v i i . 35. ubi liberis
suis Patriarcha ait, *Descendam in s h e o l ad filium meum*. Saltem ge-
hennam hic intelligere non possumus, quia nec Iosephum, juvenem
pium, nec etiam se, eo descensurum putabat Iacob: quæ inter-
pretatio facilius obtineret locum, cum Dathan, & Abiron vivi di-
cuntur descendisse in Sheol. Supereft igitur, ut vel sepulcrum, vel

mortuorum conditionem intelligamus. Sed si retineamus interpretationem adlatam, vix possis sepulcrum intelligere: quia, ut observatum Origeni, non putavit Iacob, corpus Iosephi esse sepultum, sed varia per loca dispersum: ut quod diceretur à fera laniatum. Quare dicendum, per SHEOL intelligi statuum mortuorum, vel saltem quemcunque locum, ubi sit mortuus. Iuxta illud Mæcenatis: *Nec tumulum curro, sepelit natura reliktos.*

Possis tamen sepulcrum intelligere, si placet interpretatio R. Salomonis Iarchi, qui exponit, *Descendam in Sheol propter filium meum. Hebr. ELEBENI.* Ut intelligatur mortis causa, non consortium.

Status iste mortuorum ex primorum seculorum judicio, non ejus erit felicitatis, ac ille à resurrectione. Sic enim statuunt, defunctis lætitiae fore, quod quiescant à labore, & securi exspectent gaudium æternum. Interim eo minorem esse lætitiam, tum quod anima sit à corpore separata, sine quo actus exercere exteriores non possit, vereque sit imperfætum quiddam: tum quod ingenti flagret desiderio denuo assumendi corporis, & plena fruendi beatitate: quod desiderium significatur Apocal. cap. vi. per clamorem animarum sub altari: ut etiam exponit Gregorius Magnus. Sed neque Tertullianus, & alii, quando de refrigerio animarum loquuntur, aliud existimandi intelligere, quam solatium divinum ad tanti desiderii ardorem atque æstum melius ferendum.

9. §. At neutquam per descensum ad inferos intelligere in Symbolo licet inenarrabiles animi angores, quos Christus est in cruce perpessus: nam illi angores intelliguntur in capite illo Passus est, nec alii superfuere, postquam Christus ipse dixit, esse jam consummatum.

Quare non possumus doctissimis viris assentire, quando in tam brevi Symbolo, non sine magna ordinis perturbatione, post mortem, atque adeo sepulturam, subjici ea arbitrantur, quæ ante mortem contigerunt. Respondent, in voce Passus, solum intelligi visibilem passionem: hic signari angores animi, qui non videntur. Velle autem ostenderent, usu Scripturæ hoc pacto ea distingui solere. Et sic quoque de descensu ad inferos ante sepulturam collocari debuitset. Interea neque hic ullus est fidei error, quia certissimum est, acerbissimos, imo ineffabiles fuisse dolores eos, quos Christus pro nobis pertulit in cruce. Sic igitur de hac & illis Patrum inter-

pre-

pretationibus censeo, hominem, ut veritatis, sic etiam pacis aman-
tem, non tam sollicitum esse oportere de modo descensus, quam
de fructu ejus. Genus teneamus; de modo nulli præfracte moyea-
mus litem.

C A P. X I V.

De nocturno Tempore, quod Resurrectionem
Christi proxime antecessit. Vbi &
de Pervigilio Paschæ.

1. §. **S**upereft ut, priusquam ad Resurrectionis historiam
veniatur, agamus de tertio Sepulturæ die: non toto,
sed ea noctis parte, quæ præcessit Resurrectionem.

Dies hæc Matth. xxviii. 1. μία ὥραν vocatur, quæ Ioan. xx. 1.
περών. Nempe est Hebraismus. Sic Genes. 1. 5. יְמֵן יוֹם, dies unus,
pro πωρι primus. Theophylactus in Lucam: Παρὰ Εὐτρόπῳ τῷ
μίᾳ ὥρᾳ περών. Neque Latini hoc sermonis genus ignorant.
Cicero in Catone: Qui uno & octogesimo anno mortuus est.

2. §. Duo autem sunt, quæ ad hanc noctis partem pertinent.
Prius in Scripturis memoratur. Alterum pertinet ad
tempora consecuta. Illud est, quod ejus diei vespere, unde
Inde diem ordiuntur, mulieres aromata emerunt. Nem-
pe mox à sabbato: ut ait Marcus xv i. 1.

Obstare tamen videtur, quod Lucas xxii. 56. in parasceue pa-
rasse aromata, & unguenta, censet, quia plures fuerint mulieres, à
pluribus emta aromata: ut si Maria Magdalena emerit mox à mor-
te Christi ante occasum Solis: post quem incipiebat Pascha: Ioan-
na autem Chuzæ, & ipsa primaria femina, id fecerit exæquo paschæ-
te, sive vespere, quæ excepit sabbatum. Sabbato ipso emere ni-
hil licuisset: ideoque emere partim proxime ante sabbatum, par-
tim continuo post illud.

3. §. Emere ea mulieres, ut inungerent Christum, sicuti
Lucas innuit, clareque dicit Marcus.

Id quidem fieri ante sepulturam solet: quemadmodum dictum,
cum

cum de Nicodemis factō superius loqueremur. Sed tum à mulieribus hisce id non potuerat fieri, quia festinato opus erat in sepultura propter imminens pascha.

4. S. Atque hec de historia mulierum aromata ementium ad Christum inungendum. Alterum pertinere dicebamus ad veteris Ecclesiae morem. Estque istiusmodi. Solet vetus Ecclesia in templis ad medium usque noctem detineri: vel ut exspectans Dominum ac Regem suum Iesum Christum: qui exinde resurrexit.

Tertullianus lib. II. ad Vxorem: *Quis (infidelis maritus uxori Christianam) nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter feret? Quis denique solennibus Pasche abnoctantem securus sustinebit? Quem locum* B. Rhenanus in argumento hujuscē libri illustrat ex B. Hieronymo: qui cum narrasset Iudæorum opinionem de Messia in media nocte venturo, in similitudinem Ægyptii temporis, subjungit deinde hæc verba: *Vnde reor, & traditionem Apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum Pascha, ante noctis dimidium populos dimittere non licet, exspectantes adventum Christi, & postquam illud tempus transferitur, securitate presumta festum cunctis agentibus diem.* Hæc nox Eusebio in v. 1 Histor. Eccles. nunc vocatur η μεγάλη η παράκλησις, η μεγάλη η ουάτη η πάρακλησις. Etiam uterque Gregorius, & Nazianzenus, & Nyssenus, uterque oratione de Pascha, prior etiam oratione funebri in Patrem, tradunt, noctem eam, quam Pascha, sive Resurrectionis festum proxime præcessisset, lumini bus ac flammis coruscasse. Nec alio respexit Ausonius Burdigalen sis in versibus rhopalicis, sive idyllio xxix; nisi id idyllion, ut ve reor, supposititium sit:

Ad temet properant vigilatu convenientes.

Nox lucem revehet funeralibus antevehendam,

Nox lumen pariens credentibus indubitatum.

GERARDI IOANNIS VOSSII

HARMONIAE EVANGELICÆ

D E

DOMINICA PASSIONE,
Morte, Resurrectione, ac Ascensione,

LIBER TERTIVS:

*In quo agitur de Iesu Christi Resurrectione &
adscensu in Caelos.*

C A P. I.

De Resurrectionis tempore & modo; deque monumentorum apertione.

1. §. **N**unc exsequar de Resurrectione Christi. De quam mirandum, cum nihil exactius narretur ab Euangelistis, nusquam tamen plura se offerre cœvalloφavñ: idque, ut de Euangelistis aliis riteam, etiam inter Matthæum, & Marcum; qui magis cateris solent convenire. Et hæc ratio esse videtur, cur plerique librarii ea in Marco præterierint, quæ cap. XVI. leguntur, à versu nono, qui incipit, Αναστας, ad libri usque finem. Nempe credebant, ea non posse conciliari cum Matthæo, eoque tutius omitti.

Sane pars ea capitinis abest hodieque à MSis quibusdam: ac quam antiquus sit is defectus, arguit, quod ejusdem meminit Gregorius Nyssenus: uti & Hieronymus ad Heditiam quest. 111: ubi ait, verba illa in rarijs ferri Euangeliis, omnibus pene Græciæ libris hoc capitulum in fine non habentibus. Idem quoque inibi illam, quam attuli, causam

præteritionis adducit. At non audiendi, qui putant, Marcum quidem ultra versum viii. historiam Resurrectionis texuisse, sed amissam fuisse paginam extremam. At quando quæso sit perdita? utrum superstitio Euangelista, an mortuo? Si vivo, cur non postulatum à Marco, ut reponeret deperdita? Diu enim, post conscriptum Euangelium, Alexandrinæ præsul Ecclesiæ. Si mortuo, cur non potius ex Matthæi Euangelio suppletum, præsertim cum in multis adeo convenienter ut multi compendium esse alieni operis putarint? Præterea quis dubitet, quin simul ac Euangelium illud in hominum manus venit, plurum manu fuerit descriptum; præsertim in Ecclesia Alexandrina: ut unius, vel alterius codicis defectum, ex aliis facile fuerit supplere. Et sane extimam ejus capitis partein habent etiam interpres Syrus, Arabs, ac Latinus. Agnoscit etiam B. Irenæus lib. ii. cap. xxxvi, & præcipue lib. iii. cap. xi.

2. §. Nec inutile fuit, ita ἐνωπούσιος scribi ab Euangeliis. Nam opinio alioqui foret, conspirasse eos, & quod proverbio dicitur, de compacto rem gessisse, ut in velabro olearii solent. Adhac factum id videtur ad excendam fidem & sedulitatem nostram. Nam si serio, ut convenit, penitulemus cuncta, comperiemus, pugnam in iis esse nullam: eam vero, quæ esse videtur, non à scribentium, sed legentium vicio provenire.

Quod ut pareat, animus est cuncta ea, quæ ab Euangelistis de Resurrectione scripta sunt, commemorare hoc loco, eaque, non sine veterum ductu in plurimis, in nonnullis etiam juniorum, ita digerere, ac componere, ut verissimum esse liqueat, quod dicebamus.

3. §. In Resurrectionis historia considerabimus tum tempus, & formam sive modum: tum multiplicem ejus confirmationem. In tempore attendimus, quo die, & qua diei parte. Quod ad prius, cum feria sexta sit passus, mortuus ac sepultus, septima autem tota jacuerit in sepulcro; consequitur, resurrexisse feria prima, quæ vulgo Solis dicitur: ac in honorem Dominica Resurrectionis Dominica appellatur.

* Apoc. i.
10.

Vtrum vero & sic accipiatur in Apocalypsi*, non æque est apertum. Nam possit Ioannes intellectus non feriam primam hebdoma-

hdomadis, quæ quinquagies bis in anno recurrit: sed eum pse mensis ejusdem diem, quo resurrexit: qui dies semel recurrit in anno. Cur vero Resurrectionem Dominicam non celebremus decimasexta die primi mensis, id ex eo est, quia Passionis Dominicæ dies non semper incidit in diem Veneris: sed quandoque alium hebdomadis diem. At (ut superiori libro dicebamus) æquum fuit, ut Resurrectione Dominicæ Dominico die, quando e o resurrexit, celebraretur. Quare satius visum, ut Passionis Dominicæ jejunium semper incideret in feriam quinquætam: quia alioqui resurrectionis festum incideret in feriam secundam, tertiam, quartam, quinquætam, aut sextam. Ea vero feria, qua à Christianis memoria Resurrectionis celebratur, Pascha jam à plurimis seculis nominatur. Nempe aliud est Pascha Iudaicum, aliud Christianum. Illud incidebat in diem decimam quinquætam mensis Nisan: eo enim immolabant suum phasæ. Hoc vero in Dominicam quæ Iudaicum festum proxime con sequeretur, idque in memoriam non passionis, sed resurrectionis Dominicæ. Iudaicum igitur pascha erit pesah sive transitus de vita ad mortem, quia agnus vivus occidebatur. Nostrum est pesah, sive transitus à morte ad vitam, quia Christus qui mortuus fuerat, tum resurrexit. Dies quo paslus est Christus, jejunio celebratur. At, ut Ambrosius ait epist. LXXXIII., *Pascha nostrum non passionis, sed latitiae est, & resurrectionis.* Qui vero primus hebdomadis, is octavus est, si ultra hebdomadem procedas: eo & Resurrectionis dies octava dici potest. Itaque misterium in eo statuit B. Ambrosius, quod templum foret octochorum, ac fons ejus octogonus. Habes id Carmen in Thesauro Inscriptionum Collectionis Cruterianæ pag. MCLXVI num. VIII:

*Octachorum sanctos templum surrexit in usus,
Octagonus fons est munere dignus eo.*

*Hoc numero decuit sacri baptismatis aulam
Surgere, quo populis vera salus rediit,
Luce resurgentis Christi; qui claustra resolvit
Mortis, & è tumulis suscitat exanimis.*

4. §. *Quod ad partem diei, nox erat quando resurgeret, & quidem (Iudeorum judicio, quibus dies ab occasu incipit) post feria prima noctem intempestam.*

Vnum hoc objici possit, quod apud Matthæum, XII. 40, Chri stus

stus ipse dicat: *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tres dies, & tres noctes: ita erit filius hominis in corpore terra tres dies, & tres noctes.* Atqui primæ diei, si forte, hora diurna, saltem non ultra, triduo possit accenseri. Secunda die, quin integra fuerit in sepulchro, nullum est dubium. Tertiæ diei quæ prima erat hebdomadis, nihil ex spatio diurno sepulchrum sibi vindicavit: ex nocturno prope universum. Deest igitur triduo primæ diei nox tota: tertia dies integra. Sed non est operosum huic occurrere difficultati: quia *τριημέρης dies, & nox, ponitur pro die civili: quomodo triduum Christus in sepulchro fuit οὐαρεδοχής.* Hanc reī pluribus exposui lib. IV. Oratoriarum institutionum cap. VI II. §. VIII I, quæ non reponam.

5. §. Atque hoc de tertia Resurrectionis die etiam cognoscimus ex eo, quod Evangelistæ tradant, mulieres exacta jam hebdomade primo diluculo exiisse domo: jamque ortum Solēm fuisse, vel oriri cœpisse, cum ad sepulcrum pervenirent, deque Christi resurrectione edocerentur.

Hæc lucem majorem capient, cum mulierum testimonium excutiemus. Hic solam adduximus, ut liqueat, Christum die tertia surrexisse.

6. §. Sed queritur etiam, qua noctis hora resurrexerit. Maxime est verisimile, id factum sub Solis ortum, dum Maria Magdalena, ac mulierum aliae, irent ad sepulchrum. Videlicet illis iter cœpissentibus, differentibus etiam, quis lapidem devolveret, & angelus de cœlo descendit, & terra est mota, & lapis devolutus, & fuga in Vrbem facta custodiæ militaris.

Quomodo, quia jam luceceret, milites clare viderunt ea omnia quæ diximus, & percussi adeo, ut mortuis essent similes, mox fuga sibi consuluerunt, in urbe obviis, & præcipue in Vrbe proceribus narraturi, quanta vidissent miracula. Mulieres videntur nescisse de sepulchro militibus septo. Alioqui non tam consultassent in via de lapide devolvendo, ad quod viri aliqui potuerunt advocari à Maria Magdalena, & Ioanna, opulentis feminis, ut postea dicam: quam de custodibus sepulchri, qui non erant passuri, ut sepulchrum aperiretur.

Con-

Concors est veterum Patrum sententiæ, Christum vel media nocte resurrexisse, vel summo mane, sive paullo ante auroram. Cyprianus de orat. Dominica, circa finem: *Nam & mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quem credimus ante auroram resurrexisse.* Vide Durantum de ritibus Eccles. Cath. cap. vi, & vii.

7. §. Quæritur etiam, priusne lapis ab Angelo fuerit devolutus, quam Christus resurgeret: an Christus resurrexerit antequam devolveretur. Sunt enim, qui clauso velint sepulcro exiisse. Sed de hoc quid censem, inferius exponam.

Ostendam autem, eo devolutum ab angelo lapidem, ut Christus exiret sepulchro.

8. §. Hæc de tempore resurrectionis. Forma sive modus est, quod facta cum terræ motu, eoque magno: sic ut apertum esset indicium presentis virtutis divinæ. Is factus, ut illi etiam militum qui, obdormiscent, expergerentur, ac universi eorum fierent testes quæ evenissent. Nam, paucis excubias agentibus, permitti aliis solet, ut dormiant. Sed tanto terræ motu somnus facile excussus. Ita omnes oculis etiam suis videre angelum cælo descendenter, & lapidem de sepulchro devolventem.

Hinc Euthynius, Terræ motus factus est propter assidentes sepulchro custodes, ut timore terræ motus erecti, & horrore adspectus ejus, qui lapidem revolverat, consternati, fugerent, & hac Iudeis renunciarent, ac testes ipsi fierent veritatis.

9. §. Ea evenisse putamus, dum mulieres sunt in via.

Vnde factum, ut, quia post fugam militum venirent, Angelos solum, non etiam milites, viderent.

10. §. Hæc tenus dictum de Resurrectionis tempore, & modo. Nunc videamus, quibus veritas Resurrectionis confirmetur. Sunt ea varia. Ac primum, quod, quorum monumenta, moriente Christo, fuerant aperta, eorum corpora Christo resurgentे resurrexerint, & è sepulcris, quæ extra urbem erant, Hierosolymam ierint, atque ibi conspecta

sunt. De quo sic apud Matthaeum legere est , xxvii , 52 : Et monumenta aperta sunt , & multa corpora sanctorum , qui dormierant , surrexerunt . Qui egressi è monumentis post resurrectionem ejus introierunt in sanctam urbem , & apparuerunt multis . Neque hoc solum Resurrectionem Christi confirmat : sed pariter ejus resurrectionis efficaciam ostendit , partim in fidelibus ante memoratis , partim se deinceps exertura in omnibus credituris : quippe similiter resurrecturis virtute Christi .

Quæxeritur , num isti iterum mortui sint , uti Lazarus , qui à Christo resuscitatus fuerat : an cum Christo ad vitam resurrexerint immortalem . Posterius malunt recentiores , quia , ut aiunt , alioqui magis poenæ instar resurrectionis fuisset , multa deinde adversa in hac vita subituris . Sed aliter veteres . Et sane quod juniores dicunt , alioqui non fore certos resurrectionis testes : id non magni videtur momenti , quia quid deinceps de iis fieret , constaret nemini : eoque sat is eset , si resurrexisse eos innoteſceret . Nec sic iis , qui viderunt , illudebatur , quia abunde ita & animæ immortalitas , & potentia Dei in resuscitandis corporibus , imo & veritas resuscitati Christi , ostendebatur . Quibus aliud videtur , præterea aiunt , si iterum fuisset moriendum , non beneficium iis fore , sed tormentum . Id vero nihil est , quia jucundissimum his animis fuit Christum conspicere , & cum eo , sine dolore ullo , quod facile fuit Deo præstare , corpus defrentes adscendere in locum animis beatis destinatum , ubi æternum forent cum Christo ante Dei thronum .

C A P. II.

De testibus cœlestibus resurrectionis.

1. §. Præterea confirmatur Christi resurrectionis , testibus variis , & apparitionibus multis . Testes partim fuere cœlestes , partim terrestres . Cœlestes sunt angeli apud mulieres .

Nempe ut conceptio per Angelum significata est Mariæ ; & nativitas pastoribus ita & resurrectionis Angelico ministerio indicata Mariæ

riæ Magdalenaæ , cæterisque mulieribus ; posteaque & adscensio in cælos , per angelos relata ; & extremo judicio redibit Christus cum angelis buccina excitaturis & congregaturis mortuos.

2. §. *Duos fuisse angelos, tradunt Lucas xxiv. 4, & Ioannes xx. 12. Sed Matthæus & Marcus contenti sunt unum dicere, quia unus amborum nomine locutus fuit.*

Aliqui volunt , diversas esse narrationes , quia bis venerint mulieres ac sepulcrum . Et fatendum , hunc esse morem Euangelistarum , ut , quod unus narrat , id saepe alter prætereat : & tamen sic continuet omnia , quasi nihil esset omissum . Quo observato , variae saepe apparentes pugnæ tolluntur . Censent igitur , & idem hic factum . Quippe ubi desinunt Matthæus & Marcus , qui de uno narrant angelo , ibi incipere Lucam , qui omissis illis à Matthæo & Marco narratis , referat de regressu mulierum , & duobus angelis conspectis : & sic continuare historiam , nequid momenti majoris præterituni videatur . Speciosa oratio : sed tam multa in sermone angelico conveniunt , ut rem eandem narrari prorsus putem . Quare imagis sit verisimile , unum à Matthæo , & Marco referri , quia unus sit locutus : sed Lucam & Ioannem de duobus dicere , quia duo fuerint , & hoc pertineret ad firmam resurrectionem . Nec obstat , quod apud Lucam sit εἶπον , dixerunt . Nam νατὰ συνεδοχὴν angeli dixerunt , ponitur pro , alteruter : ut in Passionis Dominicæ historia , latrones exprobaverunt ei , pro , alteruter latronum .

3. §. *In hisce angelis considerantur hac quatuor. Primum à quo fuerint legati. Dicuntur autem angeli Domini , ac cœlitus descendisse. Quod ad legationis auctoritatem pertinet.*

Matth. xxvi. 11. 2 : *Angelus Domini cum è cælo descendisset , accessit ad monumentum . Nempe cælum est angelis quasi patrium solum , ubi Deum assidue laudent ac contemplantur . Inde , quoties Deus jubet , descendunt , ad mandata ejus exsequenda .*

4. §. *Angelis descendantibus , ingens terræmotus fuit.*

Nempe uti Christo moriente , ita & resurgente , terræ motus fuit . Matth. xxvi. 11. 2 : *Et ecce terræmotus factus est magnus . Angelus enim Domini descendit de cælo . Satis particula proprie sive enim indicat , terræ motum ab an-*

5. §. Subjicitur factum Angelicum, ad ostendendam resurrectionis veritatem. Dicuntur enim devolvisse lapidem ab ostio sepulchri: partim videlicet, ut Domino suo nostroque honestum janitoris officium prestarent: partim etiam, ut mulieres, posteaque discipuli, conspicerent, Christum non amplius esse in sepulchro.

Vtramque rationem adferunt veteres: nec omnes tamen. Neque enim desunt, qui priori causa adversentur. In quibus est incertus scriptor in opere interrogationum ac responsionum ad Orthodoxos, Iustino Martyri attributo, (ut & Hugoni Grotio * obser-

* In Matth. vatum) è variis varii temporis scriptoribus collecto: Is sic scribit 28.2. Responsione cxvii: Οὐ δέ τιν᾽ αὐτοὶ ἔχεσσιν, ὃ λίθος ἐν τῷ μνήματι ἐγένετο ἡ ἀφαίρεσις· αὐλάκιστος τὸ δηλωθῆναι τοῖς ὄρασι τινὶ ἀνάστασιν. Τοῦτο ἐν τῷ μνήματι τὰ μὲν ἐν τέφιασμας αὐτοὶ ὄραντι μάτια, αὐτὸν δὲ μὴ ὄραντι, δεῖγμα τὸ αὐτὸν ἐναργέστερον γένοντες αναστάτως. Non excitationis ejus gratia saxi ipsius devolutio de monumento facta est: sed eorum causa, qui id conspecturi erant. Nam quod sepulcralia ejus in monumento vestimentata viderunt, ipsum autem non viderunt: evidenter resurrectionis ejus fuit indicium. Sed nihil solidi adversus priorem caussam, quam is Scriptor negat, adserri potest.

6. §. Post factum angelicum in lapide devolvendo, quod comprebenda resurrectionis veritati inservit, videndum, quales se mulieribus ostenderint angelii. Hic attenditur ἀνθρώποις ex tribus hisce, forma, habitu, sive cultu, & situ. Quod ad formam, apparuere forma virili, ac quidem juvenili.

Nam apud Lucam xxiv. 4. est, δύο ἄνδρες: apud Marcum vero xiv. legas de forma νεανίου. Forma juvenilis conveniebat angelis, quia nunquam canescunt, aut consernescunt, sed perpetuo florent, ac vigent, vegetique.

7. §. Quod ad habitum, sive cultum, candido fuere amictu; quod symbolicum argumentum puritatis ac sanctimoniae.

Hinc

Hinc Ioannes xx. 12. sic de Maria Magdalena scribit: Καὶ θεωρεῖ
δύο ἄγγελος ἐν λευκοῖς, καθέζομενοι. Et videt duos angelos, amictos albis.
Pro eo, quod Ioannes dicit, ἐν λευκοῖς καθέζομενοι, amictos albis:
apud Lucam est: δύο ἀνδρες ἐν ἑστήσεσιν ἀσπεργίσεσι. duo viri in vesti-
bus fulgurantibus. Matthæus & Marcus de uno, ut dixi, narrant. Prior
de eo, οὐδέ τις αὐτοὶ ἀσπεργίη, καὶ τὸ ἔνδυμα αὐτοὶ λευκόν, οἵτινες χώρι.
adspexit eum, sicuti fulgor, vestimentum ejus candidum, sicut nix. Alter
sic: ρεανίσκοντες εἰς λευκούς σολωὶ λευκῶ, adolescentem amictum stola
candida. Ex eo, quod σολωὶ appellat, liquet fuisse vestem ad talos usque
demissam: quam Græci etiam ποδήρη nuncupant. Ea erat Pontificis
Maximi, quali indutus & Ioanni apparebat Christus Apocalypsius 1.
13. Alba vero, vel potius candida erat stola: qui candor synibolum
sit tui victoriae, triumphi, ac lætitiae: tui candoris, sinceritatis,
ac innocentiae: ut videre est Daniel. vii. 9. ac septenis Apoca-
lypseos notis.

8. §. Quod ad situm, Matthæi est xxviii. 3. 4. Ange-
lus Domini descendit de cælo, & accedens devol-
vit lapidem ab ostio, sedisque super eum. Amplius
dicit Ioannes xxii: qui duos memorans angelos, unum,
illum nempe qui amborum nomine locutus, sedisse dicit ad
caput: alterum autem ad pedes. Marcus, qui cum Matthæo,
solum meminit unius, eum sedisse ait ἐν τοῖς δεξιοῖς.

Hoc est, ad dextram partem, juxta locum ubi caput fuerat mor-
tui. De altero, utrum ad pedes à dextro, aut sinistro latere federit,
non refert Scriptura. Sed enim quidam putant, incertum, an federit
angelus, propter illud Lucæ xxiv. 4: Δύο ἀνδρες ἐπέσκοποι οὐτοις.
Quod vulgatus interpres, Erasmus item, & alii, verterunt, *Duo viri*
adstiterunt illis. Verum Illustri Hugoni Grotio * adsentendum, qui * ad Matth.
ἰφιστάναι vertit supervenerunt: quomodo eo verbo Hippocratem, & 28.2.
Herodianum uti, idem ostendit.

9. §. Haec tenus de τεσσαράκοντα forma, habitu, situ.
Sequitur angeli oratio: qua partim ἐπενοθωτικὴ, partim
διποδετικὴ. Prior solatum adserit consternatis, non quidem
ē mala conscientia, ut contigit custodiæ militari: sed imbe-
cillitate humana.

Nam dixit angelus : Μή φοβεῖσθε μέντος. Vbi ἐμφαπησθείται videtur ille ludus μέντος. Quasi diceret : Timeant milites; non vos. Quia cur metuere non debeant, hæc adnectitur ratio, quod sciatur, eas querere Iesum crucifixum.

10. §. Pars altera comprobat resurrectionem bifariam. Prius à prædictione Christi, cum dicitur, Ἡ γέρων, ὁ σπέρματος εἶπε. Surrexit; sicut dixit.

Ita Matthæus xxvi 11. 6. Pleniusque Lucas xxiv. 5. 6. Quid quaeritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit: recordamini, ut dixerit vobis, cum adhuc in Galilæa esset: dicens, Quod oportet Filiū hominis tradidisse in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertio die resurgere.

11. §. Deinde firmat eandem ab αὐτῷ, sive oculorum sensu, cum additur: Venite, videte locum, ubi situs fuit Dominus.

Vbi angelus αἰώνων dicit, Dominus; tanquam Dominus & angelorum, & hominum. A resurrectione enim cœpit regnum Christi in hos, & illos.

12. §. Tertium locum obtinet mandatum geminum: prius ut lugentibus discipulis quam primum significant Christi resurrectionem, quo sic animo fluctuantes fermentur. Alterum, ut addant, Iesum ab iis inventum iri in Galilæa.

Matth. xxvii 11. 4. Et cito dicite discipulis ejus quod surrexit à mortuis: Ecce præredit vos in Galilæam, ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis.

C A P. III.

De terrestribus testibus resurrectionis.

1. §. **D**E cœlestibus testibus satis: venio ad terrestres: qui vel pii, vel impii. Pii vel mulieres fuere, vel viri. Mulierum nomina partim exprimuntur, partim retinentur. Nominantur quatuor: ac princeps locus à Matthæo, Marco, & Luca tribuitur Maria Magdalena: à Ioanne vero sola nominatur: credo, quia nobilior genere foret, & vel sola, vel præcipue, in unguentis sumptus fecisset.

Sane

Sane propterea nomen ejus præponitur non à Matthæo solum
 xxvii, 56, & 61: item xxviii, 1: sed etiam Marci xv, 1. Luc.
 viii, 2, 3. & xxxiv, 10. Timentibus vero aliis, oculisque in ter-
 ram dejectis, hæc etiam flevisse dicitur, quod apertum erat luctus
 indicium.

2. §. *Ei subdit Matthæus Mariam alteram: quam Marie Magdalena iidem subjecerat xxvi 1. 61. Est vero ea Maria Iacobi & Iosæ: ut liquet duo hæc loca conferenti cum xxvi 1. 56. & Marci xv, 40: ubi vocatur Maria Iacobi parvi & Iosæ mater. Atque eadem est, quæ Maria mater Domini vocatur. Quippe ea noverca Iacobi & Iosæ, liberorum Iosephi: ut satis verisimilis est doctissimorum virorum opinio.*

Quippe tres illas Marias ad crucem stetisse ait Ioannes xix. 25, Mariam, matrem Domini, Mariam Cleopæ, & Mariam Magdalenam. Subjungit deinde, quomodo Iesu matrem adspicerit, & eam Ioanni commendarit. At parum est verisimile, Euangelistas alios, cum referre vellent, mulieres cruci adstantes præterisse matrem Domini, quæ præcipue nominari inerebatur. Quare per est verisimile, eam ipsam esse, quam Mariam Iacobi, & Iosæ matrem, vel simpliciter Mariam Iacobi, vocant Euangelistæ alii. Temporibus quibus Euangelium scriberent Matthæus, & Marcus, nominari vulgo solet à liberis Iosephi jam defuncti: postea vero, cum Ioannes scriberet, potius à proprio filio suo solet nuncupari. Sed totum hoc plenius explicuimus dissertatione nostra de Genealogia Christi, & fratribus ejus.

3. §. *Tertia mulierum fuit Maria cognomento Salome, filia Cleopæ, sive, ut Grace est, Clopæ, uxor Zebedæi; mater duorum Apostolorum, Ioannis, & Iacobi majoris.*

Matthæo in iis, quæ cruci adstiterint, dicitur *mater filiorum Zebedæi*: Marco bis *Salome* vocatur. Lucæ præteritur: Ioanni de fœminis piis cruci adstantibus agenti, *Maria τῇ Κλωπῇ, ἡ ἀδελφὴ τοῦ Ματθεοῦ*. *Maria Cleopæ*, soror matris Iesu. Vbi per sororem non germanam intelligo, (nam videtur Maria suisse filia unica, ut diximus de genealogia Iesu dissertantes) sed consobrinam. Hæc ex Zebedæo mater Ia-

cobi majoris, & Ioannis Euangelistæ fuit. Iacobus ille dictus *major* ad discrimen minoris, sive quia ætate esset proiectior, sive quod eum in majoribus negotiis una cum Petro ac Ioanne adhibere soleat Christus. Estque is, quem ab Herode occisum legimus in Actis. Minor erat Iosefis frater, Iosephi filius, Mariæ semper virginis privignus: cuius exstat epistola Canonica.

4. S. Quarta Luce xxiv. 10. memoratur, nomine Ioanna. Ea uxor aut vidua erat Chuze, qui Herodis erat procurator: ut scimus è Luc. viii. 3.

Vt Maria Magdalene, ita & ista, ut nobilis matrona ac dignitate præcellens, à Luca præponitur Mariæ Iacobi, matri Domini. Nempe illustris ea dignitas, quod maritus fuerit Regius θηρευτός. quod non tantum cœconorum notat, ut cepit Syrus, quem Græci aliter λοφίτην vocant, Latini procuratorem, ut vertit vulgatus interpres.

5. S. Præter vero quatuor hæc fuere alia à vīvū pīoi.

Eas signat Lucas. Nam cum xxiii. 55. 56. dixisset, mulieres Galilæas die parasceues vidisse monumentum, & aromata, ac unguenta parasse: sabbato autem secundum preceptum quievisse: cap. xxiv. 1. ait, eas prima hebdōmadis die rediisse aromata portantes, nec eas solum, sed etiam πνεύσιν αὐταῖς. Nonnullas cum illis. Nempe Hierosolymitanas quasdam, quæ se se junxerant mulieribus Galilæis. Scio, illa verba, & nonnullæ cum ipsis, non inveniri in vulgato interprete. Imo & Græco codice quodam non reperisse se, ait Beza: sed major est aliorum codd. auctoritas. Habent etiam Syrus, & Arabs: qui & ipsi per πνεύς non viros, sed feminas, intelligunt.

6. S. In hīcē mulieribūs tria sunt tempora distinguida; quo emere aromata; quo domo exiere; & quo venere ad sepulchrum. Aromata emerunt vespere prima feriae: de quo satis antea diximus. Quod ad alterum tempus; proximo primo diluculo ad sepulchrum exierunt.

Nam factum id, ut Matthæus ait cap. xxviii. 1: Οὐκέ τοι οὐδὲ βάτων. Oὐκέ particula negotium facessit. Proprie notat sero. Vnde quicquid serius fit, εὐκαιρία fieri dicitur. Sed quod serum, id tardum; unde

unde pro *tarde* accipitur. Ut & Ambrosio monitum lib. x. in *Lucam*, & B. Hieronymo epist. c. l. ad *Hedibiam*. Iam quod *tarde* fit, idem fit *post tempus*. Vnde sumitur pro *post*. Quonodo *Plutarchus* in *Numa*, ὡψὲ ταῖς τῶν, *post ista*. Et *Philofstratus*, ὡψὲ τῷ Τεωικῷ, *post res Troianas*. De quo plenius *Grotius*. Similiter *Matthæus*, ὡψὲ τῷ σαββάτῳ, *post sabbatum*, sive hebdomade iam exacta. Vnde *Marcus* pro eo habet, οὐχισμένος σαββάτος, cum transiisset sive præteriisset sabbatum. Idem *Matthæus*, τῇ θητικών εἰς μίαν σαββάτῳ. cum primum se ostentaret lux prima diei sabbatorum. Vbi duo explicanda, quid sit prima lucis ostentatio, & quid prima sabbatorum. Priori denotatur primum diluculum. Nam θητικών sive ilucescere dicitur *Hebraicis* tempus, quod imminet, & appropinquat. Sic *Luc. xxiv. 54*: *Dies erat Parasceues, & sabbatum illucescerebat*. Vbi ilucescere, h. e. imminere, dicitur nox ea, quæ parasceues diem excipiebat. At hic dicitur ilucescere, sive appropinquare, dies, sive diurnum lumen, feria primæ. Nam mulieres exiere, ut est *Ivan. xxii. 1*. περὶ συνήσεως ἐπιστολ. mane cum adhuc tenebrae essent. Causa, cur tam mane exirent, ea fuit, quod jam sabbati dies præterierat, eoque metuerunt ne die illo corpus Christi, quod tantum ob imminens sabbatum erat in proximo *Iosephi Arimathæensis* sepulchro repositum, alio transferretur.

Quod ad alterum, μία σαββάτῳ per *Hebraicum* ponitur pro περίην: de quo dictum lib. super. cap. ult.

7. §. *Sole vero jam oriente devenerunt ad sepulcrum. Atque hoc veritatem resurrectionis firmat. Nam si in tenebris venissent, ea, quæ viderunt, prospectris habere potuissent.*

Ad sepulchrum pervenere, ut dicit *Marcus*, λαύ περὶ, αὐτοῖς λαύτῳ ξηλίᾳ: sive ἐπανατελαύτῳ ξηλίᾳ, ut est in *MSo*, quo Beza usus, & apud *Eusebium* lib. x. Σπάθειξεως Εὐαγγ. cap. viii. Quod Latine sit, *valde mane*, cum adhuc *Sol* oriretur. Nam aoristus sæpe vim habet imperfecti. Imo siccirco iste χρόνος dicitur ἀόριστος, quia non definit, imperfectum, perfectum, an plusquamperfectum, denotetur. *Theodorus Beza* ait, se & in *MSo* quodam reperisse αὐτούσιον. Videtur id esse à glossa. Nempe ut significaretur, hic aoristum ponи pro imperfecto. Nam præsentis & imperfecti eadem est vox in infinitivo. Sed alia mens *Bezae Notis* in N. T. editis an-

no*c* I o*c* I o*c* LVI; ubi sic ait: *Ego suspicor, omissam particulam ὅτε, ut scripserit Marcus, ὅτε πιστείλαντο, ἵλις, id est, nondum orto Sole. Ut omnes optime inter se consentiant.* Neque vero hic duntaxat omissa est negans particulam, sed etiam supra Matth. viii. 30: *siquis eum locum diligenter consideret.* Vbi Græca quidem sonant: *Erat autem longe ab eis grex pororum multorum pascens.* Sed vulgatus interpres habet, *Erat autem non longe: quod sententia loci requirere Beza videtur.* Ac de hoc quidem loco sententiam etiam retinuit in posterioribus editionibus: uti illa an. cI o*c* I o*c* LXXXII. *Quamquam fatetur, omnes Græcos codices repugnare.* Sed puto, nihil in Græcis mutandum. *Erat longe: sed sic tamen, ut in conspectu quodammodo foret.* Ideo Marcus, & Lucas pro μακέζι, *longe*, habent ἐκεῖ, *illic*: *Et sane Syrus quoque interpres negantem particulam omittit.* Quod vero ad locum Matthæi de tempore, quo mulieres venere ad sepulcrum, plarre standum codd. MSis, & editis; in quorum nullo est ὅτε, uti neque apud Syrum. Et audaciæ nimiaæ videtur sic sacro contextui mederi velle, præsertim ubi nihil medicina opus, quia locus Crotone sanior sit. Et Beza ipse, cum cognosceret, multis displicere eam opinionem, noluit pertendere. Sic enim scribit edit. an. cI o*c* I o*c* LXXXII: *Scribit Matthæus, τῇ δημοφωνίᾳ, cum luceceret. Lucas, ὃς θέξει βαθέα, profundo diluculo: & Iohannes multo etiam apertius, συντιας ἐπὶ ὅτε, cum adhuc essent tenebrae.* Itaque aliquando existimavi, videri posse, Marcum scripsisse ὅτε ἐπὶ ὅτε πιστείλαντο, nondum orto Sole. *Quæ conjectura si periculosa videatur, age legamus πιστείλαντο; oriente; secuti vetustissimi codicis mei auctoritatem: ut sub ipsum ortum Solis eo dicantur mulieres istæ advenisse.* Ac postea: *Alios Euangelistas dico profectionis; Marcum adventus ad ipsum sepulcrum tempus notare.* Et sane istæ conciliandi ratio, uti expeditissima, ita longe verissima.

8. §. *Vbi ad sepulchrum deventum, introspexere, ut ante omnia cognoscerent an adhuc ibi corpus Christi foret, ubi die parasceues positum erat.*

Sciebant enim, tantum repositum esse ob festinationem, quia longius non posset transferri ob instans pascha; quemadmodum diximus.

9. §. *Quæ tum Angeli mulieribus dixerint, superius relata sunt nobis.*

Nem-

Nempe cum Angelorum testimonium expenderemus.

10. §. In iis erat angelorum hoc mandatum, ut nunciarent discipulis, Iesum resurrexisse. Quod continuo exsecutæ dicuntur.

Apud Ioannem dicitur, Magdalenam hoc nunciatum esse Petro, & alteri discipulo: nempe ei, quem Christus dilexisset. Significatum omnibus iis: sed soli nominantur principes, quibuscum, si non solis, præcipue tamen, sermo fuit: qui & soli curressent ad visendum sepulcrum referuntur.

11. §. Exsecutæ vero hoc mandatum mulieres, ut apud Matthæum est, οἱ φοῖς, καὶ χαρᾶς *.

Timor inde, quia non caperent resurrectionis mysterium. Gaudium vero partim ex eo, quod Deus eas dignatus foret angelorum conspectu: partim quod ex iis resurrexisse Dominum cognoscerent. Nulli interim ausæ fuere hæc dicere in via: idque Iudeorum inetu: ut cognoscere licet ex illis Marci verbis xvi: Καὶ ἔδει ἔδει εἶπεν. ἐφοβεῖτο γάρ. Quæ verba non Græci modo interpretes agnoscunt; sed & Syrus, ac vulgatus Latinus. Qui tollebant, putabant, pugnare cum eo, quod dicuntur nunciasse Apostolis, ut jussæ erant. Sed nulla hic pugna, quia nihil ausæ erant dicere iis, qui obviam venirent: ac demum rem aperuerunt, ubi ventum ad Apostolos.

12. §. Interim non ea animi fiducia exsecutæ sunt mandatum, ut non adhuc fluctuarent. Sane Magdalena ipsa etiam, cum Dominum vidisset Petro & Ioanni dicere, Sublatum Dominum è monumento, nec scire se, ubi eum posuerint.

Quæ non videntur convenire satis de resurrectione Domini penitus persuasæ. At conspexerat Dominum: fateor: verum metuebat, ne phantasima vidisset: quemadmodum &, qui ex ea id audiebant, φάγασμα fuisse judicabant: ut cognoscere est ex sermone discipulorum Emauntein euntium Luc. xxiv, 21, 22, 23, 24, 25.

13. §. Venio nunc ad testimonium virorum. Vbi primi sunt Petrus, & Ioannes.

Quos & alibi sociatos reperias. Ut in novissima Cœna Luc. xxii: in

* Cum me-
tu, & gau-
dio.

14. §. Horum Iohannes, ut junior, & etatis beneficio agilior, prior ad septum, ubi sepulcrum erat, pervenit: ac continuo, inclinato corpore, caput in specum intromisit, ad explorandum, an corpus Christi abeisset, uti retulerat Magdalena.

Quod melius intelligitur, si constiterit, duas suisse partes specus, cui inimissum erat corpus Christi: unam exteriorem, alteram interiorem. Exterior erat, cuius os contegebatur lapide; quo lapide devoluto, patebat pars specus, & pars corporis, dum foret corpus. Interior pars semper superne erat contecta: ac reliquum corpus continebat.

15. §. Iohannes ἐθεωρας, ita ut interius specus cavum videret, conspexit τὰ ὄντα, sive linteamina.

Vt quidem vulgatus vertit interpres, cumque eo Erasmus. Sed proprie notat fascias sive institas: quibus cadaver involvebatur: ut videre est in Aegyptiorum cadaveribus, quas mumiias vocant. Etiam Herodoti est de iis lib. ii: Λέσπιλες τὸν νεκρὸν, καλειδίσσοι πᾶν οὐτε τὸ σῶμα σινδόνι βυσσίνης πελαμώσοι κατέτε μηρύδοις ἀποχειόλες τῷ νέρμη, τῷ δὴ αὖτις κάθηται πολλὰ χρέωνται Αἰγύπτιοι. Cadaver ubi abluerunt, sindone byssina totum incisis fasciis involvunt, gummi illinentes; quo Aegyptii glutinis loco plerumque utuntur.

16. §. Postea & Petrus pervenit ad sepulcrum: ac, tum quia etate foret grandior, coque consideratior; tum quod zelo ferventior; etiam ingressus est sepulcrum.

Erant enim sepulcra Iudeorum grandia: quæ aliquot stantes caperent. Vnde & mulieres ab angelis iussæ venire in sepulcrum: puta gradibus quibusdam ad descensum in sepulcro paratis. Descriptionem sepulchri pleniorum si voles, adi Bedam in ultimum caput Marci, & lib. v Hist. Angl. cap. xvi: item Brocardum Monachum, qui conspexerat.

17. §. Petrus vero, non solum fascias vidit; sed sudarium etiam: atque hoc seorsum suo loco collocatum.

Sudarium id capiti fuerat impositum: unde Ioannes xx. 7, Τὸ στάχελον, ὃ ὅπη τὸ κεφαλῆς αὐτοῦ. Ac deinde addit, & μῆρα τὸ θυνίων κτείνον, ἀλλὰ χωρὶς εἰλεπτιλιγμόν εἰς ἔνα πέπτον. Quod seorsim cum cura collocatum, ostendebat, non esse à furibus ablatum: qui hujusmodi neglectis maturare fugam solent.

18. §. Exemplum vero Petri secutus deinde est Ioannes: qui, ubi fascias, & sudarium Christi, vidit, corpus Christi non vidit; creditit sermoni Magdalena: crediturus ante, si satis intellexisset Scripturæ sensum, Christi resurrectionem typis, & figuris, in Scripturis adumbrantibus: aut si fidem satis sermoni habuissest Christi, Resurrectionem suam predicentis. Sed rei magnitudo, & humani tarditas ingenii, faciebant, ut minus ista in animum admitterent.

Vide Ioan. xx. 8. Post ista vero discipuli hi duo περὶ ἑωτῶν, ad se-
ſe, hoc est, domum suam, rediisse dicuntur.

19. §. Quæritur, utrum ex his proximis testimoniosis præcesserit: mulierumne, an Petri, & Ioannis. Sane Ioannes prius de Petro & Ioanne memorat: contra autem Matthæus, Marcus, Lucas.

Apud quem etiam hoc pacto Cleophas ad Dominum: Muliere quadam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad sepulchrum, & non invento corpore ejus, venerunt, dicentes, se etiam Angelorum visionem vidisse, qui dicant, eum vivere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt; ipsum vero non invenerunt.

20. §. Nec dubitandum, quin iste sit ordo temporis. Sed Ioannes sequitur ordinem dignitatis. Nam mulierum testimonium, quia facile iis imponitur, non continuo solet admitti. Sane cum Magdalena, ea quæ ad sepulchrum vidisset, & audisset ex angelis, narrasset Apostolis: his, ut est apud Lucam, visa sunt verba mulierum, sicut deliramentum, & non crediderunt eis. Etiam Paulus I Cor. xv, ubi testes Resurrectionis laudat, Petrum, Iacobum, Apostolos cæteros, ac quingentos etiam fratres

advocat: sed de mulieribus tacet. Ioannes igitur maluit ordiri à testimonio Petri & Iacobi. Quorum ille veritatem resurrectionis jam sanguine suo obsignasset, hic autem superstes, ac quevis pro veritate ejusdem sufferre, esset paratissimus.

Valde hanc conjecturam firmat, quod sic quoque mulierum testimonium risere gentiles: in his Luciani amicus, Celsus, qui ut eluderet testimonium Mariæ Magdalenæ, eam vocabat γυναικανημέρος*: ut Origenes narrat adversus Celsum.

* Stimula-
tricem, sive
velut astro
immisso
alios inci-
tantem.

21. §. Hactenus de testimoniiis piorum egimus. Sequitur illud impiorum: hoc est, militum, qui appositi erant Iesu corpori custodes. De his duo dicuntur, quorum alia ipsum testimonium tangunt, alia eventum. In testimonio quatuor considerantur; quorum primum erat, quando ierint ad testandum. Hoc tempus indicatur istis verbis, προσωρινών αὐτῶν, iis, mulieribus puta, euntibus, sive à sepulcro redeuntibus. Sive, ut recte vulgatus, & Erasmus, redidierunt, Quæ cum abiissent.

Nempe præsens ponitur pro præterito. Quinquam nec impediat aliquid, quo minus credamus, hos in Vrbem pervenisse, & ista dixisse, dum mulieres essent in via ad Vrbem.

22. Alterum est, qui ierint, nempe non milites omnes, sed τίνες τοις αὐτοδίαις, aliqui custodum.

Sed qui omnium nomine irent.

23. §. Tertium fuit, quibus sint locuti. Id Matthæus factum ait τοῖς δέχετεντοι, principibus sacerdotum.

Nempe his ratio custodiæ reddenda fuit. Qui, si vellent, poterant synedrium vocare. Quippe jam exactum erat sabbatum.

24. §. Quartum est, quid dixerint. Nempe retulere omnia illa, quæ sibi contigissent.

Videlicet de terræ motu, & angeli descensu, & lapide ab eo devoluto. Atque ut ex istis tanto correpto fuerint tremore, ut mortuos referrent; sicut Matthæus narrat xxviii. 2. 4. Tum autem, ut simul

simul ac paullum ad se rediissent, sepulchrum inspexerint, sed neminem viderint. Ut causa non fuerit, cur diutius apud sepulcrum permanerent; eoque venisse se miranda ista nunciatum iis, quibus officii sui rationem reddere oporteret.

25. §. Sequitur nunc pæctio τῆς ἀχερέων, & militum eorum, qui suo, ac aliorum nomine, ad venerant. Vbi tum attenditur τῆς ἀχερέων postulatum, ac promissum; tum militum adversus. Suasere proceres illi militibus, ut dicerent, corpus Iesu, sese dormientibus, sublatum à discipulis. Et, quia periculi plena hæc confessio fuissest apud præsidem Pilatum, cui suprema erat ratio reddenda: eo polliciti sunt, se id præstituros apud eum, ut sint ἀμερμύνοι, sive indemnes. Atque ut magis sibi obstringerent, etiam promiserent iis ingentem pecunia vim.

Hinc videimus, quantum in animis valeat humanis ambitio, atque invidia: quibus duobus, velut cœstro perciti, proceres Iudeorum eo fuere perducti, ut innoxium crudelissimæ neci addicerent. Sane invidia coimpulsos, etiam Pilati judicium fuit, ut narrant Euangeliſtæ. Parum profecto ante sceleratum hoc facinus conscientiæ iis fuit. Ac, eo patrato, pusillum illud, quod reliquum videbatur, plane fuit, non sopitum, sed occisum. Quare nihil ultra scrupuli fuit, quidvis agere ac jubere, utcumque in animo essent convicti, longe aliter se rem habere. Etsi igitur proceres de terra motu, angelideſcensu, lapidis ab angelo devolutione, & corpore non reperto, certissima è custodibus, testibus minime suspectis, audiissent: autores tamen fiunt iisdem, ut passim spargant, & si opus sit, Pilato dicant, Iesum, sese dormientibus, furto esse sublatum à discipulis. Gravis ea criminis fuissest confessio: & ex Digestis, Titulo de re Militari, satis constat, quantopere, qui stationem deseruerint aut male custodiā curassent, puniri soleant à Romanis, militaris disciplinæ servantissimis. Sed ne hæc eos cura morderet, duo fecerunt. Nam spöponderunt, acturos sese cum Pilato, ne hoc nomine ulla adversus eos instituatur quæſtio: grandi præterea pecunia mendacium hoc redemerunt: quinquam de falsitate in conscientia essent persuasissimi. Quales vere αἰτοναγεῖοι ab Apostolo vocantur, tanquam à propria conscientia convicti, damnatique. Mendacii vero istius me-

minere etiam Iustinus, ac Tertullianus. Et nisi hoc, vel simile spar-
sissent, actum de eorum caussa fuisset. Nam satis aperta fuisset in-
nocentia Christi, si à mortuis resuscitatus crederetur: cum hoc fa-
cere solius sit virtutis divinæ. Atque istoc in caussa est, cur Aposto-
li, in sermonibus & scriptis, tam multi fuerint in Resurrectio-
ne adstruenda.

*26. §. Ob promissa ista postulato procerum ad sensere milites:
necumque longe aliter se rem habere in conscientia essent
convicti.*

Quare ut ex facto τῷ Χριστῷ videmus, quantum invidia, & ami-
bitio, valeant, ita ex facto militum conspicimus, quantum possit,
ut cum Marone dicam, *Auri sacra fames*.

*27. §. Quamquam vero fama hæc de discipulis Domini sui
corpus suffuratis etiamnum durarit inter Iudeos, Matthæo
suum Euangelium scribente: quod octavo à Resurrectione
anno factum putatur: est tamen mendacium id calidum
potius, quam callidum: quippe spissum adeo, ut undique
diluceat. Nam si custodes ad unum omnes dormiebant, un-
de iis constabat, à discipulis esse furto sublatum? Præterea
quo pacto, cum sepulcrum esset militari septum custodia,
discipuli eo ausi fuissent accedere, homines adeo meticulosi,
ut Petrus ipse, quo animosior erat nemo, metu ancillæ ab-
negarit Christum: ceteri, cum vincula illi injici viderent,
in fugam se conjecerint. Imo postea etiam, Iudeorum me-
tu, nonnisi noctu ausi fuerunt congregari. Adhuc plane iis
adversatur, quod linteæ, quibus fuerat Christus involu-
tus, in sepulcro sint reperta, ut nudum resurrexisse Chri-
stum constet. Sudarium etiam convolutum, & seorsum à
linteis repositum. Qua cura non nisi securi animi fuit.
Qualis esse non potuit discipulis. Longæ enim moræ erat
avellere à corpore linteæ cum unguentis, quæ pice aut visco
tenacius adhærebant.*

Quare, si discipulis, hominibus pescatoribus & inermibus, ex eo
quod

quod forte clanculum essent conspicati, custodes omnes dormire, tantum animorum accessisset, ut per militarem custodiā suspensō irent ac redirent gradu: lapidem etiam ingentem, quod absque strepitu non videtur fieri potuisse, devolverent de sepulchro: faltēti, aperto sepulcro, continuo arrepto Christi corpore, ita uti erat, involuto sindone, & unguento, (præsertim quando & ea non aspernandi erant pretii) se conjecissent in fugam: nec ad ea agenda, quæ antea dicebamus, morari diuturnam traxissent in sepulcro. Metuisserint enim, ne quis in tanto custodum numero expurgiceretur, atque ita miseri deprehenderentur *ἐν αὐτοφύρω*.

Quod non ineleganter, pro ætate quidem ea, qua vivebat, Sedilius expressit:

Fare, improbe custos,
Responde, scelerata cohors: si Christus, ut audes
Dicere, concluso furtim productus ab antro
Sopitus latuit, cuius facet intus amictus?
Cuius ad exuvias sedet angelus? anne beati
Corporis ablator velocius esse putavit
Solvere contectum, quam delectare ligatum?
Cum mora sit furtis contraria. Cautius ergo
Cum Domino potuere magis sua linteata tolli.

28. §. Nec dubium, quin milites ipsi rei veritatē apud familiares subinde sint confessi. Rara enim res est, silentia posse præstare. Præterea quæ conspexerant, tam miranda erant, ut, præsertim ubi paullum temporis intercesserat, ea diutius premere non possent.

Nec dubium, quin ista etiam confessione multi sint conversi ad fidem Christianam.

29. §. Sed neque fieri aliter potuit, quin istius rei fama ad Pilati aures perveniret. Neque is tam incuriosus erat, ut non in omnia sedulo inquireret, præsertim quæ sui esse munieris sciret, de cunctis memoratu dignis Cesarem facere certiorem.

Vti & ab eo factum esse, indicant illa Tertulliani verba in Apo-

C A P. IV.

De novena apparitione Christi Servatoris.

1. §. **V**Idimus de quadruplici testium genere. Nunc age-
 mus de novena apparitione Christi. Earum pri-
 ma est facta Maria Magdalena: ut testantur Marcus XVI.
 9: & Ioannes XX. 11, ac sequentibus, & Matthæus
 XXVIII. 9. 10.

Quæ Petrum, & Ioannem, ad sepulcrum currentes, secuta: sed,
 mulier quippe, tardius eo pervenit.

2. §. Nec alia signatur apparitio Mathei XXVIII. 9. 10.

Aliqui tamen diversas putant Marias Magdalenas: ut B. Ambro-
 sius. Audiamus lib. x in Lucam cap. ult. Nescit una Magdalene Maria,
 secundum Ioannem; scit altera Maria Magdalena, secundum Matthæum.
 Nam eadem & ante scire, & postea nescire, non potuit. Ergo si plures Mariæ,
 plures fortasse etiam Magdalena: cum illud personæ nomen sit, hoc locorum.
 Denique alteram esse cognosce. Illa admittitur pedes Domini tenere: tangere
 Dominum ista prohibetur. Illa angelum videre meruit: hac primo cum venit,
 neminem vidit. Illa discipulis Dominum resurrexisse nunciavit: ista raptum
 esse significat: illa gaudet, hac plorat. Illi in gloria sua jam Christus occurrit,
 hac adhuc mortuum querit: illa Dominum vidit, & credidit: hac non potuit
 agnoscere, cum videret. Illa fidei adorabat spiritu: hac dubio mixtificabatur
 affectu. Ac aliquanto post: Itaque quid intersit inter illam, & hanc Ma-
 riā, Scriptura distinguit. Illa occurrit, ut Iesum videat, hac retrorsum con-
 vertitur: illa salutatur, hac redarguitur. Alii vero unam quidem Ma-
 riā Magdalena putant: sed diversas uni factas apparitiones: qua-
 rum prior contigerit, antequam mulieres ex angelico mandato allo-
 cutæ forent Apostolos: altera autem, postquam Petrus, & Ioannes,
 jam vidissent sepulcrum. Sed longe est verisimilius, semel duntaxat
 ipsius resurrectionis die ex urbe exisse mulieres ad visendum sepul-
 chrum. Nempe sic, ut videntur, habent tempora. Maria Magda-
 lena, licet vidisset, Iesu corpus non esse in sepulcro, & ex Angelo au-
 diisset, Iesum resurrexisse, ac jussa esset hunc nuncium referre Apo-
 stolis:

stolis : tamen fide fluctuabat. Metuebat , ne vanum esset de resurrectione , & corpus ab hortulano , vel alio , alium in locum esset repositum : idque eo magis formidabat , quia sciret , tantum festinatione quadam ibi esse repositum . Ergo quamquam jam parere angelo cœperat , tamen animi incerta mox regreditur , diligentius scrutatura , an non alicubi videat vel corpus Christi , vel ejus ablati indicium . Sic animo affecta plorabat , quod ne corpus quidem superesset Iesu , cui extrellum unctionis officium præstaret . Rogat angelus , cur fleret : non quasi causam ignoraret , sed ut sic præpararetur ad illam Christi apparitionem , quæ mox secutura . Quamquam & verba sic capere possumus , ut sententia sit , Quorum fles , cum causa flendi sit nulla ? neinpe quia jam resurrexerat Christus . Respondet autem Magdalena : Sustulerunt Dominum meum , nec scio , ubi posuerunt eum . Quæ verba satis arguunt , etiam tum metuisse , ne corpus esset ablatum . Non passus est Dominus Iesus diutius sic hærere incertam . Ergo se illi in horto sistit . Tum Maria à monumento hortum versus se convertere ; sive respexerit , more eorum , qui sollicitate aliquid querunt ; sive quod ex vultu angelico advenire aliquem , cui honorem haberent , cognosceret ; sive quia aliquem ipsa à tergo strepitum audiisset . Quicquid vero in causa sit , (potuere plura horum concurrere) respiciens Iesum vidit , quem Iesum esse nesciret . Rogat Iesus , cur fleret . Illa , ut Ioannes ait , existimans quod hortulanus esset , dicit ei : Domine , si tu asportasti eum , dicio mihi , ubi posueris eum , & ego eum tollam . Cogitabat secum , nullum rectius scituruin , ubi corpus repositum foret , quam eum , qui horto esset præfectus : & fortasse illud eo animo reposuisset loco Iudeis ignoto , ne crudeliter in corpus etiam sœvirent . Nisi potius à furibus inuebat ablatum propter aromata . Poscit igitur , ut , si sciret , ubi illud repositum foret , ejus rei indicium sibi facere vellet : quasi diceret , hoc si intellexerit , dein curæ sibi fore , ut istuc sepeliatur , ubi corpus nequeat esse ludibrio . Christus , ubi tantum sui desiderium vidit , non porro dissimulat , quis foret : sed nota voce , ac nomine suo Mariam compellat . Tum illa , agnoscens Iesum , dicere Iesu , ut solebat , Παθεστι , quod Hierosolymitana lingua sonat , Magister mi . Ac simul amplexari pedes parabat , fortasse etiam amplecti jam familiariter cœperat . Quod ab affectu erat : sed simul proderat ad cognoscendam corporis Christi veritatem . Non tamen hoc sine ab ea factum : sed reverentia caussa : quomodo deprecabunda Sephora fecit marito , de quo

quo Exodi vii. 38: mulier illa Sunamitis Elisæo; ut est ii sive iv.
Reg. iv. 27. Ac mos idem apud Græcos: unde illud Homericum;

— Καὶ λαβέ γύνων.

Sed Christus gestu Magdalenam amovens recusavit hanc corporis sui contrectationem. Ac rationem illam addidit, *Nondum enim adscendi ad Patrem*. Sunt qui sic enarrant: (in his Maldonatus.) Non est, quod me sic prehendas, quasi non amplius sis visura. Maneo enim aliquantis per vobiscum. Nondum adscendo ad Patrem. Ut præteritum pro præsenti sumatur: quasi diceret, Nondum decrevi adscendere. Nam sæpe verba actus accipiuntur pro verbis voluntatis. Sed magis placet interpretatio Iustini Martyris, & aliorum ex antiquis, ac receptione etiam vulgo, ut mens Christi sit ista: Mitte illam familiarem, ac carnalem amplexationem: quæ olim habuit locum. Nunc augustiori sum conditione, quia resurrexi ad immortalitatem ac regnum: eoque hoc pacto frui me non potes. Sed frueris me abunde, ubi adscendero in cælum: idque eo modo, quem tunc cognoscet, nunc vero non capis. Atque hoc de adscensu suo brevi futuro fratribus suis nunciare est iussa: simul etiam ut in Galilæam irent, illic visuri Iesum. Vbi per fratres intelligit non profecto consanguineos: sed Apostolos. Allusit vero, ut Eusebius observat, ad illud Psal. xxii * , 23: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Sic autem vocare discipulos non solet: sed demum postquam resurrectione declaratus nova ratione est Filius Dei. Quippe per ejus resurrectionem facti tunc sumus filii Dei, eoque Christi co-hæredes. Huic novæ ἀδελφότηπ probanda allatus psalmi locus adducitur à divino scriptore ad Hebræos ii. 11, postquam dixisset, non puduisse Iesum, ut nos fratres suos nuncuparet. Atque hinc etiam ad Rom. vii. 1. 29. vocatur idem *primogenitus in multis fratribus*. Hisce Iesu fratribus iussa est dicere ista, quæ oratione directa protulit Christus: *Adscendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum*. *Meum, vestrumque*, inquit, ut significaret, & illis esse in Deo fiduciam reponendam, sicut ipse fecisset, qui resuscitatus esset à mortuis. Nec tamen eodem modo & Christi, & discipulorum pater censendus. Recte Cyrilus Hierosolymitanus Catech. vii., & xi., Non dixit, inquit, ad Patrem nostrum, ἵνα μὴ γίνωνται φύνται ποιημάτων τοῖς τὸν μονογενῆ, ne communio foret creaturarum cum unigenito: sed, ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum. ἀλλως εἶπε, Φύσις ἀλλως ὑμῶν καὶ θέσιν. aliter M E V M per naturam; aliter vestrum per adoptionem.

* Al. 22.

ptionem. Solus enim Christus φύσει νήσ, natura filius, ut quoque ait Gregorius Neocæsariensis, sive Thaumaturgus, sern. in sancta Theophania, deque Christi baptismo. Quomodo & Epiphanus in Ancorato dicit §. xl ix, nos quidem filios esse καὶ χρέον, secundum gratiam: Christo autem neminem posse æquari, τῷ εἶναι αὐτὸν φυσικῷ νήσ. eo quod sit naturaliter filius. Ac similiter Ambrosius lib. i de Fide, cap. vi, Augustinus Tractatu cxxi in Euangel. Ioann.

Hinc subdit Ioannes, Magdalenam paruisse, nunciasque discipulis, ut Dominum vidisset, hoc est, quem Dominum putaret. Nam verene is esset, adhuc erat incerta: ut mox dicam. Item narravit quos secum habuisset sermones. Discipuli tamen Emauntem euntes, tacent apud Lucam de Christo mulieri, vel mulieribus, viso: & contenti sunt dixisse, se ὡφασιαν οἰγγέλων ἐωχρέων visionem angelorum vidisse. Quod inde est, quia, ut dixi, ipsa hæserit Magdalena, utrum angelus, an ipse fuisset Dominus, quem vidisset. Ex eo profecta sit dubitatio, quod contactus corporis certum resurrectionis fuisset argumentum, ille autem quem viderat, prohibuerit, ne pedes suos amplexaretur. Potuere & discipulorum aliqui propterea putare, solum Christi animam fuisse, quam vidisset. Nam opinio ea quoruīdam fuit Iudaeorum, animas etiam habere vehiculum suum, corpus quoddam pellucidum, mediae inter animum, & crastla illa corpora naturæ: ut autor est Origenes in secundo adversus Celsum. Ac similiter Chaldæi, & Pythagoræi: de quibus Ill. Grotium adi*. * In Matth.

Atque ex his liquet, quo pacto una videatur apparitio. Quibus 28. 8. vero persuasum est de apparitione duplice: hi arbitrantur, postquam Mariæ Magdalenæ esset visus, eam à sepulchro rediisse ad mulierum alias: atque ibi Iesu non Magdalenæ solum, sed cæteris etiam mulieribus apparuisse. Hoc colligunt ex illis Matthæi verbis xxvi 11. 8, 9 10: Et ecce Iesus occurrit illis (καὶ πάντες εὐτρεποί) dicens, Ayete. Ille autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite, renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, & ibi me videbunt. Diversam putant, quia hic dicitur non mulieri, sed mulieribus apparuisse. Sed συνεδοχὴ est, mulieribus, hoc est, uni è muliebri illo cœtu: ut ante exponebamus illud, Latrones exprobaverunt illi. Quamquam & satis sit verisimile, Magdalenam esse regressam una cum famula sua: quomodo proprius fuerit sermo.

Hæc de mulieribus, quibus apparuisse Iesum, narrat Scriptura. Plurimorum opinio est, præter eas etiam apparuisse Matri suæ: sed

propterea præteriri ab Evangelistis, quia testimonium ejus, tanquam domesticum, nempe in causa Filii, parum fuisse efficax. Sed non videtur hoc satis convenire cum verbis Marci xvi. 9: Αὐτὸς δὲ περὶ πεωτη σαθαρτος, ἐφανη πεωπν Μαρια τῇ Μαγδαληνῇ. Ipse qui resurrexerat, mane prima sabbati apparuit primo Maria Magdalene. Et potuit Christus eo se Matri non ostendere subito, quia minus hoc ei opus foret, ut quæ in fide neutiquam, vel saltem longe minus, vacillaret.

3. §. Altera apparitio facta est duobus discipulis Emmauntem cunctibus: de qua paucis Marcus xv. 1, fuse Lucas xx. 4.

Nam fallitur Euthymius cum discipulos duos à Luca signatos ab iis diversos censem, de quibus Marcus. Movit eum, quod in narratione, amborum aliquis videretur dissensus. Sed ea, quæ dissentire videntur, facile conciliantur: ut inferius parebit.

Considerabimus vero in narratione istac, quibus apparuerit Christus, & quando, & ubi, & qualis, ac quare apparuerit: tum etiam dicta factaque, & Christi, & utriusque discipuli.

Apparuit duobus, qui forent è LXX discipulis. Vni nomen Κλεόπας, vel Κλεοπᾶς, ex quo vocabulo contractum Κλωπᾶς. Imo & ipsum Κλεόπας vel Κλεοπᾶς contractum est ex Κλεόπατρος; quomodo Dama sive Δημάς, ex Δημήτρῳ, Απλᾶς ex Απλώνῳ, Αλεξᾶς ex Αλέξανδρῳ, Λεκᾶς ex Λεκιανῷ, pluriaque id genus, adduximus Institutionum Oratoriarum lib. iv cap. 1. §. v. Κλεόπατρος vero nomen Macedonicum, uti & Cleopatra. Nec dubium, quin Iudei id deum acceperint post tempora Alexandri Magni.

Alterius discipuli nomen reticetur. Eo creditur fuisse Lucas: quomodo & Ioannes, modestiæ causa, suum reticere nomen amat.

Sane ut Marcum, ita etiam Lucam, ante adscensum Christi in cælum fuisse in ejus discipulis, diserte scripsit Origenes, & inde idem tradidit Euthymius, in iis, quæ, de vita Lucæ, ejus Euangelio præmisit. Sed hæc sententia eo refellitur, quod Lucas ipse sua se ab iis dicat accepisse, οὐ γάρ παρέστητον εἰσώπην ζωντα, quibus etiam Iesu se exhibuerat videndum, dum viveret. Hæc non convenient ei, qui & ipse Iesu ante passionem fuerit discipulus. Alii Nathanaëlem aiunt: ut ex Epiphanio scimus. Alii Apostolum Bartholomæum. Apud B. Ambrosium videoas Ammaonem vocari. Sic enim apud eum legitur in Lucam lib. x cap. xxiv: *Videtur separatim se istis undecim demonstrasse;*

se ; sicut se Ammaoni , & Cleopha , seorsum jam respere demonstraverat . Nisi pro Ammaoni , quæ vox nihili videtur , cum illustri Grotio re-scribendum Simoni , sive , ut Hebræi hoc nomen efferunt , Simeoni . Nam similiter Origenes lib . adversus Celsum : Γέρεαθαι ἐν τῷ καὶ Λεᾶν , ὅπι τῷ ἀνάστατῳ λαβὼν τὸ ἄγρον ὁ Ἰησος ἀλόγησε , καὶ κλάσας ἐπεδίδε τῷ Σίμωνι , καὶ τῷ Κλεόπᾳ . Scriptum in Euangelio se-cundum Lucam , quod Iesus post resurrectionem accepto pane benedixit , ac fregit , deditque Simoni , & Cleopæ . Nempe (quod eidem summo viro obser-tum) cum dicat Origenes , ita esse apud B . Lucam , plane videtur apud eum cap . xxiv . 34 . legisse : Λέγοντες , ὅπι ἡγέρθη ὁ Κύριος ὅντως , καὶ ὥφθη Σίμωνι . Dicentes , Surrexit Dominus vere , & apparuit Simoni . In Latino est ambiguitas : quia illud D I C E N T E S & ad duos disci-pulos Emaunte venientes , & ad denos Apostolos , possit referri . Et potuit ita cepisse Ambrosius . Sed in Græco , si Λέγοντες placet , non aliter , quam de duobus discipulis possis accipere . Verum non du-bit , quin vera sit lectio hæc vulgata , Λέγοντες : ut sententia sit , non ista discipulos dixisse Apostolis ; sed Apostolos discipulis . Quomo-do non unus ex LXX signabitur : sed princeps Apostolorum : quem seorsum vidisse Iesum liquet ex 1 Corinth . xv ; ut inferius dicam .

Hæc de iis , quibus apparuit Christus . Tempus apparitionis clare in Scripturis exprimitur . Nam ipso Resurrectionis die factam esse , legas Lucæ xxiv . 13 .

Locus etiam clare indicatur , isque geminus . Prior est , via , quæ Hierosolymis dicit Emauntem ; qui pagus dicitur distitissè LX stadiis Hierosolyma . h . e . septem milliarib⁹ Italicis , ac dimidio . Nam octo stadia milliare ejusmodi conficere , nemo nescit . Memoratus pagus etiam i Maccab . 111 . Ac Plinio refertur inter toparchias Palæsti-næ . Nicopolis postea nomen habuit . Apud Lucam de his discipu-lis est , περὶ οὐρανοῦ εἰς κάμψην , ευτίbus in pagum . Apud Marcum vero , πρεσβυτέροις εἰς αὐραῖς , ευτίbus rus . Nempe quia vulgo Græcis Hebrai-zantibus πόλις , & αὐραῖς , opponebantur . Alter locus est diverso-rium in Emaunte , ubi cum iis Christus mensæ accubuit .

Qua forima apparuerit Iesus , docet nos Marcus xvii . 12 , cum ait , ἐν ἑπτά μορφῇ , hoc est , habitu alio , quam uti soleret . Fuere vestes aliae , quam gestarat : proprias enim milites divisorant . Quæritur undeigitur eas habuerit Iesus . Nempe illas vel crearat ipse , vel aliunde sumferat : ut responderet Iustinus Martyr , sive sub Iustini nomine incertus quispiam , Responsione ad Orthodoxos cxvi .

Sed quid si non externa fuerit vestis, verum patria, ac rustica; sive qualis habitantium in agro Hierosolymitano? Nam cum Christus se discipulis junxisset, ac rogasset illa duo; qua de re loquerentur, & cur essent tristes; amborum nomine, fortasse eo quia senior foret, Cleopas respondit apud Lucam: Σὺ μόνος παρόντες ἐν τῇ εργασίᾳ, καὶ εἰς ἔγρως τὰ γενόμενα ἐν αὐτῷ ἐν ταῖς ἡμέραις ταῦταις; Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognovisti, quae facta sunt in illa his diebus? Iam vero ut ἐργάζοντες vocantur, qui in urbe degunt: ita παρόντοι dicuntur, quibus domicilium est in urbis diocesis, sed extra urbem. Similiter παρονταί ipsa diocesis; παροντεῖ de iis, qui habitant in agro, sive territorio extra urbem. Sic sententia fuerit: *Habitas in Hierosolymitana diocesi, & ignoras quae proxime tam miranda contigerunt?* Atque hæc interpretatio, uti illustri Grotio placuit, ita eo fit verisimilior, quod Iesus se Emaunem euntibus addiderit socium, ac simularit se eopse vespere ulterius ire velle: quasi in pagum aliquantulum distante. Vel παροντεῖ sumere etiam possis pro commorari extra suas ædes, pagumque vel oppidum. Ut sententia sit, Tu haec tenus extra domicilium tuum agis in Urbe, nec ista cognosti? Vt cumque sumas, est vulgaris ille admirantis sermo: ut indicat, quod similiter apud Ciceronem leges pro Milone: *At vero, judices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestrae peregrinantur aures, neque in hoc per vagato civitatis sermone versantur?* Vsus autem est peregrinantium ueste. Nam cum peregrinus videretur, mirabundi, quod cum Hierosolymis veniret, nec sciret solus peregrinorum, quæ diebus istis contigissent, querunt, Σὺ μόνος παρόντες ἐν τῇ εργασίᾳ, καὶ εἰς ἔγρως τὰ γενόμενα ἐν αὐτῷ ἐν ταῖς ἡμέραις ταῦταις; Tu solus peregrinus es Hierosolymis, neque novisti, quae facta sunt illuc his diebus? Quasi dicerent, ex habitu te peregrinum esse cognoscimus: attamen quis peregrinorum tam incuriosus est, ut si Hierosolymis fuerit, cum ista fierent, eorum tamen sitignarus?

Sed non erat satis, si ex schemate sive habitu non agnosceretur: nec è vultu voluit agnosciri. Potuit igitur immutare vultus lineamenta: quod & factum esse Theophylactus arbitratur. Sed Iesu satius visum, si solum impedirentur oculi discipulorum: quod illis Lucæ verbis significatur xxiv. 16: Οφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρεπτότο τε μη δηγυγώντες αὐτὸν. Oculi illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Quod non incommode mihi videtur exponere Cajetanus Lentaculi septimi quæstione prima: quando ait, id factum per subtractionem, secundum omne quod

sua figura, seu coloris erat; binc enim apparentia fit alterius. Et parva hujusmodi varietas sufficit ad alienam effigiem apparandam, & non apparandam propriam: quoniam species visibilis sic deficiens ab integritate objecti representat non talem faciem, non tales oculos &c. ac per hoc representat alienam effigiem.

Porro queritur, cur Iesus noluerit agnosci. Ratio vero est, quod sic futurum sciret, ut discipuli liberius detegerent animi sui ulcus, & Iesus melius ficeret medicinam ex factis, & ultiro citroque dictis.

Iesus objurgatus, quod solus nesciret notissima, pergit interrogare, quæ ista forent. Tum illi sermonem texunt tripartitum. Primum describunt Christum à persona, quod fuerit propheta, & quidem potens operibus & sermonibus: quod elogium & Mosi tribuitur à Stephano Act. vii. 22. Additurque de Iesu, talem fuisse coram Deo, & hominibus: Deo nempe testimonium ei perhibente dum virtutem ei concedit tanta patrandi miracula: hominibus item ei testimonium dantibus, dum prædicationi ejus habent fidem, non ob miracula modo, sed etiam quia docendi modo emineret.

Parte altera narrant, quam indigne tantus propheta esset habitus à primoribus populi: qui & Pilatum eo adegissent, ut eum crucifigeret.

Tertia pars agit de spe discipulorum, idque bifariam. Nam prius explicatur, quid eam non parum infregisset: deinde quid non nihil illam confirmaret. Ad prius pertinet, quod dicat Cleophas, Ήμεῖς ἦμεραίζοισθε, ὅτι αὐτὸς ἐστιν ὁ μέλλων λυτρεῖσθαι τὸν σεγόνα. Nos autem sperabamus, eum esse illum qui liberatus esset Israel. Nam per λυτεῖν non intelligitur redemptio, sive satisfactio pro peccatis, (nec enim usque adeo in fide profecerant Christiana, ut tantum intelligerent mysterium) sed significatur Iraëlis liberatio à jugo Romano: quo modo & Zacharias, pater Ioannis Baptista, exspectasse dicitur λύτεωσιν τὴς λαώς, populi liberationem, nempe ab exterorum servitute.

Nec aliter capere oportet, quando Luc. 11. 25. Simeon dicitur exspectasse παρεχόμενην τὴς λαώς, consolationem Iraëlis. Interea non terrenam tantummodo felicitatem, sed spiritualem etiam, hoc est, cum vita emendatione, sociatam intelligebant. Animi vero anxietatem augebat, quod jam dies esset tertius, ex quo obiisset. Nempe non cogitabant Spurinnæ illud ad Cæsarem: *Venit dies, non abiit.*

Sed ut ista spem adiimebant, ita erat, quod eam aliquantum erigeret. Videlicet, quod mulieres negassent, ulterius esse in sepulchro, atque adderent, se vidisse ὄπλασιαν τῆς γυνέων, visionem angelorum, qui cum vivere dicerent. Interea quain infirma hæc spes fuerit, satis liquet.

Horum sermonem excipit Christus objurgatione severa, ac iusta: *O stulti & tardi corde ad credendum omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Græce est, οὐδὲν ἀνόητο, καὶ Εργάτες τῆς καρδίας.* Vnde liquet, cum Iesus Matth. v. 22. ait, eum qui fratri suo racha dixerit, reuin fore τῷ συνεδεῖσθαι, intelligi debere qui præcipiti irauid fecerit, non qui hoc fraternali amore egerit, ut dementiam suam alteri ob oculos poneret, atque ita eum melius ab erroris semita reduceret in viam. Dicit autem Iesus, esse tardos in omnibus credendis, τοῦ πτερύγιου θηταῖσιν. Credebant, quæ de gloria Messiaæ erant prædicta. Sed credere non poterant, Messiaæ patientia esse dira multa, & sic ingrediendum in regnum suum. At Christus ait, non ea solum iis credenda, quæ adlubescerent, sed universa. Hanc enim vim habet illud θηταῖσιν. Tertullianus lib. iv aduersus Marcionem cap. XLIII, eodemque ultimo, sic adducit hunc locum: *O insensati, & tardi corde, in non credendo omnibus, quæ locutus est ad vos.* Videmus, de Iesu id dicere, quod in Euangelio legitur de Prophetis: *θηταῖσιν οἵ εἰλάθησαν οἱ τραφῆται. in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ.* Neque propterea putandum, ita, uti Tertullianus citat, vulgo codices habuisse, quibus Ecclesia uteretur. Nam differit Tertullianus aduersus Marcionem: qui Euangelium ediderat, quibusdam additis, resectis, mutatis. Inde citat ista Tertullianus, ut ex proprio eum Euangelio refellat. Hinc postea eopse capite: *Et Marcion quædam contraria sibi, illa credo industria, eradere de Euangelio suo noluit, ut ex his, quæ eradere potuit, nec erasit, illa quæ erasit, aut negetur erasisse, aut merito erasisse dicatur.* Ac tandem hunc librum quartum verbis istis consignat: *Misercor tui, Marcion; frustra laborasti. Christus enim in Euangelio tuo meus est.* Hoc est, etiam judicando ex Euangelli editio-ne tua, liquet, Iesum esse Creatoris filium: quod negabat Marcion. Id Euangelium vocabat Apostolicum, atque unius Lucæ erat, sed interpolatum: ut ex Epiphanio liquet heresi XLII. quæ est Marcionitarum. Vbi & videoas superiorem Lucæ locum, ubi verba Iesu ad Cleopham ita interpretatur, quasi non de Prophetis, sed se ipso sit locutus, & inter illa reponit, quæ Marcion in Euangelio corrupit.

Post

Post gravem adeo increpationem refellit Christus eorum opinionem, unde dolor iste obvenerat. Cumque illi non possent sibi persuadere, Christum esse Regem promissum, idque propterea, quia esset crucifixus & iam mortuus, quod non videbatur convenire instauratori Israëlis: contra Christus, quasi ἡ βίᾳ, ostendit, ideo potius esse promissum Messiam, quia hoc exigebat in Messia, ut pateretur, & moreretur, atque ita ingredieretur in regnum suum. Hoc ne facilius, quam verius dictum videretur, adstruxit hoc è Mo- se, & prophetis: ubi prophetarum nomine etiam psaltæ divini, ac hagiographa omnia continentur. Ea probatio partim fuit ex vatici- niis disertim id sonantibus; qualia præsertim apud Esaiam, ac Da- niellem reperimus: partim è typis ac symbolis; cujusmodi erant sa- crificia, præcipue piacularē pro populo: item serpens in deserto erectus, Davidis gesta, aliaque, sub quibus mysterium latere, Chri- stus, & Apostoli docuerunt: multaque alia, præter ea, quæ in Scri- pturis habemus, superesse, vix dubium videtur: quamquam pro- pterea probari non multum debeat illorum industria, qui pene in omnibus vèteris Testamenti rebus mysterium simile querunt, &, si ipsis credimus, inveniunt: animo, credo, pio, sed nimis præiden- ti, sic, ut, quod cum Sabinis somniant, aliis etiam velint temere persuasum.

Vbi appropinquatum Emmaunti, simulavit Iesus, se ulterius vel- le ire: ut quidem vulgatus habet interpres. Vnde controversia ori- tur, an aliquando liceat aliud simulare, quam animus sit nobis. Putarunt id Chrysostomus, & ejus discipulus Cassianus: nempe ju- dicarunt, licere simulare apud eos, quibus hoc ipsum, ut simule- mus, prodest. Non ingredior hoc loco istam disputationem. Id sufficit quod Græce est περιποτέν. Id optime Erasmus reddit, præ se ferebat. Certe potuit præ se ferre, & non simulare, ut si revera propositum habuerit, ulterius ire, nisi instanter à discipulis rogaretur, ut secum maneret. Etianisi dixisset verbis, volo ire ulterius, non eo sit mentitus: quia id cum conditione intelligendum. Sic Matth. viii. 7. Christus centurioni aiebat, iturum se ad filium ejus paralyticum qui graviter torquebatur, seque eum sanaturum: id conditione ea dictum, nisi centurio urgeat, ut ne veniam, sed hic verbo solo sanem. Ac simili conditione Christus Marci vi. 48. dici- tur voluisse præterire discipulos: nempe nisi multum rogaretur à di- scipulis ut navem' concenderet. Cujusmodi voluntati conditionatæ

non magis repugnat scientia futuri eventus, quam divinæ comminationi de evertenda Ninive obstitit, quod Deus præsciret servatumiri. Nimirum & ista comminatio adnexam habuit tacitam hanc conditionem, nisi Vrbs pœnitentiam egerit: quam acturam Deus præscivit.

Præ se ferente Christo, ulterius se ire velle, discipuli partim quia *δικένεος* sive hospitales forent, partim grato erga doctorem animo, (facile enim videbant, vitum esse non vulgariter eruditum in scripturis) rogant eum ut secum divertere & cibum capere velit. Neque id semel ac frigide rogarunt, sed constanter; unde Euangelistæ aiunt, *παρεβίασαντο, άδεγερητο ευαγγελιστας*: puta vehementer orando. Quomodo & idem Lucas sumit Act. xvi, 15. Rogantes vero & rationem addidere, quia iam vespera eset, ac tenebræ imminerent.

Christus igitur eorum serinone persuasus, tectum una subit, atque accumbit. Ipse præter convivarum morem, instar patrisfamilias, ut solet antea, panem accipit, ei benedicit, ac discipulis præbet. Illis, ut credibile, consuetudine illa Christo usitatissima adductis, suspicio injicitur, forte hunc ipsum esse Iesum. Et fortasse peculiari etiam modo solet pani bene dicere, vel eum frangere. Ergo attentius, quam antea, considerant vultum Christi. Ecce rem mirandam. Quem haec tenus non norant, is agnoscitur in fractione panis, non illa quidem eucharistica, sive sacramentali, ut multos putasse, ex Augustino, & Theophylacto videtur est: sed tamen plusquam vulgari, nec omnis, ut videtur, mysterii experite. Tum demum agnitus, non modo, quia occasione memorata acrius in Christi vultum fixissent oculos: sed præcipue, quia jam oculis impedimentum erat nullum: eoque in vultu Christi figuram, & lineamenta omnia, possent observare. Christus vero jam agnitus *άφαντος έγένετο από των* *inconspicuus illis* fuit. Quod quomodo factum sit, varia jam olim opinio fuit: triplex imprimis. Una, ut sit factus *άφαντος* ex subito recessu. Altera, ut id contigerit ex obducta oculis caligine. Tertia, ut provenerit ex natura corporis *πνεύματις*, qualia à resurrectione fore corpora nostra, etiam Apostoli Pauli sententia est. Prima videtur placuisse interpreti Syro, & Arabi. Altera placuit Epiphanio: nempe ut simile evenerit discipulis, ac Sodomitis, cum educere Lothum vellent: item famulo Elisei prophetæ. Tertia Origenis erat, qui, ut ex aureis ejus adversus Celsum libris videmus, corpora à resurrectione creditit mediae fore natu-

ræ inter visibilia nostra, & invisibilia angelorum: ac videri, cum volunt; si nolint, non videri: quod & de Angelis ipsis existimavit. Ac tertiam hanc opinionem secutus etiam videtur vulgatus interpres, cum vertit, *Et ipse evanuit ex oculis eorum.* Eo autem conspici ultra noluit, quia videret, discipulos duos jam abunde à se firmatos esse in fide. Et propositum ei erat Hierosolymam ire, ut itidem firmaret in fide denos Apostolos, quos congregatos sciret. Discipuli ubi disparuisse Christum vident, locuti inter se de summo ardore, quo in via ex sermone Christi flagrabant. Ardor vero erat ex vehementi commotione spirituum. Illà ex sermonis virtute, atque efficacia.

Mox etiam consilium capiunt capse vespера eundi Hierosolymam, ac de iis, quæ sibi contigerant, discipulos faciendi certiores. Veniunt igitur, ac narrant, antequam eodem venisset Iesus. Sermoni eorum non habitam fidem, ait Marcus. At habitam tradit Lucas: qui & apostolos ait subjecisse, quomodo Iesus etiam visus esset Petro ὄντως, hoc est, ἀληθῶς resurrexisset, imo & visus esset Petro. Nam λέγοντας, non λέγοντες legi oportere, antea dictum. Euangelistæ autem facile conciliantur. Nempe alii credidere, alii non item: uti de αἵματι argumento est, quod etiam Christus, cum denos accessit, eorum amentiam, & incredulitatem arguit. Tanta eorum incredulitas, quam & deinceps magis cognoscemus, vehementer fidem nostram firmat. Nam nimis credulifacile falluntur, ac mox fallunt sui similes. Sed Apostoli vix ullis argumentis adduci potuerunt ad credendum; necesse fuerit, Christum & sæpe, & multis comparere, & non videndum modo se præbere, sed voce nota alloqui, & corpus dare contrectandum, & cibum iis præsentibus capere: ut qui alienis non crederent oculis & auribus, crederent suis: nec ulterius pro spectro eum haberent, qui vere à mortuis surrexisset.

4. §. *Terria apparitio est facta Petro, quem seorsum vidisse Christum, indicat sermo Apostolorum decem ad discipulos Emaunte venientes, deque viso à se Christo referentes.*

Verba eorum hæc Lucæ xxiv. 34: Ηὐρῆν ὁ Κύρος ὄντως, τῷ φρήν Σίμωνι. Surrexit Dominus vere, & conspectus est Simoni. Meminit D d d ejus

ejus visionis etiam Paulus i Corinth. xv. 5. Ambrosium adi lib. x. in Lucam cap. ult. Apud Ignatium in epistola ad Smyrnæos legas, Christum Petro post resurrectionem dixisse: Αὐτὸν, Φυλαφόντες με, καρδιῶν, ὅπερ εἰ μί δαμόνιον ἀσώματον. Quod vetus interpres reddidit: Apprehendite, palpate me, & videte, quoniam non sum demonium incorporeum. Eusebius Eccl. Histor. lib. 111 κεφ. λς, negat, se scire, unde ea verba deponit Ignatius: Οὐκ οἶδ' ὅπερ ἡγέροις συγκέχειται. Nescio unde illum locum mutuatus sit. Sed scivit illud B. Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: ubi desumptum ait ex Euangelio secundum Nazaræos, sive Hebraeos. Cujus & Epiphanius meminit non semel: imo Eusebius ipse lib. 111 Hist. cap. n. 7. Eo ex Euangelio & alia compluria à veteribus adducuntur. Quale vero id Euangelium fuerit, mox exponam. Fortasse autem, quod ex Hebraeorum Euangelio relatum, non hac apparitione factum, sed quincta, qua deceim discipuli una fuere. Hoc inde aliquis collegerit, quia Christus non dixit Petro, *palpa*, sed *palpate*, & *videte*.

5. §. *Quarta est facta Iacobo: cuius rei meminit Paulus,*
i Corinth. xv. 7.

* Catalogo
Scriptorum
ecclesiastico-
corum,
in vita Ia-
cobi.

De hoc plenius rem narrat B. Hieronymus, his verbis *: Dominus autem cum dedisset sindonem servo sacerdotis, irit ad Iacobum, & apparuit ei. Iuraverat enim Iacobus, se non comedetur panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Subjicit deinde idem: Aserte, ait Dominus, panem, & mensam. Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei, Frater mi, comedere panem tuum; quia resurrexit filius hominis à dormientibus. Hæc ita legi ait Hieronymus in Hebraico Euangelio, quod Nazariorum erat: ac à Matthæo quidem (qui in Palæstina octennio ab ascensione Christi in cælos permanens) Hebraice in Palæstinorum præcipue gratiam prescriptum fuit, sed assuta habuit quædam non à Matthæo exarata; sed fando accepta. Eo autem Nazariorum dictum, quia à Christo Nazareno primitus, qui fidem ejus in Palæstina amplexi, Nazaræi sunt vocati: postea autem annunciatum inter gentes Euangelio, Græco vocabulo à Christo nominati sunt Christiani. Cum vero fuerint Iacobi duo, is, de quo nunc sermo est nobis, ipsi Chrysostomo est minor, qui Hierosolymorum episcopus; nos major, filius Zebedæi, frater Ioannis.

6. §. *Quatuor apparitiones istæ solum uni, vel duobus factæ.*
Venio

Venio nunc ad illas, quæ pluribus contigere. Ac quincta quidem, sextaque, in Iudea: septima, & octava, in Galilæa: nona, eademque postrema, iterum in Iudea. Quincta sextaque, factæ Apostolis: prior Thoma absente, ipso Resurrectionis die: quippe Dominica post Solis occasum. Sed si cum Iudeis diem ab occasu Solis numeremus, feria secunda. Altera vero apparitio, hoc est, sexta, evenit coram eodem Thoma, octiduo post Resurrectionem.

Vtrobique tamen dicitur apparuisse undenis. Sed enim sic loquitur Scriptura more vulgari, undenos dicens pro collegio Apostolico, sive undeni forent, sive pene undeni. Similiter Paulus i Cor. xv. 5. ait, (ut est in codd. Græcis) apparuisse illis XII. Hoc itidem valet, Apostolorum collegio: quod ante miseriun illum Iudæ exitum constiterat XII Apostolis. Ut tam ἀείφεγτος sit, quam συνενδοχή. Quomodo & Athenarum rectores à Xenophonte lib. II vocantur XXX, postquam cæsus eset Theramenes, eoquæ non amplias essent tyranni XXX, sed undetriginta.

Vt vero historia utriusque apparitionis melius intelligatur, distinet agam, primo de apparitione priori, deinde de altera.

Quod ad priorem, primum Christus se inexspectatus in medio stitit Apostolorum cœtu. Quod factum ipsa Resurrectionis die, οὐφίας ἡμορθίης, cum jam serum esset, ac tenebræ nocturnæ. τῷ δυρῶν κεκλεισμένῳ, foribus clausis: nempe & de nocte, & foribus clausis, congregabantur discipuli, Λαζάρῳ φόβον τὸν δαίμονα. Ob metum Iudeorum. Quomodo & clavis foribus congregatos liquet Act. XII. 13. Nam pulsasse sèpius Petrus dicitur: & ancilla dicitur subau- scultasse, ut ex voce cognosceret, an intromitti posset. Ex Plinio etiam, Tertulliano, & aliis, de nocturnis Christianorum cætibus cognoscere licet. Quarat aliquis, quomodo clavis januis ingressus sit Christus: sic ut non pareret qua parte esset ingressus. Nempe divinæ fuit naturæ opus, ut est apud incertum scriptorem Quæstionum, & Responsionum ad Orthodoxos, quæst. cxvii: ubi hoc plane reponit inter τὰ ἄπειρα φύσιν τὴν φύσιν μηνύμενα, quæ supra naturam in natura sunt. Modum addit istiusmodi: Οὐ πάντῃ τεοπτερῷ σώματι εἰς τὸ πνόμα, ἐποίησεν εἰς αὐτὸς τὴν εἰσόδον, αἷς ἐν παχυμερεῖ σώματι τῇ θείᾳ αὐτῷ διωκόμενον ποιήσει τὸν φύσιν. Quod non mutatione cor-

poris in spiritum, sed per divinam suam potentiam, rerum, quæ supra natu-
ram, effectricem, hujusmodi introitum ad eos instituerit. B. Augustinus lib.
xxii de Civitate Dei cap. viii, quod est de miraculis: Non cre-
dunt hoc, qui etiam Dominum Iesum, per integrâ virginalia matris enixum,
& ad discipulos, ostiis clausis, ingressum fuisse, non credunt. Sed fuse im-
primis de eo Cyrillus Alexandrinus in Ioan. lib. xii. cap. lxxxii:
*Clausis ergo foribus, repente Dominus omnipotens sua, natura rerum super-
rata, ingressus ad discipulosest.* Nullus igitur querat, quomodo, clausis januis,
corpus Domini penetrarit, cum intelligat, non de homine nudo, ut modo nos fu-
mus, sed de omnipotente filio Dei hac ab Euangelista conscribi. Nam cum
Deus verus sit, rerum naturæ non subjet. quod in ceteris quoque miraculis
patuit. Quibus plura alia subjicit huic firmando.

Hinc constituit Christus in medio Apostolorum; eosque salutavit
his verbis. Εἰρήνη ὑμῖν, Pax vobis. Quod Latinis voce Punica sit *Avete.*
Qualis pax intelligatur, docent hæc verba ejusdem Salvatoris Ioa.
xiv. 17: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, sed non quomo-
do mundus dat, ego do vobis.* Siquidem mundi pax sæpe inane est no-
men, quia interius non est pax, vel quies, sed tumultus, ac seditio-
nes. Dispar est ratio in pace Christi, cuius suavitatem spiritus perfun-
ditur, ac reficitur, dum cogitamus, quomodo Christus pro nobis
cruiciatus pertulerit, ac mortem, quo nos reconciliaret Patri.

Tum vetuit eos timere, eo'quod ipse esset. Εγώ εἰμι, μὴ φοβεῖτε.
Ego sum, ne timete. Quæ verba non modo agnoscunt Syrus, & A-
rabs: sed etiam vulgatus interpres, atque Ambrosius: ut omnino sit
verisimile, ea verba ex Græco codice aliquo, unde exscripti alii, ex-
cidisse. Valde fallitur vir summus, quando hoc ex Euangeliō Ioannis
translata esse autumat, cum neque istic compareant. Causa vero,
cur sic eos compellaret Iesus, hæc subiungitur, quod exinde animo
essent perturbati, quia crederent, se videre spiritum, sive, ut in Na-
zaræorum Euangeliō erat, (quod multa è famæ traditione adjecerat
Matthæo) dæmonium incorporale. Quon nomine intelligitur spiri-
tus malignus: qui sæpe solet mortuorum specie comparere: quod
multi etiam factum esse arbitrantur in Samuele à Pythonissa excita-
to. Quæ super eo opinio sit nostra, videre est è literis, quæ legun-
tur in Ioannis Beverovicii *Quæsitis per epistolam, aliorumque*
responsis.

Exquisivit igitur Iesus ex Apostolis, quid ita percellerentur, co-
gitationibus variis animum sabeuntibus, illa imprimis, malum esse
spiri-

spiritum, qui illis illuderet phantasmate. Ne visu quidem, & allo-
quio istoc fatis firmatus erat animus omnium. Plerorumque tuu
etiam metus erat, ut dixi, ne spectrum vidissent. Altera igitur ratio
ad firmandos Apostolos accessit. Iesus manus, pedes, latus, ostendit,
ac cicatrices, ut vestigia vulnerum, quæ iis partibus acceperat.
Vnde eos jussit cognoscere, non se spiritum esse: quippe, qui non
habent carnem, & ossa. Dixeris, non fuisse id validum argumentum,
quia & angeli corpore vero induiti comparuere. Fateor: sed enim
his Deus vera creavit corpora: quod dæmonibus non facit. Eoque
vel frigida cadavera adsumunt, quæ non meticulosis haut adeo ope-
rosum est tactu vel aliter dignoscere: vel corpora habent ex acre
formata: quæ φαντάσματα dicuntur, quia non sunt, quod apparent.
Solidum igitur est Christi argumentum, quando sic colligit: aut Ie-
sus videtis: aut phantasina. Nam ne verus esset angelus, minime
metuebant, eoque nec eo probato opus fuit.

Sic etiam animi fuere incerti, quia ita fere omnes sumus, ut quod
vehementer cupimus esse verum, id difficulter credamus, ac me-
tuamus semper, ne in falsum conjiciamur gaudium. Itaque tertium
addidit Christus. Cibum apponijussit. Præbuere illi partem assi pif-
cis: & favum mellis. Comedit Christus: unde & Petrus Actor. x. 4.
ait, una cum eo edisse, & bibisse. Ac vere comedit, non quia esfu-
raret, aut sitiret, sed ut resurrectionis veritatem comprobaret: se-
que hominem commonstrareret, non spiritum. Dixerit aliquis, non
esse hoc solidum argumentum, quia & Angeli ederint, & biberint;
ut Genes. xvii. 11. 9, apud Abraham; Genes. xix. 2, apud Lotu; Raphaël item in Historia Tobiae. Sed enim in Angelis non est actio
naturalis corporum viventium. Christus vero non cibum, ut an-
geli, in corpus ingessit inaniuum, sed in corpus vivum: non ta-
men ad nutritionem id factum: sed solum ad veritatem corporis
comprobandum. Hinc Augustinus epist. XLIX: *Futura resurrectio-
nis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibum sumere non potuerit: imper-
fectæ felicitatis, si cibi egerit.* Sed aliter absorbet terra aquam satiens,
aliter Solis radius candens: Illa, indigentia; iste, potentia. Quibus signi-
ficat; quod ederit, fuisse non egestatis, sed potestatis: nec ci-
bum in stomacho concoctum: sed absuntum, ut humorem So-
lis calor absunvit. Si hoc non videatur per se sufficere, occurrat il-
lud Ovidii:

Et quæ non prosunt singula, multa juvant.

Quomodo in hisce apparitionibus concurrunt effigies, loquela, vulnera, tactus, esus, potus, progressus, conversatio, prædictio, miracula, testimonia Angelorum, vaticinia prophetarum. Omnia perfecte commonstrant, non æque singula, perfectissime cuncta, h. e. conjuncta. Nam id discriminis est inter omne, & cunctum, ut in Originum libris ostendimus.

Denique triplici huic argumento addidit argumentum ex Scripturis. Vnde Lucas xx iv. 44: *Hi sunt sermones, quos locutus sum ad vos, cum roboscum (puta in quotidiano convictu, non, ut nunc, dispensatione quadam) adhuc esse: quod necesse foret impleri omnia, qua sunt scripta in lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis, de me.* Vbi videmus, quomodo Scripturæ dividantur. Per *Mosem* intelligitur Pentateuchus: per *prophetas* tum historici signantur, qui prophetæ anteriores vocantur, quia ante-aëta enarrant; tum prophetæ posteriores, qui postfutura prædicunt, ac proprie magis prophetæ nuncupantur. Per *psalmos* designantur hagiographa: quia princeps in iis est psalmis locus: cæteroquin & tres Salomonis libros comprehendunt: ut ex Iosepho constat.

* C. 24. v.

45. 46.

Subjungit Lucas *: *Tunc aperuit eorum mentem, ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis, Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die &c.* Apertio cordis non solum fuit à verbis Christi: sed etiam à Spiritu S. illustrante intellectum. Hæc enim duo ad φωτούννα concurrunt. Testimonia è Scripturis, non tum modo, sed illis xl diebus, quibus in terris fuit, adduxit, & explicavit, ut postea dicetur. Quæ vero subdit deinde Euangelista de mandato prædicandi Euangeli, & promissione Spiritus Sancti, deque mandato altero, ut Hierosolymis exspectarent illum donec accepissent; etsi ea tum attigisse Christus possit: plenius tamen exposita die ascensionis: quam resurrectionis: de quo nunc loquimur. Quippe in Iudæa solum accepere mandatum, ut irent in Galilæam: in Galilæa autem, ac Bethania, iussi, postquam esset sublatus, Hierosolymis subsistere, donec Spiritum S. accepissent, ac inde Hierosolymis orsrapud omnes gentes prædicare penitentiam, promittere remissionem peccatorum, atque ex suo mandato, jure, &c, quasi vices Christi obundo, credentes baptizare: quemadmodum inferius dicetur.

Postquam Christus tot argumentis firmarat Apostolos: munus suum, tanquam legatione perfunctus, resignat Apostolis, quos vicarios suos facit. Atque hoc pertinent verba illa Ioannis xx. 21: *Sicut misit*

misi me Pater, & ego misso vos. Quæ similitudo etsi dispar magnam partem, valde tamen Apostolicam dignitatem commendat: nec Apostolicam modo, sed illorum etiam, quos Apostoli in docendi munere sibi suffecerunt. Porro ad hoc munus exsequendum, partim contulit, partim uberioris promisit gratiam Spiritus Sancti. Hoc factum per insufflationem, tanquam symbolum non inane, sed efficax. Nempe uti primo homini insufflando datus est spiritus vitae: ita & Apostolis insufflando, partim reapse datus, partim uberioris promissus est Spiritus Sanctus ad novam vitam. Valde autem accommodatum erat insufflationis symbolum; quia Spiritus S. vento confertur Act. i. 4.

Porro ex eo quod Christus dicat, *Accipite Spiritum S., colligitur, Spiritum non à Patre solum, sed etiam à Filio procedere.* Qua de re ita Augustinus lib. iv de Trinitate cap. xx: *Nec possumus dicere, quod Spiritus S. & à Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus & Patris, & Filii dicitur.* Nec video, quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem discipulorum ait: *Accipite Spiritum S.* Neque enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus S. fuit; sed demonstratio per congruam significationem, non tantum à Patre, sed & à Filio procedere Spiritum S. *Quod ergo ait Dominus, Quem ego mittam vobis à Patre: ostendit Spiritum & Patris, & Filii;* quia etiam, cum dixisset, *Quem mittet Pater, addidit, in nomine meo.* Non tamen dixit, *Quem mittet Pater à me:* quemadmodum dixit, *Quem ego mittam vobis à Patre:* videlicet ostendens, quod totius divinitatis, vel (si melius dicitur) Deitatis principium Pater est. *Qui ergo à Patre procedit, & Filio, ad eum refertur, à quo natus est Filius.*

Præterea iis dedit potestatem remittendit peccata: quo & pertinent verba illa Matth. xv 11, 18: *Quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in calo: & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in calo.* Quod illic promittitur, hic confertur. Dixeris, solum Deum habere potestatem remittendi peccata. Sed filius hanc potestatem à Patre accepit: camque Apostolis dedit, non sic tamen, ut non magnum reluceat discriminus inter modum, quo Christus, eumque quo Apostoli remittunt peccata. Apostoli remittunt, partim cuin fidem professos baptizant in remissionem peccatorum, atque ita Ecclesiæ inserunt: partim cum post pœnitentiæ testimonium iterum in communionem admittunt: de quorum utroque alibi dicimus. Sub conditione igitur fidei ac pœnitentiæ remittunt peccata: idque Christi nomine. At Christus propria auctoritate ea remittit, & citra conditionem, quia est *καὶ διογύω-*

57; coequo solum remittit iis, quos scit credere. Ait vero Christus, quorum remiserint peccata, fore remissa: sed & quorum retinuerint peccata, ea fore retenta. Quod tum fit in incredulis, quibus non impertuntur baptismum; tum post enorine delictum contumacibus, quos non admittunt ad communionem. Nempe hoc Apostolorum judicium futurum erat praeivum signum divini judicii secuturi. Unde Tertullianus: *Sumnum futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii, relegateatur.* Quemadmodum vero remissorum erat peccatorum visibile signum sanatio morborum, quos immiserat Deus propter peccata; ut videre est Iacobi v. 4: ita & alienati ob peccata numinis indicium erat, vel cæcitas inducta, ut Act. xiiii, 11: vel conspicuum in aliquem Satanæ dominium; de quo 1 Cor. v. 5. & 1 Timoth. i. 20.

Hæc de apparitione priori: de qua spissus est error multorum, quando censem, eam fuisse novissimam, contigisseque ipso Ascensionis die. In hunc errorem eos præcipue impulit, quod vulgatus interpres Marci xvi. 14. ὅτε προσέπειν verterit novissima: quemadmodum & recentior interpres *postremo* reddidit. Omnino autem Erasmo assentiendum, qui vertit *postea*: quomodo sumitur à Thacydide, Plutarcho atque aliis. Hoc pacto perfacile sit solvere nodum, quem ex vi-
tiosa tralatione necit Augustinus lib. lli. de consensu Euangelistarum cap. xxv.

Venio nunc ad apparitionem alteram, quæ itidem facta Hierosolymis: sed præsente etiam Thoma. Relatum illi ab Apostolis erat, quomodo, eo absente, vidissent Dominum. Hoc non poterat in animum inducere. Itaque non dubitavit dicere: *Nisi video in manibus ejus typum ex clavis, (ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῆς τὸ πόνηται)* ac mittam digitum meum in clavorum locum, (*τέπτω, non τύπω*) & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Vbi videmus quinque vulnerum loca signari: de quibus cognorat ex Ioanne. Is enim præsens cuncta conspexerat. Porro omnia ista loca non videre modo, sed etiam contrectare se velle ait Thomas: absque isto crediturus erat, tuisse Apostolos vel oculis deceptos, vel phasma vidisse. Ingens & misia; sed bono nostro literis mandata. Qua de re scite Leo Magnus Serinone in Ascensione Domini i: breviter, more suo, Petrus Chrysologus serm. LXXXII: pluribus Gregorius Magnus initio Homiliae xix: fusius que hoc ipso, in eandem mentem, Radulphus Ardentius homi-

lia Lxx primæ editionis. Hujus verba quidem: *Sed, fratres mei, quare Dominus electos discipulos suos permisit de sua resurrectione tam diu dubitare? Non hæc frustra; sed provida, & utili, hæc nobis permisit dispensatione. Plus nobis quippe profuerunt illi, qui tarde, & vix crediderunt. Creduli nempe facile credunt, etiam rei nondum probatae. Increduli vero econtra rei multimodis probatae vix credere volunt. Quis ergo non credat, quod etiam increduli non credere non potuerunt? Quis non credat, quod Thomas incredulus visu propiore, & atrectatum manus diligenti, credere compulsus est? Quis non credat, quod Paulus incredulus, & fidei persecutor, à Domino sibi loquente prostratus, excruciatus, & post ab eodem reilluminatus, credere coactus est? Credamus ergo, fratres, absque dubitatione, quod etiam increduli crediderunt; & agamus Deo gratias, qui ideo discipulos suos dubitare voluit, ne nos dubitaremus; ideo eos ad tempus incredulos esse voluit, ne nos increduli essemus. Hæc Radulphus. Ex his cognoscere est, quo Apostoli ipsi ad credendum erant difficiliores, hoc oportere nos faciliores esse ad credendum. Nec enim fidem leviter habuerunt: sed demum gravissimis ac non dubiis argumentis convicti. Christus igitur, ut Thomæ etiam omnem eximeret scrupulum, iterare ea octiduo post voluit, ac proinde iterum feria prima, qua resurrexerat; & cum Mariæ Magdalenæ, & discipulis Emmauntem euntibus, &, si non Iacobo etiam, saltem Petro apparuerat; quodque præcipuum erat, Apostolorum collegio non integro quidem, quando ex Scripturis liquet de Thoma absente, attamen pene integro, ac, ut probabile, solo Thoma absente: et si fieri possit, ut etiam aliis absuerit; de quo iccirco nihil dicatur, quia is crediderit Apostolico sermoni.*

Hanc Dominicam, quæ sequitur Dominicam Paschalem, clausum Pascha appellat Matthæus Parisius in Historia.*: *In octavis Pasche, quod vulgariter clausum pascha nuncupatur. Belgis bloke paesen / pro brolken / sive gebrolken Paschen / h. e. pascha fractum.*

Quia vero Christus tuum surrexit feria prima, & eadem Apostolico collegio apparuit: & octiduo post itidem feria prima secundo se stit collegio eidem: imo & quinquagesimo à resurrectione die, quo misit Spiritum S., itidem feria erat prima: deinceps etiam Apostoli conventibus addixere sollemnibus feriam primam. Quomodo legimus Act. xx. 7, hac die congregatos fuisse discipulos, ac Paulum prædicasse, & sacramentum $\delta\chi\alpha\epsilon\sigma\varsigma$ administrasse. Atque iccirco Apostolus etiam i Cor. xvi. 2. jubet ea die reponere collectam,

ne id demum fiat, cum eo venerit. Atque inde nomen *diei Domini*, Apocalypsi. 1. 10.

Iterasse vero Christum, quæ octiduo ante fecerat, liquet ex eo quod itidem se clavis januis subito stit in medio Apostolorum, qui jam non deni, sed undeni erant. Monuit tum Christus Thomam, ne ultra esset incredulus. Nam & fides recte imperatur, quia ex parte aliqua est in potestate voluntatis. Deinde jussit, ut manum mitteret in locum clavorum, acvulneris à milite in laterc accepti. Creditur à nonnullis Thomas contentus tum fuisse conspicere cicatrices. Sed verisimilius est, contrectando paruisse Christo. Ac quidem primo exclamavit, O' νύεός μα, O domine mi. ut communis fert opinio, (alteram quoque inferius subdam) Attice rectus ponitur pro vocandi casu : quomodo & mox subditur, καὶ ὁ θέος μα, & Deus mi. Ac simili-

* Secundum Hebr. cod. 35. Psal. xxxiv *, 23 : Ε'ξερέθητι, κύρε, καὶ τεργάστη κείσαι μα, ὁ θέος μα καὶ ὁ πάτερ μα, εἰς τὴν δίκιν μα. Excitare, domine, & attende iudicio meo, Dominus meus & Deus meus, in causam meam. Sic Marci, xv. 34 : O' θέος μα, ο' θέος μα, εἰς τὸ με ἐγκατέλιπες ; Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti ? Sed apud Psaltem prius est; Deus, inde Dominus: contra in sermone Thomæ: quod non de nihilo est. Deus præmittitur à psalte, quia Deus dicitur absolute, Dominus ratione creaturarum: ut Deum esse natura sit prius, imo & tempore. At Thomas prius vocat Dominum appellatione consueta; deinde vocat Deum, postquam è contrectatione resurrectionem, atque ex ea colligebat eum esse, à quo vitam, eamque æternam, exspectare oporteret. Vnde de se Christus ipse Ioa. xii. 25 : Εγώ εἰμι ἡ αὐτόσις. Ego sum resurrection. h. e. auctor resurrectionis. Quomodo & i Cor. i. 30. dicitur justitia, sanctificatio, & redemptio: nempe Κατερρυπίαν causæ efficientis.

Non igitur adsentiendum Theodoro Mopsuesteno, qui volebat, figuratum esse sermonem per exclamationem. Quasi diceret, O deum immortalem ! quid video ? quid tango ? Sed ejus sententia sub anathemate damnata est Synodo V Constantinopolitana act. 111 Can. xi, & in Edicto Iustiniani Imper. de Professione Fidei. Sane si solum Exclamatio foret, nonutrobique articulus & foret, sed ejus loco &. Quare assentimus Athanasio epistola ad Maximum. Conjicunt, inquit, cum pudore oculos ad Thomam palpantem Christum, illumque & Dominum, & Deum confidentem. Ac facile assentimus iis, quibus placet, non tam esse Atticismum nominatiyo posito pro votati-

cavito, ut diximus antea, quam ab affectu esse, quod trunca oratione usus sit Thoimæ: nec clare dicitur, *Tu Dominus, tu Deus meus es.*

Ad eum Thomæ sermonem respondit Christus, beatum nunc quidem esse quod tandem credat, postquam vidit; (sub quod comprehendere, quod etiam audivit & contrectavit) sed beatiores esse qui crediderint, licet non viderint.

Ex utraque vero apparitione ista videamus, etiam à Resurrectione Christi remansisse in Christo vulnerum cicatrices. Ea vulnera fuere quina: duo manuum, totidem pedum, & unum lateris perfoSSI. Sane plurium non meminit Scriptura. Veteres tamen sic interdum loquuntur, quasi & sextum fuerit, lancea per utrumque latus adacta. Sed de quinis malim. Horum signa remansisse, clare etiam agnoscit Leo Magnus serm. i de Ascensione: *Dum in corpore suo Christus ostendit reliquias vulnerum, vestigia cicatricum.* Causam etiam aperit B. Ambrosius in Lucam lib. x. cap. ult. *Quomodo non corpus, in quo manebam insignia vulnerum, vestigia cicatricum, qua Domini palpanda obtulit? In quo non solum fidem firmat; sed etiam devotionem acut, quod vulnera suscepit pro nobis calo inferre maluit; abolere noluit, ut Deo Patri nostra pretia libertatis ostenderet.* Nempe voluit Christus ea reservare; partim ut illis fidem discipulis ficeret; partim quia hoc ad gloriam ipsius ficeret: quomodo cicatrices adversæ militein non fœdant, sed honestant. Quare martyribus putamus partes quidem resectas redditum iri, nequid sit monstrosum: attamen conspicuas fore cicatrices, ac indicia quædam martyrii, quo fuere affecti. Vide B. Augustinum lib. xxii de Civit. Dei cap. xx.

7. §. *Septima fuit apparitio in Galilæa: quo Apostolos concedere jusserat Christus.*

Vbi queritur, cum mox à Resurrectione præceperit Christus, ut discipuli irent in Galilæam, cur bis se prius iis ostenderit Hieronymis: ut proxime vidimus. Huic sic occurrit Ambrosius lib. x. in Lucam cap. ult. *Convenientius arbitrer, quod Dominus quidem mandaverit discipulis, ut in Galilæa se viderent: sed illis metu intra conclave residentibus, primum se obtulisse: postea vero confirmatis animis, illos Galileam petisse.*

Etiam queritur, cur jusserit Christus ut in Galilæam potius irent, quam Hierosolymis subsisterent. Nempe eo id præceptum, quia in Galilæa non tantumdem poterat ambitio, atque invidia procerum.

Tūtius igitur in Galilæam itum: ubi substitere usque ad diem à resurrectione quadragesimum; quo adscendit in cœlos.

8. §. Cum vero bis in Galilæa apparuerit discipulis, prior eorum apparitionum, contigit ad mare Tiberiadis: quam septimam vocamus, accensis illis, quæ in Iudea contigerunt.

Sed potest & tertia apparitio vocari: quando in Euangelio Ioannis cap. xxii. 14. sic legitur: Τότε ἡδη τέταρτη ἐφανερώθη ὁ Ἰησος τῆς μάγιστρι τῆς αὐτῆς. Hoc jam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis. Sed tertia hic apparitio dicitur ex iis, quibus non uni solum, ut nunc Petro, nunc Iacobo: nec duobus solum, ut discipulis Emauntem euntibus, ostendit: sed si non denis, vel undenis, saltem senis se ostendit. Quanquam & possis dicere, tertiam dici, quia Euangelista dicrum numero computat. Ut primæ apparitionis nomine continetur omnes, quæ prima die continentur: ut qua mulieribus, Petro seorsum, seorsum Iacobo, ac denique denis apparuit discipulis. Sic altera fuerit, qua octavo post resurrectionem die apparuit Apostolorum collegio, etiam Thoma præsente. Tertia, qua apparuit die tertio, nempe ad mare Tiberiadis.

Hanc apparitionem solus describit Euangelista Ioannes cap. xxii. Quam tamen ipse non videtur edidisse. Potius Euangelium terminarit capite xx. quod probabile reddunt ejusce capitinis versus duo ultimi. Hi sic sonant: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hac autem sunt scripta in libro hoc, ut credatur, quod Iesus est Christus ille filius, & ut credentes vitam habeamus per nomen ejus. Quibus verbis videtur finem imposuisse Euangelio suo.* Ut sententia sit: In hoc signo desinam: quia longum sit omnia scribere: & ista sufficient ad salutem. Quomodo, scribentem aliud tum temporis signum voluisse superaddere, non est verisimile. At qui capite proximo refertur apparitio Domini ad mare Tiberiadis. Illa igitur sit addita ab Ioanne post editionem primam: vel post ejus excessum ab Ioanne presbytero, atque Ecclesia Ephesina: quæ non modo ex ore Ioannis Apostoli sèpius audierat, sed credo etiam in privatis repererat scriptis. A morte vero Ioannis Apostoli accessisse, malo credere: propter illa verba vers. 24: *Scimus, (οἴδαμεν) quod verum est testimonium ejus.* Nam Ioannes de se

se potius *scio* (οἶδα) dixisset: quomodo cap. xix. 35. singulo numero de testimonio sui loquitur. Neque ea res fidei hujus capituli ultimi detrahit quicquam: cum similiter Pentateuchi verba extrema de morte Mosis post mortem ejus addita sint. Iosuæ etiam libro, quem ab Iosua ipso scriptum fuisse legere est in Talmude, additi fuerunt versus v postremi, de morte Iosuæ, & inde consecutis.

Apparitio vero, quam accessisse postea, dicebamus, habet hoc pacto. Petro piscari in animo erat: partim alimoniarum causa, quam antea ex comitatu Christi percipiebant: partim, quia dum Apostoli Spiritum jubentur expectare, vix aliud erat, quod agerent. Huic discipuli sex se comites addidere: Iacobus Zebedæi filius cum fratre Ioanne, Thomas sive Didymus, Nathanaël è Cana Galilææ, & duo, quorum nomina reticentur. Tota autem nocte nihil piscium cuperunt. Vbi diluxit, Christus in litore constituit, nec tamen agnitus est à discipulis. Quæsivit vero è pueris (sic pescantes blandimenti causa appellabant) an non haberent obsonium: qua voce omnino quidem θερφάγον, sive quod cum pane comeditur, designatur: sed præcipue & κατ' ἔξοχων piscis; ut est apud Athenæum initio lib. vii, & Plutarchum Sympoliacum lib. iv problemate iv, pluribusque ostensum præceptor meo Francisco Nansio Notis, & Curis secundis ad Nonni cap. xxii. vers. 60. Negantibus illis, sibi esse obsonium, jussit Christus, ut rete mitterent ad dextrum navigii latus. Hoc videtur litus spectasse, ubi minus piscium esse solet, eoque haec tenus ad sinistrum latus erat iis pescatio. Promittit autem iis Christus felicem pescationem. Eaque pollicitatio jam divinitatis erat argumentum. Parent Christo: ac mox tanta est capta piscium multitudo, ut rete in scapham attrahi nequiret. Ioannis novitate rei motus, attentius eum considerare cœpit, qui hoc jussérat: ac mox Dominum esse ait. Tum Petrus, qui antea, ut expeditior foret, solum erat indutus interiori tunica, cætera vero nudus, induit tunicam exteriorem, eamque honoratiorem: quæ ἐπενδύτης, vel ἐπένδυμα nuncupatur. Ea ubi se succinxit, vado ad Christum iit, parum pensi habens, si vestis ea paullum huinectaretur, dum honoratori se veste sic sisteret Christo. Ut vero laudabilis ille Petri fervor fuit: ita nec segnitiei culpandi cæteri. Quippe videbant, se quoque brevi affore Christo: nam navigium à litore aberat stadiis solum ducentis. Præterea lausa fuerit Petri, quod foret promitor: at ea Ioannis erat, quod erat perspicacior. Prior enim Chri-

stum esse animadvertisit. Postquam per ventum in litus , contuentur ibi cum panem , tum ὁψώνιον, prunis impositum : ubi obsonii nomine pisces signantur : nisi unicum , & ingentem fuisse verius sit. Hæc vero Christus non aliunde habuit : sed creavit : quamquam & piscis ad jussum Christi possit è mari se stitisse Christo. Præcepit deinde Iesus, ut & ipsi discipuli pisces apponenter quos cepissent. Petrus igitur (cum sociis, credo , sed is princeps) navem adiungit , ac rete attraxit in terram. Id plenum fuit piscium , & magnorum , & multorum ; puta C L I I I . Qui numerus non videtur mysterio carere. Nam per magnos , multosque pisces, multas magnasque gentes denotari verisimile est. Etiam à nonnullis traditum, tot esse piscium genera. Et figura hujus fuerit, quod temporibus Davidis, ac Salomonis , fuerint C L I I I millia profelytorum : ut legere est 11 Paralip. 11. 17. Merito autem pro miraculo habendum , quod cum tanta esset piscium copia, non propterea rete frangeretur. Nempe & hoc videtur præ sagium fuisse concordia futuræ inter eos , quos Apostoli essent congregaturi in rete Dominicum. Exinde suos Iesu vocat ad jentaculum. Nam & hoc per ἀειστον notatur, ut ex Homero liquet. Illi etsi viderent, augustinorem esse Christi vultum , quam olin conspexerant : non tamen ausi fuere eum interrogare , quis foret : neimpe quia tum ex vultu , ac voce, tum ex hisce miraculis, satis viderent, esse Christum. Is vero deinde , tanquam paterfamilias , panem , & pisces , singulis distribuit: sic quoque referens Ecclesiæ suæ gubernatorem , qui cuique sua dona admittitur. Vere autem comedisse Christum, liquere ex iis possit , quæ superius dicebamus de apparitione quincta : quando Christus coram x discipulis comedit de parte assi piscis , & favo mellis.

Affum hunc pisceum symbolum fuisse Christi passi, legas apud Bedam in Lucæ cap. xxiv: Quid signare credimus pisceum affum , nisi ipsum mediatorem Dei , & hominum, hominem passum ? Ipse enim latere dignatus in aquis generis humani , capi ruluit laqueo mortis nostra , & , quasi tribulatione , affatus est tempore passionis sue. Ac tangit idem cap. xxii in Ioannem. Sed longius hæc petita. Quo pacto homo spiritualis conseratur pisciasso , exponitur quæstione LXXIX earum quæ Athanasio tribuantur.

Melle, & favo, quid signetur, Augustinus refert. Censet, melle animam nostram signari, favo corpus. Melle se juncto à favo notari dulcissimas epulas , quibus anima fruetur, ubi è corpore excesserit. Fa-

vo autem signari cibum, dum anima hoc corpore continetur. Eleganter hæc dicuntur: sed eo Christum spectasse, non temere asseram.

Postquam vero cibum una sumissent: quando tempus incipit maxime idoneum colloquiis: ter Petrum rogavit Christus, an se amaret. Ac primum hoc pacto: *Simon Iona, diligis me plus, quam hi?* Prætulerat se discipulorum aliis, cum diceret: *Si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Domine, tecum paratus sum & in carcere, & in mortem ire.* Disciplinæ igitur hic Ecclesiasticæ exemplum habemus, quando, qui sic sese extulerat, rogatur, an plus cæteris diligenter. Sed non ita lœva mens erat Petro, ut se ulterius præferret aliis. Solum igitur dicit: Amare se Christum, & Christum hoc scire. Scite Augustinus: *Sufficit ei testimonium perhibere cordi suo: noluit esse judex cordis alieni.* Merito autem ad Christum provocat, quia jam experimento didicerat, melius se nosci à Christo, quam se ipso. Respondit Petro Iesus, *Pasce agnos meos. Meos, inquit, non tuos.* Et cum pascere ait, sententia est, Non tibi consule, sed illis; nec coge, sed suade. Sic enim pascendi vocem ipse intellexit Petrus; ut indicat prioris epistolæ suæ cap. v. 2. *Pascite, quantum in vobis est, gregem Christi, curam illius agentes, non coacte, sed volentes: non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo.* Secundo rogatus, similiter respondit. Cum tertio rogaretur, indoluit. Sed disciplinæ Ecclesiæ conveniens fuit, ut, qui ter negasset, non nisi tria confessione in integrum restitueretur.

Præterea Petro prædixit, ubi consenuisset, hoc est, **XL** annis post, vinculum iri, non uti junior soleret, sed vinculis, quibus duceretur, quo natura abhorreret: unde violentam fore mortem cognoscitur: additur etiam, fore, ut alter ejus manus extenderet; quo, ut in Evangelio dicitur, significatur modus, quo esset Deum glorificatur. Vbi magnificum audimus martyrii encomium, quod condecorat Deum. Ex manuum vero extensione cognoscitur, violentam illam mortem, fore mortem crucis. In eaenini manus extenduntur. Sane hac sublatus Petrus, idque Romæ: sicuti cognoscere est ex non uno loco Tertulliani. Item ex Clementis Alex. lib. vii: Caio item, & Dionysio Corinthio, apud Eusebium: ut Ambrosium, Prudentium, Chrysostomum, Theodoretum, & juniorum alios reticeam. Non habere mihi frontem videntur, qui hoc negant, repugnante omni antiquitate: quasi in historia aliunde sapere possimus, quam ex anti-

quo-

quorū monumentis. De morte autem eo melius hæc scribere potuit Ioannes , quia Petrus sub Nerone mortuus est Rōmæ : at Ioannes post Neroneū ea scripsit : nempe , ut Theophylactus ait, in Patmo in sua.

Hinc jussit Iesus , ut Petrus sequeretur se : quod symbolicum fuit. Nam per corporalem sequelam significabatur, ei etiam Christi instar mortem esse subeundam pro veritate Euangelii. Paruit in eo Petrus Christo. Sed, dum sequitus , videt, etiam Ioannem sequi, qui amore Christi par Petro , aut superpar fuit. Non hoc ille Iesus erat. Hinc cogitatio subit , quia de sua morte cognorat, exquirendi etiam , qualis mors alterum hunc discipulū maneret. Tum Christus, ut excuteret Petro curiosam ac supervacuam desodali suo curam , sic ei dicere : *Si eum volo manere , donec veniam , quid ad te? tu me sequere.* Quasi dicat : *Quid si nolim eum à statione sua abripi , & occidi : sed ipse , qui Imperator sum omnipium sub meis militantium vexillis , eum à statione sua arcessam: eoque non violenta, ut tu, sed sua morte fungetur : ecquid ad te hoc pertineret?* Tu hoc age , & sequere me, etiam morte violenta , qua prævi , meique instar hac Deum condecora. Discipuli, qui adstarent, non intellexere hæc verba: quod inde erat quia vox *adventus* est ambigua : nam & accipi potest de adventu singulatim aliquem spectante: ut quo Ioannem arcesseret à statione sua : & de adventu, quo venturus ad judicium universale. Quod tempus *adventum suum* appellat Matth. xvi. 27. & xxiv. 30. Nec dubium , quin à resurrectione plenius, planiusque, de eo egerit Christus. Cum igitur discipuli intelligerent adventum Christi secundum, ad vivos , in mortuosque judicandum ; opinio hæc eorum animos pervasit, non moritum Ioannem. Et fortasse duravit ea opinio etiam, donec moreretur. Nempe alebat opinionem, quod ad tam longam pertingeret ætatem. Ac tandem præter exspectationem mortuo , Ioannes nomine presbyter , Ephesinus episcopus, cuius & secunda, tertiaque epistola Ioannis jam olim credebantur , Ecclesiæ suæ nomine ea adjeçerit : ne Christus falsus yates, videretur : Ac fortasse addiderit ex scriptis B. Ioannis privatis : quibus ipse hoc prius scripsit , ut animis hominum evelleret opinionem de se falso suspectam . Non audiendus vero Trapezuntius libello ad Papam edito , quo contendit , Ioannem non obiisse: sed cum Enoch , & Elia , venturum ante judicium. Impulit eum ad lianc sententiam vitiosa codicū yulgatorum lectio ista : *Sic enim volo manere , donec veniam :*

quo-

quomodo & in Ecclesiis cantari solet. Sed omnino *etiam si*, non *sic*, vertendum: quicquid contra contendat Trapezuntius. Recte Tertullianus de Anima: *Obiit & Ioannes, quem in adventu Domini fuisse remansurum, falsa fuerat spes.* Et ut ad propiora tempora ac loca veniam, quis melius hoc noſte potuit Polycrate, qui Ephesius ipſe Episcopus fuit? Is Ephesi mortuum scribit ad Victorem, episcopum Romanum: ut videre eſt apud Eusebium lib. 111 Hist. Ecclesiast. cap. xxxi.

Quare non possum accedere Catharino, Salmeroni, & Baradio; qui (ut de iis scribit Cornelius à Lapide *) putant, Henoch, & Eliam, * In Genes. & S. Ioannem Euangelistam, necdum esse mortuos, ideoque eos adhuc habere pagin. 95. mortalia corpora, venturoſque eſſe contra Antichristum, & ab eo martyrio af- col. 2. ficiendos. Oimne hoc inde eſt, quod ad *Si* additum ſit *c.*, ut fieret *Sic.* Cornelius à Lapide cum nollet recedere à textu vulgari, qui *sic* ha- bet, & ſciret, quid veteres de morte Ioannis prodiſſent, ait ad Ioann. xx1, *Sic valere S 1, ut alii codices legunt.* Sed Simplicius dixeris, cum Græce ſit *etiam*, omnino *S 1* legi oportere.

Quæ hactenus de apparitione leptima, ac morte Petro à Christo prædicta retulimus, ea, Ioanne vivo, non legebantur in vulgatis Euangelii codd. sed postea ſunt adscripta, & edita ab Ecclesia Ephesina. Vnde deinde ſubjicitur: *Hic eſt discipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his: & ſcripsit hæc.* Quasi dicant presbyteri Ephesini: Discipu- lus ille, de cuius morte quærebat Petrus, eſt ille, qui hanc ipsam hi- ſtoriam ſcripsit: quam nunc bona fide, uti reperimus in ejus scriptis, repræſentamus. Et quia objici poterat, facile nunc eſſe iſta promere mortuis omnibus Apostolis, porro adjicitur: *Et ſcimus, quod verum eſt teſtimonium ejus.* Quasi dicerent, Scimus, quanta fuerit Ioannis fan- ðimonia, & quibus miraculis doctrinæ veritatē ſirmarit: ut de ejus teſtimonio ſimus perſuaffimi. Scimus etiam, ſic contigiffe, uti de morte tum Petri, tum etiam Ioannis, à Christo erat ſignificatum. Denique, quia mirari aliquis poterat, unicam ſolam apparitionem adjici, adduntur ita ab eadem Ecclesia, ſive ejus nomine & confensu ab Episcopo Ecclesiæ: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesuſ, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſe, opinor, mundus caperet eos, qui ſcriberentur, libros.* Quæ ſine dubio ὑπερβολὴ eſt ſcriptoris. Ait nunc, oīquā, puto, at ſuperiore versu dixit, oīδαμθω, ſcimus. Nempe, ſcripta illa nomine to- tius Ecclesiæ: unde illud oīδαμθω: at interim ſcripta ab uno, nempe Episcopo: quemadmodum & epistolæ ad totam ſcriptæ Ecclesiæ

uni tamen Episcopo inscribebantur: ut videre est Apocalypses cap. 11, & 111. Hæc de apparitione septima, in qua sistit Euangelium Ioannis: simul etiam de iis, quæ addidit Ecclesia, in qua mortuus Ioannes. Nunc apparitiones cæteras ex Euangelistarum aliis addamus.

9. §. Octava apparitio itidem in Galilæa fuit, idque eo in monte, quo undenos ire jussérat Christus *. Is mons putatur fuisse Ithabyrius sive Thabor: in quo antea discipulis tribus majestatis sue præbuerat specimen: unde & mons sanctus vocatur 11 Petri 1. 18.

* Matth.
28.

Ex apparitionibus Christi factis coram discipulis solam hanc narrat B. Matthæus: nempe quia omnium ea fuerit celeberrima. Turbet aliquem, quod de hac apparitione idem Euangelista dicat commate x vii: Καὶ ἰδόντες αὐτὸν, προτελέντοις αὐτῷ· οἱ δὲ ἐδίσκοι. Quod vulgatus reddidit interpres: Et, videntes eum, adoraverunt: quidam autem dubitaverunt. Vbi miretur aliquis, tum etiam dubitasse aliquos, postquam & ipse Thomas desierat ambigere. Verum non hoc voluit Euangelista: sed istoc, antea fuisse dubitatum. Nam illud ἐδίσκοι est aoristus, qui & imperfecti, & perfecti, & plusquam perfecti, habet significationem. Quare οἱ δὲ ἐδίσκοι cum Grotio verterim, Quidam vero addubitaverant. Antea puta, & in iis præcipue Thomas.

In apparitione ea, quæ peculiariter à Christo dicta sint, haut facile est statuere: quia B. Matthæus comprehendit tum quæ Hierosolymis dicta fuere antea; tum quæ partim in monte prolata, partim quæ locutus postea in Bethania, cum jamjam cælos esset ascensurus. Est vero omnis is sermo tripartitus. Prima pars præmittit Christi mandato autoritatem ejus. Quippe ait, dataim sibi, à resurrectione puta, potestatem in cælo, & in terra. Dicam de iis ὑπερον πρότεροι, Οὐμετωπῆς. Per potestatem in terras jus populi ex universo orbe colligendi; cui credenti, ac baptizato, remitteret peccata; quemque sic uniret sibi, ut ipse caput fieret, singuli, & è populo membra, forent per & propter Christum cælestis vitæ hæredes, Christi cohæredes.

In cælo habuit potestatem duplicein: prior est jus mittendi à Patre Spiritus Sancti. de quo Act. 11. 33. Alterum est imperium in Ange-

Angelos : de quo Philip. 11. 10. Hebr. 1. 4. Eph. 1. 10. Coloss. 1. 16. Primi solum loci verba apponam: *Vt in nomine Iesu omne se genu flectat, cælestium, ac terrestrium, & infernorum.* Vbi cælestium nomine Angeli, terrestrium, homines vivi; infernorum, mortui, secundum Theodoretum; secundum Chrysostomum, dæmones; secundum alios, & mortui, & mali spiritus, intelliguntur. Vt liqueat, Christo dominium datum in omnem creaturam, & justam & injustam. Habuit quidem & antea potestatem; sed ratione naturæ divinæ: hic vero sermo est de potestate, quam, ut mediator, sibi acquisivit redemptione generis humani. Nam quia omnes sanguine suo redemit, jus habuit omnes in regnum suum congregandi.

Postquam de potestate sive regno suo locutus: accedit ad mandatum suum, his verbis, Πόρθεντες &c. Quasi dicat, cum igitur mihi data sit hæc potestas, vestrum erit exsequi eam, prout jussero.

Mandati vero partes sunt tres. Prima est, cum eos jubet μαθητεῖν, sive discipulos facere: neque id ex solis Iudæis, ut antea, sed ex gentibus cunctis. Nam addit, πάντα τὰ ἔθνη. Quemadmodum fore prædixerant Prophetæ. Vt Osee 11. 23: *Vocabo non populum meum, populum meum.* Malachiæ 1. 11: *Ab ortu ad occasum magnum erit nomen meum inter gentes.* Daniel viii. 14: *Et dedit ei potestatem, & regnum: & omnes populi, nationes, & lingue, ei servient.* Vide & Iesaiæ xl ix. 1. item Psalm. 11. 8. Porro pro eo, quod apud Matthæum est, μαθητεῖν πάντα τὰ ἔθνη, apud Marcum est, κηρύξσειν πάσῃ τῇ κτίστι, prædicare omni creaturæ. Vbi quæritur, cur omni creatura dicitur pro omni homini. Simplicissime dixeris, more Hebreo creaturam accipi pro homine κατ' ἐξοχλίων. Nec inepte tamen, qui censent, sic restringi debere. Prædicare omni creaturæ idoneæ ut ei prædictetur, qualis solus homo. Sic interpretatur Eusebius Emissenus, vel potius Eucherius Lugdunensis in Homilia Festi Ascensionis. Atque ait, simile esse hoc Apostoli de caritate, quod omnia credit, puta credenda. Imo & illud, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum:* ubi intelligere convenit omnia trahenda. At argute magis, quam vere, Gregorius Magnus Homil. xxix, ubi eo censet dici omni creaturæ, quia homo sit microcosmus, ac cuncta solus complectatur, quæcumque præclaras insunt omni creaturæ. Locus Gregorii prolixior est. Sed præcipua complexus est Radulphus Ardentius homil. lxix primæ editionis: *Omni creaturæ, inquit, id est, homini,*

homini, propter quem omnis creatura facta est, & in quo omnis creatura per naturarum participationem contenta est. Habet enim esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum pecudibus, discernere cum Angelis.

Porro quod jubentur omnem gentem vel creaturam μαζῇ ζεῖν, suo modo etiam ad infantes possumus referre, quatenus Ecclesiæ inferuntur, & disciplinæ destinantur. Non quidem possunt fidem habere aeternam, nihilo sane imagis, quam rationem exercere. Sed uti nihilominus habent animam rationalem: ita in baptismate participes sunt Spiritus Sancti, ac in mysticum illud Ecclesiæ corpus coalescent, cuius caput est Iesus Christus, ut plenius nobis expositum est in Dissertatione de Pædobaptismo.

Iussi vero Apostoli incipere ab Ierusalem. Sic enim Lucas xxiv.

* Incipiendo ab Ierusalem. 47: Αρχέμηνον δὲ τὸ ἐργαστήριον *. Iuxta illud vaticinium, quod fama ferebatur, teste Suetonio, & Tacito, è Iudea proditum, qui orbi imperaret. Hoc variis à prophetis prædictum. Esaiæ. 11. 3. De Sione exhibet lex, & verbum Dei ex Hierusalem. Vide eundem propheten. ix. 16. xxviii. i. 16. xl. 9. lx. 1. Item Psal. 11. 6. & cx. 2.

Altera pars est, qua instituit initiationis sacramentum: nempe initiationem sacramenti, qua & Iudei fuere usi in iis, qui ab idolis se ad unius Dei cultum converterunt, ac iniquilini erant, nec tamen jus civitatis exposcerent. Quia de re eruditus Illustris Grotius ad Matth. 11. 6. Imo & apud gentiles is mos fuit ut per ablutionem corporis initiantur sacris Deorum. Vide & de isto Grotium in Matth. xxviii. 19. Vno nunc Tertulliani loco contentus ero lib. de Baptismo: Sed enim nationes, extraneæ ab omni intellectu spiritualium potestatum, eadem efficacia idolis suis subministrant: sed viduæ aquæ sibi mentiuntur. Nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus, aut Mithrae. Vbi pulcre discriben illud ponit inter ablutionem gentilem & Christianam: quod in priori concurrant exterior corporis, & interior animæ ablution: eoque aquæ istæ sint viduæ, non maritæ, hoc est, cum Spiritu Sancto, à quo interior est ablution, sociatæ. Quemadmodum enim mystica est unio inter maritum, & uxorem: ita & unio est mystica inter baptisatum corporis & animæ: nec in legitimo sacramenti usu unquam divelluntur. Imo nec maritæ solum aquæ, sed etiam fæcundatæ dicuntur: quia qui ea abluitur, accipiunt Spiritum S. virtute aquæ, non quatenus est elementum, sed quatenus sacramentum. Vnde Xystus Papa versibus iis, quos inscribi jussit in octangulari lapide basilicæ Constantinopolitanæ:

Gens

*Gens sacranda polis hic semine nascitur almo,
Quam fœcundatis Spiritus edit aquis.*

Quid mirum igitur , si per baptismum dicamur regenerari ? unde genitalem undam vocat Cyprianus. Item si dicatur φωτισμός , aliisque elogiis spiritualis efficaciam indicibus tum in Scripturis ornetur , tum ab sanctissimis quibusque , & antiquissimis Theologis : cum baptismum considerent velut aggregatum quoddam ex duabus rebus constans , clemento , & gratia spirituali. Estque horum in usu legitimo coniunctio arctissima , ut non minus unum sint , quam conjuges fiunt una caro: immo arctior est in baptismate spiritualis illa unio , quam illa conjugum civilis. Parque ratio est Sacra Eucharistiae : ubi itidem arctissima est juncta , & unitas individua inter signum , & signatum: puta panem , & vinum , ritusque annexos : & corpus ac sanguinem Domini , illius esum , ac hujus potum. Ut in societate istac individua mirari minime debeamus , si de pane & vino sacramentali tam magnifice loqui veneranda soleat antiquitas.

Iubet vero Christus nos baptizari in nomen (*εἰς τὸ ὄνομα*) Patris , Filii , & Spiritus sancti : Patris , ut omnipotentis creatoris , qui Filiū unigenitū pro misericordia sua in mundū miserit ad salutem nostram : in Filium , ut naturalem ; quique in plenitudine corporis naturam adsumserit humanam , & pro peccatis nostris satisficerit Deo , omniumque sit constitutus salvator in se credentium , quos die extrema suscitaturus est ad vitam æternam : item in Spiritum Sanctum , ut Spiritum Dei , ex quo conceptus sit Iesus , quiq[ue] testetur de veritate Euangelica , eamque à Christo traditam in Ecclesia illustreret , & in cordibus nostris obsignet. Quo pacto veteres Theologi exponere eam solent Fidei regulam , quæ à baptizandis jam ab antiquissimis temporibus exigi solet. Atque his tribus nos in baptismo , velut auctoramento , ac militari sacramento , addicimus , & obstringimus. Et ut milites Romani spondebant , ituros se , quo senatorius , populusque Romanus jussisset ; ita nos Christiani in baptismate pollicemur , ad Christi præscriptum vitam nos velle exigere.

Porro verbis illis , quibus in Patris , Filii , & Spiritus S. nomen baptizari jubemur , non videtur præscribi necessaria baptismatis formula ; sed necessaria conditio actionis , qua baptizamur , sive formula ea exprimatur , sive solum intelligatur : ut si quis baptizet in nomen Iesu , ut in Actis factum legimus. Interea formula hæc , quæ obtinet , tutius retinetur , ne offendiculo simus imperitis , & inno-

vando schismati occasionem deimus, vel calumniæ. Sed de istoc etiam plenius actum nobis in Dissertationibus de Baptismo.

Tertia est mandati pars, quod Apostoli docere fideles jubentur, ut ea servent, quæ ad vitam piam, & sanctam exiguntur. Verba Christi sunt, *Διδάσκοντες εὐτελέσ πιεῖν πάντα ὅσα ἐντελέχειν ύμῖν. Docentes eos facere omnia, quæ pracepi vobis.* Post baptismum jubentur *Διδάσκειν*, ante *μαθητήσειν*: quia hoc initiationis est, & ad *κατίχησιν* pertinet: alterum perfectionis; unde Clemens Alexandrinus in vi Stromateon *τὸ πίστεως τελείωσιν* appellat. Ante baptismum erat *εἰσαγωγή*: post eum *ἀκριβείας διηγήσις*. Prius possit, veterum exemplo, conferre cum initiandis, qui mystæ dicti in Eleusiniis sacris, &c., minusculis mysteriis contenti, intra veltibulum consistebant. Posteriorius conferas cum initiatis, qui anno quinto in sacrario majorum mysteriorum participes siebant, ac *ἐπίθætæ* dicti sunt. Pluribus hoc discrimen explicat Scaliger ad lib. i i i Tibulli, & in Eleusiniis suis amicissimus, dum viveret, Io. Meursius, item Ismael Bullialdus Notis ad Mathematica Theonis Smyrnæi.

Hæc de triplici mandato. Post quæ sequitur triplex promissio. Una salutis æternæ, quam pollicetur omnibus credentibus, & baptizatis. Nec enim vera est fides, si quis baptismum contenitat: qui ordinarium est initiationis instrumentum.

Altera promissio est operandi miracula. Cujus generis quinque à Marco exponuntur. xvi. 17. 18. Prima est, ejiciendi dæmonia: quomodo Paulus Act. xv. 18 Pythonis spiritum ejicit ex ancillula. Hoc donum omnibus dabatur fidelibus: ut liquet ex Iustini Martyris dialogo cum Tryphone, Irenæo lib. ii, Tertulliano in Apologetico, Minutio in Octavio, Laetantio item, ut recentiora tempora præteream. Ex memoratis, unius Tertulliani verbis contentus ero: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmonem agi conset. Iussus à QVO LIBET Christiano loqui spiritus, ille tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.* Idem: *De corporibus nostro imperio excedunt inviti, & dolentibus, & vobis præsentibus erubescientibus.*

Datum vero hoc donum, ubi miraculis opus esset ad fidem excitandam & alendam. Unde liquet, promissionem eam ad primitivam Ecclesiam imprimis pertinere. Tum enim convertenda gentes infideles. Nec dubito interea, quin hodieque iis, qui gentibus Christi nesciis prædicare volet Euangelium, paratus sit Christus idem donum impetriri.

10. §. Alterum miraculum est, linguis loquendi novis, hoc est, sibi insolitis, anteaque ignotis.

Quomodo Apostoli, Spiritu S. festo Pentecostes accepto, subito aliis linguis loqui cœperunt: ut est Act. i 1. 4. Sed & Act. x. 46. domestici Cornelii centurionis audita Petri concione novis dicuntur locuti linguis. Item Act. xix. 6. legimus, quomodo Paulus quosdani baptismate Ioannis baptizatos baptizaritin nomine Iesu, manusque iis imposuerit, ac deinde locuti sint linguis. Item ad Corinth.

11. §. Tertium miraculi genus est tollendi manibus serpentes citra ullam noxam.

Quomodo Paulus in Melita insula viperam, ex pyra incensa prorepente in manus, illæsus conjecit in ignem; ut est Act. xxvii. 5.

12. §. Quartum est miraculum, quod, si quid ἱεράτευμα sive letale biberint, id iis non nocebit.

Cujus tamen generis Eusebius exemplum è Papia habet; de Victore *E Grotio militi, Martyrologium Adonis a. d. Prid. Eid. Maii; de Sabino Ca- nusino episcopo, ^{sunt p. 691.} Gregorius Turonensis: pluraque id genus apud alios. Imo Thalmudistæ etiam narrant de quodam Iosua, filio Levi, qui postquam venenum bibisset, prölato nomine Iesu valetudinem recuperarit.

13. §. Quinctum miraculi genus est sanatio agrorum per impositionem manuum. Vbi non nuda intelligitur impositio manuum, sed precationi juncta.

Quæ conjuguntur Act. xxvii. 8: ἀερού ξάμψεις δηθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ οἰδοτον αὐτὸν. Cum orasset, imposuissetque ei manus, sanavit eum. Sermo est de Publio, febribus, ac dysenteria vexato: quem Paulus sanavit.

14. §. Atque hæc miracula patrandi vis omnibus credituris promittitur Ioa. xiv. 12. Non quasi singulis hanc virtutem Deus sit tributurus: cum sint ἀσπέταις χαρομάτων, ut est 1 Cor. xi. 4: sed quia singulis aliquod sit χάρισμα tribuendum, quod se exerat, non semper, dico, sed si occasio daretur, sic Dei gloriam illustrandi.

Vt pluribus diximus, cum exponemus Ioan. cap. XIV. 12.

15. §. *Hactenus de promissione doni miraculorum. Tertia est pollicitatio praesentia sue gratiosæ, duratura usque ad consummationem seculi.*

Quousque cum Apostoli non vixerint, liquet, promissionem eam factam quoque iis, qui ab illis essent constituti praecones Euangelii, & aliis porro his succedentibus, usque ad finem mundi. Future autem nobiscum non modo quatenus divinitas ejus est ubique praesens: sed quatenus Spiritus sui gratia atque auxilio nobis aderit. Sic cum Iosepho dicitur Deus fuisse, cumque eo descendisse in foream, quia illi auxiliatus est. Suntque hujusmodi Hebraisini compluria in Scriptis exempla.

16. §. *Ad hanc apparitionem octavam etiam pertinere videatur apparitio illa quingentis fratribus facta, de qua Paulus I Corinth. xv. 6.*

Nam si alia fuisset ab iis, quas narramus, puto, non omnes praeteriissent Euangelistæ. Nunc contenti fuere de undenis referre: quia hi soli, tanquam præcipui, mandatum acceperant eundi in Galilæam, ut ibi Christum viderent: cæteri vero ab Apostolis sunt adsumti: ut præcipue LXX discipuli. Drutmarus addit, non discipulos modo, sed & feminas abiisse in montem.

Non desunt tamen, qui ad sequentem referant apparitionem, quando è monte olivarum adscendit in cælos. In iis est Paræus. Ac præit Chrysostromus: qui id colligit inde, quod dicat Apostolus, ὥφη ἐπάνω, conspectus est in loco supero. Sed verisimilius ἐπάνω exponitur supra quam, hoc est, plusquam: quod Græcis οὐλέον. Mirantur nonnulli de tanto fratrum numero, cum in Hierosolymitano cætu, quando acceperunt Spiritum Sanctum, solum fuerint cxx: ut est Act. 1. 15. Ideo Beza putabat, legendum ἐπάνω γ' ἀδελφοῖς, hoc est, πεντηκοντα, quinquaginta. Sed bene est quod interea mutare nihil est ausus in illo omnium codicum consensu. Quin verisimile est, Christum Hierosolymis, ubi tantus erat Iudæorum metus, non habuisse tot discipulos, ac in Galilæa, ubi tutum erat Christo credere. Inde etiam ipsi erant Apostoli: atque ibi vixerat Christus. Credibile igitur est, Iesum eo mandasse Apostolis, ut in Galilæam irent, quia

quia major illic foret credentium numerus, atque à quam plurimis post resurrectionem conspici vellet.

17. §. Valde autem hanc apparitionem firmat, quod cum Apostolus priorem ad Corinthios epistolam scriberet, ex illis quingentis fratribus, quos dixi, obiissent quidem complures, sed complures etiam supereressent, testes eorum certissimi qua vidissent.

Verba enim Pauli sunt i Corinth. xv. 6: Postea visus est amplius quam quingentis fratribus simul: ex quibus plerique manent usque adhuc; quidam autem obdormierunt.

Fortasse autem & tum cum quingentis iis conspexerit Iesum S. Ignatius. Solent enim parentes, siquid videndum grande ac memorabile, adsumere etiam liberos suos: qui longissimo tempore oculati esse testes possint. Ejus opinionis fundus est locus S. Ignatii: ex cuius epistola ad Polycarpum apud B. Hieronymum legas, & interpretarem illius Sophronium: Καὶ μὲν τὸν ἀρχαῖον εὐαγγέλιον
& post resurrectionem in carne eum vidi. Sed ea verba in epistola illa hodie non reperias. Legas quidem simile in epistola Ignatii ad Smyrnenses. Sed pro εἶδον, vidi, est istic, οἶδα, scio, novi. Ac similiter adducit Eusebius lib. 111 Hist. Eccles. cap. xxxi. Vbi Christophorus non etiam reddidit, novi ipsum, non vidi. Ut valde fallatur Mæstræus, quando ab Eusebio hoc ait dici, Christum à resurrectione visum esse ab Ignatio. Et sane si Christum vidisset in carne, addidisset, ubi, quando, vel qua occasione, vidisset. Præterea alias potius adducit testes, ut Petrum, & Thomam: tum item loca adfert scripturæ quibus hæc adstruat. Denique scopus Ignatii satis convenit cum interpretatione ea: quia solum dicit, Ego scio, non tantum eum veram habuisse carnem in nativitate passione, sed etiam post resurrectionem. Quod magis poterat in dubium vocari, præsertim iis, qui, cum Chaldaeis, ac Pythagoreis, putarunt, animas etiam à morte conspici, quia habeant vehiculum pellucidum, media inter animam & corpus naturæ. Quæ & Iudæorum quorundam fuit opinio: ut legere est apud Origenem in secundo contra Celsum.

C A P. V.

De nona, & ultima, apparitione Servatoris ; deque
adscensione in cœlos , & mox consequutis.

1. §. **N**ona supereft , eaque ultima apparitio in terris : nempe quando in cœlos adscendit. Hujus historia est tripartita. Primo videndum de iis , quæ antecedunt adscensionem. Deinde de adscensione ipsa. Ac postremo de mox consecutis. In primo attendimus hac quatuor : I. tempus apparitionis hujus , atque adscensionis. II. postremum Christi cum discipulis colloquium. III. deductionem eorum in Bethaniam. IV. benedictionem Christi. Quod ad tempus attinet , contigere hac die à Resurrectione XL , ut clare ait Lucas Act. 1. 3 : Per quadraginta dies conspectus ab iis , & dicens , quæ ad regnum Dei spectant.

Hinc cognoscimus , tam diu voluisse in terris commorari , ut enuclearet discipulis Scripturarum loca , quæ antea non percepissent. Verisimile etiam est , tum multa docuisse , quæ ad Ecclesiæ oīgōyūlār pertinerent. De tempore , quod dixi , corrupte admodum è Constitutionibus Apostolicis citat Anastasius Nicenus Q. xciii in Script. Mansit nobiscum in mundo prædicans euangelium regni cœlorum , & curans omnem mōrbum , & omnem agititudinem in populo , donec fuit natus xxxii , & menses III. In tricesimotertio suo anno fuit cruci adfixus , Pharnenoth , id est , mensis Martii die vicesimo quinto , hora sexta diei , & decima quarta luna. Resurrexit autem in triduo , Pharbute , id est , Aprilis die prima , hora sexta noctis ; & visus est ab omnibus discipulis ; & manifestavit gloriam suam per dies XL , docens nos prædicare in nomine suo pœnitentiam , & remissionem peccatorum. Adsumptus est autem rursus Pachon , id est , Maii die tertia , hora diei nona. Sane quod hic dicitur , viii Kal. Aprilis , sive xxv Martii , fuisse adfixum Christum : idem & apud Tertullianum legas contra Iudæos cap. viii , Augustinum lib. iv de Trinit. cap. v , Bedam de Ratione temporis cap. xxv iii , & xl , item in Martyrologio Romano , ubi de morte S. Dismae boni latronis. Sed vide , quo pacto cum eo conveniat , quod sequitur de resurrectionis , vel adscensionis die.

Nam

Nam dicitur resurrexisse die prima Aprilis: quomodo longe supra triduum fuerit in sepulchro. Subjungitur adscendisse tertia Maii: quo pacto paucioribus multo, quam XL diebus, in terris à Resurrectione commoratus. Atque hæc de tempore.

2. §. Videamus nunc quæ dixerit discipulis suis Christus, mox ab iis abiturus. Primum est, quod eos testes adscivit, tum passionis, tum resurrectionis sua.

Quæ fundamentum sunt doctrinæ de pœnitentia, ac remissione peccatorum: præcipue vero resurrectio; quia hæc non potuit cognosci, nisi per eos, qui ipsi conspexissent Christum, & cum eo locuti forent: neque etiam potuit contingere, nisi virtute divina: at Deus non confirmasset, nisi quod verissimum foret. Verba sunt Lucæ xxiv. 48: Τοῦτος δέ ἐστι μάρτυρες τοῦτων. Vos autem esis testes eorum. Est' vero hic ponitur pro ἐσταθε: ut liquet ex Act. 1. 8. Vbi dicitur fore sibi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & ad ultimum terræ.

3. §. Alterum est, quod promisit, se post Ascensionem Spiritum S. à Patre iis missurum: largiori nempe mensura, quam antea fecisset.

Luc. Euang. xxiv. 48: Καὶ λέπει γών δύνασέλω τὴν ἐπαγγελίαν ἐπαγγέλλων με τῷ υμῖν. Et ecce ego mito promissum Patris mei super vos. Vbi itidem δύνασέλω mitto, ponitur pro δύνασέλω, mittam. Vnde Act. 1. dicitur pro eo, accepturos Spiritum S. Hoc convenienter superioribus subjicitur. Quasi dicat: Vos quidem testabimini, quæ vidistis: ego autem adversus mundi furorem, quo constantiores sitis, muniam vos intus robore spiritus S.

4. §. Tertium est, quod mandavit, ut Hierosolymis persisterent, donec accepissent Spiritum S.

Luc. xxiv. 49: Vos autem sedete (καθίσατε) in civitate Hierusalem, quoad usque induamini virtute ex alto. Ac similiter Act. 1. 4: Praeceperis, ne discederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissum Patris. Nempe non multos post dies implendum.

5. §. Atque hæc de triplici sermone Christi ad discipulos. Sequitur quomodo discipulos è Galilæa deduxerit in Betha-

*niam, Indæ pagum, situm in olivarum monte, vel ei ad-
situm.*

Sabbati itinere Hierosolymis distabat: hoc est, bis mille pedibus, ut ait Hieronymus, sive mille passibus, ut ait Lyra. Alii bis mille passibus abfuisse aiunt. Nec exacte è Scripturis possis definire. Bethaniam quindecim stadiis abfuisse Hierosolymis, diximus lib. i: ut videantur pene fuisse bis mille passus.

6. §. Hic Christus in monte Olivarum benedixit discipulis: idque manibus super eos elevatis.

Elevantur etiam manus ab iis, qui Deum precantur: more & gentibus recepto: unde Horatii illud,

Cælo supinas si tuleris manus.

Sed hic agitur de ea manuum elevatione, quæ fieret ad benedicendum. Quomodo & manus capiti alterius imponebatur, pro quo fierent preces. Rogabant enim, quemadmodum ipsi manu sua alium protegerent: sic Deus ut protegeret eundem in viis suis. Nimirum causa ejus erat ritus, quod qui aliquem tueri volunt aduersus alterius violentiam, eum manibus extensis soleant protegere. Sed si unus quidem, vel unus alterve foret, capiti imponebatur manus: si major foret cœtus, compendio studebant: multarumque impositionum loco erat protensio manuum super capita cœtus. Quomodo est Levitici cap. ix. 22: Επάρξεις ἀρπὼν τὰς χεῖρας ὅπις ἔχειν δύναται τὸν λόγον τοῦ ἀρτοῦ. Aaron attollens manus super populum benedixit eis. Ac Episcopalis ille mos, populum salutare, manu super eum elevata: quod liquet ex Optato disputatione septima aduersus Parmenianum. Vbi per salutationem istiusmodi benedictio significatur, quæ manibus fieret sublatiss.

7. §. Sequitur nunc adscensio ipsa. Vix implerat hunc benedicendi ritum Iesus Christus, cum, ecce, in altum elevatur, inque cœlos attollitur.

Hanc in cœlos adscensionem Apostoli ἀνάληψιν nuncupare solent. Quam vocem quoque de Eliæ adscensu LXX usurpant iij Reg. ii. v. ii. Atque olim etiam liber exstitit, qui ἀνάληψις Μωσῆs inscriberetur. Cum vero Christus adscendisse in cœlos dicitur; & cœlum sit triplex; superum volucrum, puta aëris; superius, stellarum sive æther; supre-

supremum, angelorum, quod *cælum cælorum* dicitur: hic intelligi-
tur tertium: quod Paulo Ephes. IV. 10 dicitur ὁ εἰς τὸν πάντων τὸν
εχόντων. *supra omnes cœlos.*

8. §. In Adscensione hac attendimus quatuor. I. locum unde
adscendit. II. modum adscensionis. III. testes, IV. causam
efficientem. Locus, unde adscendit, est mons Oliveti, qua
parte Bethaniam spectat. Nempe ex quo monte ivit Hiero-
solyma ad locum passionis, ex eodem abiit è terris ad locum
gloriae.

Hoc consolationi nobis esse debet, quando gravi morbo lecto
affigimur, vel aliter affligimur à Domino, sic ut finis vitæ adesse vi-
deatur. Nani qui locus tunc molestiam adfert: is mòx initium futu-
rus est viæ ad gaudia ducentis.

Porro à veteribus refertur, locum, unde Christus adscendit in
celum, etiamnum vestigia Christi retinere; nec unquam paviri
potuisse. Sic sane Paullinus epist. XI ad Severum, & Sulpitius XI.
Historiæ Sacræ.

9. §. Modus est hujusmodi. Interim dum discipulis manibus
exporrectis benedicit, in altum est elevatus, discipulis con-
spicientibus, & oculis eum prosequentibus, donec illum nu-
bes susciperet.

Nempe quia videri amplius non posset vel nollet.

10. Atque hinc etiam de testibus cognoscimus. Nempe fuere
illi XI Apostoli, cum discipulis LXX.

Imo si Chrysostomum audinius, etiam quingenti fratres: de qui-
bus Paullus I Cor. xv. 6. Sed verisimilius est, hos octavæ fuisse ap-
paritionis testes: ut superius diximus.

11. §. Proximum est, ut dicam de causa efficiente. Elevatio
facta est non virtute externa, ut angelico ministerio, sicut
contigit Eliae; sed virtute interna, propriaque, & corporis
gloriosi agilitate.

Sane corpus animale citra ingens miraculum aliquot seculorum
spatium requirat, priusquam pervehatur usque ad firmamentum: ut

quod à nobis distet se in diametrī terræ decies novies millenīs , secundūm Tychonem Braheum : sive vicies millenīs , secundūm Mersennium . Sic ut si lapis à firmamento deniūtatur , & ē minuto quoque conficiat leucam Francicam , lapis in via sit futurus , secundūm Mersennium , annis centū & duobus . Qua de re diximus lib . 11 . de Theologia gentili , & Physiologia Christiana , cap . xxxv . & lib . 111 . cap . ix . Nec propterea somniandum nobis diuturnū Christi in adscensu iter . Nam Christi corpus à Resurrectione non animalē fuit , quale suo pondere gravatur : sed spirituale , ubi corpus non animæ , sed spiritui obsequitur , ita ut corpus protinus sit , ubi spiritus velit . Nunc cogitationum alis momento cœlos petimus , corpore hic relicto : tum corpus ipsum eadem erit agilitate , quia subito erimus , ubi volemus : quod non inde erit , quia corpora nostra convertantur in substantiam spiritualem , ut Origenistæ credebant : sed quia terrestres illæ corporis conditiones immutantur , & Spiritus Domini dominabitur in nobis . Atque hæc plurimum lucis capient è dissertatione nostra , quam de Corpore glorioso , inter cæteras à nobis institutas , cum Theologico Illustrissimum Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinum Collegio præesseimus , edidimus .

12. § . Nunc agendum de iis , quæ ad scensionem Christi mox sunt consecuta . Hujusmoni sunt duo . Prius est , quod discipulis cælum spectantibus , nec ulterius conspicientibus Christum , duo adstitere angelī vestibus albī amicti : qui hoc pæclo discipulos sunt affati : Sic veniet , quemadmodum eum vidistis eunte in cœlum . Vnde colligi solet , de scensurum ad eundem locum , nempe montem Oliveti , sive in vallem Iosaphati . Ac pro se advocant locum Ieclis cap . 111 . 2 : Congregabo omnes gentes , & deducam eas in vallem Iosaphati , ut disceptem cum illis ibi pro populo meo , & possessione mea Israele , quem disperserunt per gentes , terramque meam partiti sunt . Nec sane inconveniens fuerit divini judicij locus , ubi Deus olim horribili strage perdiderat populi sui hostes : quemadmodum legere est 11 Paralip . xx . 16 . 26 .

A qua victoria Iosaphati , vallis hæc dicta est Iosaphati : quemadmodum

modum locus ille ubi Orebū cæsus, Orebū rupes vocata est: ut vide-
re est Iud. v 11. 25. Falsus Arias Montanus, cum Iosaphati vallem di-
ci arbitratur, eo quod illic sepultus fuerit Iosaphat. Nam sepultus il-
le intra urbem: nempe in monte Sionis: ut est 11 Paralipom. xx 1.
1. At vallis Iosaphat, non in urbe erat, sed urbi vicina: ut ait Kimchi:
nempe inter urbem, & montem Oliveti, ut est apud Lyranum, ac
statuit quoque Adrichomius in descriptione Hierosolymorum.

C A P . VI.

De fructibus ad scensionis Dominicæ.

1. §.

ATQUE HAC dicta sunt de ultima apparitione, & hi-
storia ad scensionis Dominicæ. Addam nunc ḡ̄̄
μετρον de fructu Ad scensionis: qui bifariam attenditur:
ratione nostri, ac ratione Christi ipsius. Ratione nostri est
triplex. Primus est intercessio Christi pro nobis. Vnde Apo-
stolus ad Rom. v 11. 34. Quis est qui condemnat?
Christus est qui mortuus est, imo vero qui etiam
excitatus est, qui est ad dextram Dei, qui etiam
postulat pro nobis. Etiam Ioh. xiv. 13. Ego, inquit
Christus, ad Patrem vado; & quocunque petieritis
in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, man-
data mea servate, & ego ῥογάβω Patrem, &
alium paracletum dabit vobis. Sed & I. Ioh. 11. 2:
Habemus advocationem apud Patrem, Christum Ie-
sum, justum, qui est propitiatio &c.

At dicat quis, si Christus orat pro nobis, licebit sic precari: Chri-
stus ora pro nobis: quod in Ecclesia Dei est insolens: licet Christo data
sit omnis potestas in cælo & in terra. Huic sic occurritur, Christum
dici orare pro nobis oratione non vera, & propria, sed interpretati-
va: nempe quatenus non ad horam unam, alteram, ut Pontifex
V. T., sed perpetuo coram Patre suo apparet, vulnera & cicatrices
suas adhuc servans & exhibens: propter quæ Deus pater nos in gra-
tiam recipit ac justificat. Hinc ad Hebr. ix. 24: Introivit (Christus)
in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Non igitur inter-
cessio

cessio est Christi humilis supplicatio, sed gloria corporis Christi præsentatio, quod in tertis pro nostris peccatis plenissime satisfecit, ejusce item sacrificii jugis valor, & constans Patris voluntas, ut propter illud sacrificium nos in gratiam recipiat.

2. §. Alter adscensionis fructus est adscensio nostri in cælum, ac glorificatio: de quo sic Christus apud Ioan. xiv. 2. 3:
In domo Patris mei habitationes multæ sunt: si minus; dixisse mihi vobis. Vado, paraturus vobis locum: & cum abiero, & paravero vobis locum, rursum veniam, & adsumam vos ad me ipsum.

Quibus in verbis duo nobis significantur: paratio loci, & nostri eum in locum adscensio. Ad prius pertinet, quod dicat, se vadere ad patrem, ut locum nobis paret. Ad alterum, quod addit, se velle reverti, & nos adsumere ad se ipsum. Quæritur, quomodo per adscensionem nobis locum paret. Veterum, & quorundam è junioribus, sententia est, Christum primum omnium in cœlos adscendisse: ingressumque viam antea inviam: eoque recte dici, parasse locum, quia adscensu suo referarit cœlos. Quod si est, Patres V. T. non fuerint in cœlis ante Christum localiter, sed solum formaliter, quatenus suo modo nihilominus erant beati, ob certam spem & exspectationem gloriæ illius, qua fruituri erant post extremum judicii diem. Evidem, quin per adscensum Christi incrementacepit Patrum felicitas, nolim in dubium vocare. Nec tamen cum dissentientibus velim ferram reciprocare. Nam cui bono? quando, seu hoc, seu alterum statuas, nihil eo vel Patrum felicitas futura sit major, vel etiam nostra.

3. §. Tertius adscensionis fructus est missio Spiritus S. Vnde Christus Ioan. xv. 7: Nisi ego abiero, consolator ille non veniet ad vos. Sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos. Et xiv. 16: Ego autem rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis: ut permaneat vobiscum in æternum.

Vbi alium dicit, quia hactenus habuerant secum filium Dei, qui eos solaretur: ne igitur, sublati se, solatii sint expertes, ait, se misserunt iis Spiritum Sanctum, qui non aliquantis per cum iis maneat, sed

sed dum vita supereret; imo non cum iis modo, sed universe cum fidelibus, dum mundus staret. Est enim gemina ἀντίθεσις: una inter filium, & ἄλλον αὐτόκλητον: altera inter consolationem aliquamdiu durantem, & illam quæ durabit in æternum.

4. §. *De hoc adscensionis fructu est etiam insignis locus apud Davidem Psal. LXVII 1, & ex eo apud Paulum Ephes.*

iv. 8 : Adscendens in altum, captivam duxit captivitatem, (sive captivorum turbam,) & dona dedit hominibus.

Vbi tria hæc distinguenda: adscensus in cœlum, triumphus de potestatibus Ecclesiæ infestis, & collatio spiritualium charismatum: quæ tria eopse ordine ponunt David & Apostolus. De secundo, tertioque pluribus dicendum. Veteres plerique per captivitatem intelligunt homines pios veteris Testamenti: eos enim arbitrantur detentos, quasi captivos, donec Christus adscenderet: cum eo autem pariter adscendisse. Alii vero arbitrantur, signari mundum, carnem, & satanam, qui mortis habebat imperium: de quibus Christus resurrectione sua à mortuis, & adscensu in cœlos, triumphavit. Nempe haut aliter ac imperatores Romani in triumphum ducebant vincitos hostium duces. Aliqui utramque interpretationem conjungunt: ut sermo sit de utraque captivitate: & illa, ut loquuntur, captivante, nempe mortis, ac satanæ: & altera captiva, videlicet antiquorum Patrum. Sed si Patres etiam ante adscensionem Christi feliices fuere, et si minus quam postea, ut antea dicebamus: equidem dure satis captivis comparentur. Malim igitur solos intelligere Ecclesiæ hostes: de quibus longe præclarius triumphavit, quam Marius de Iugurtha: aut de Cleopatra triumphasset Augustus, nisi illa sibi aspides admovisset.

Tertium in superioribus verbis significatur illis verbis, *Et dona dedit hominibus*: pro quo in Hebræo est, *Accipiens dona in hominibus*. Ac magna cum obstinatione Iudæi objiciunt Christianis, quod Apostolus mala fide Davidis verba expresserit. Verum non cogitant, in Hebræo esse ἔπειρον, quia *accipiens* ponitur pro, *accipiens* dedit. Quod & Chaldæus paraphrastes expressit. Vide, quæ de hoc socer Franc. Iunius in Parallelis annotavit. Quod vero conjuguntur triumphus de hostibus, & charismatum distributio: id & ipsum simile est ve-

terum triumphis. Nam ut Imperatores in triumpho solent dona in populum mittere : ita & Imperator noster Christus in æterno suo triumpho nobis dono mittit Spiritum S. tanquam pignus & arrabonem immortalitatis.

5. §. Hactenus dictum de Ascensionis fine ratione Ecclesiæ : nunc videndum de fructu , qui ad Christum Mediatorem redundat. Facta vero hæc ἀνάληψις Christi , ut iret se fsum ad dextram Dei.

Hoc enim est, quod legimus ad Hebræos xii: 2. Εν δεξιᾳ του Θεου εναντιον.

6. §. Hanc sessionem quidam intellexerunt proprie , ut Audiani sive Anthropomorphitæ.

Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. vii: Credimus etiam , quod sedet ad dexteram Dei Patris. Nec ideo tamen , quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem , arbitrandum est , ut de illo cogitantibus , dextrum , aut sinistrum latus animo occurrat : aut id ipsum , quod sedere Pater dicitur , flexis poplitibus fieri putandum est , ne in illud incidamus sacrilegium , quo exsecratur Apostolus eos , qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulachrum nefas est Christiano in templo collocare: multo magis in corde nefarium est , ubi vere est Templo Dei , si à terrena cupiditate , atque errore mundetur. Ad dextram ergo intelligendum est , dictum esse in summa beatitudine , ubi justitia , & pax , & gaudium est : sicut ad sinistram hœdi constituantur , id est , in miseria , propter iniquitates , & labores , & cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus , non membrorum positionem ; sed judicariam significat potestatem.

Membrorum positionem , quam refellit hoc loco Augustinus , statuerunt Αὐθεωπύμορφοι , sive Αὐθεωπομορφιανοί , qui & Αὐδηροὶ sive Ωδηροὶ : sic dicti ab Audio , sive Odio , è Mesopotamia orto , qui temporibus Arrii ac Niceni concilii vixit , ac statuit , quod homo dicitur conditus ad imaginem Dei , id intelligi debere de corporis membris ac lineamentis : coque cum Deus dicitur visus , significari divinam substantiam oculis visam corporeis : ut docet Epiphanius hæres Lxx , Socrates lib. vi cap. vii , & Sozom. lib. viii cap. vii . Audium hunc magis hæreticum , quam schismaticum videri , vult Epiphanius ; quod & refert Augustinus ; apud quem , literis perperam tra-

trajectis, Vadiani legas pro Audiani. Epiphanium etiam sequitur Damascenus lib. de hæresibus. Sed de eo alibi disputamus.

7. §. *Tralatitium vero esse sermonem, satis liquet. Ac aliqui putant, tralationem esse in vocabulo dexteræ: ea nunc potentiam divinam signari, nunc gloriam Dei: posteriori autem modo hic sumi. Sed ridiculum fuerit, sedere ad dexteram, hic exponere, sedere ad gloriam. Nempe metaphora non est in sola voce dexteræ: sed tota loquendi formula: quæ notat, consortem esse gloriae divinae, ac imperii in creaturas, impressis in Ecclesiam. Ut Christus dicatur sedere ad dexteram Patris, quia Patri honore est proximus, quippe is per quem apóstolus Ecclesiam regat.*

Multum autem disputatur de causa hujus locutionis. Nebrisensis iam olim persuadere conatus, sinistrum latus esse dextro honoratus: ac propterea dici Christum sedere ad dextrum, tanquam honore proximum. Etiam hoc trahitur, quod Salomon jussit matrem Bersabeam sedere à dextris: ut quam honorare voluit; sed sic ut sibi non præferret. Idem fuse conatus est comprobare Goropius Becanus in Hermathena sua. Qui etiam Romanos in ea fuisse opinione variis veterum locis evincere se posse sperat: inter alia istoc Ovidiano in v Fastorum:

*Et medium juvenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior, si comes unus erat.*

Nani *interior* accipi pro *sinisterior*, etiam Servius * tradit. Sed Servio * *s. xii.* huic, Honorato licet Grammatico, non tantum honoris deferimus, ut ejus esse servi velimus. Omnino enim *interior* est *dexterior*: uti contra, exterioremire, pro à sinistris Horatius † dixit: ut recte observatum † *Lib. 2.* magno Turnebo in Adversariis lib. xiv cap. 1v, & xxiv. Vbi tamen *sat. 5.* male in Ovidii loco, quem mox adferam, pro *interior* reposuit exterior. Quod vero ad Becanum, nuspian gentium puto sinistrum latus esse honoratus, præterquam apud Othomannicam nationem, si-
ve Musulmannos. Vbi ad hoc attenditur, quod, qui à dextris eat il-
lius, qui gladio sit accinctus, manui latus sibi claudentis sit obnoxius. De aliis vero nationibus aliter & olim fuit, & nunc est. Nempe fe-
fellit hosce, quod attenderent potius personam Regis, quam thronum, vel thronum ejus considerarent, tanquam solum à sinistra ha-

bentem sedem constitutam , cum attendi conveniat eam quasi bilaterem , ut sic dicam : & quidem , ut thronus Regius sit sublimior honoriorque sede utraque , & illa dextri , & illa sinistri lateris . Quomodo aliter esse nequit , quin ille , qui sedet à dextro throni latere , ut aliis superior , ita inferior sit Rege . Majorem igitur honorem salva dignitate Regia non poterat matri exhibere Salomo , quam cum matrem Bersbam dextero adsidere lateri jussit : ut est i five 111 Reg. 11. 19. Secus fuisset si jussisset occupare latus sinistrum , quia sic , vacante sede lateris dextri , visus fuisset unum præferre matri , cui is locus reservaretur . Etiam est Psalm. XLV. 10, Adstat regina ad dexteram tuam in auro Ophir . Sermo est de filia Pharaonis , adstante Salomoni , marito suo ; in cuius honorem psalmus ille à filiis Core canebatur . Si & gentilium testimonia exposcimus , Suetonius in Neroni cap. xiii ait , Tiridatem , Armeniæ regem , juxta se latere dextro collocavit . Quod sine dubio honoris causa factum , quicquid in Hermathena sua nugetur doctissimus , sed majoris tum ingenii , tum doctrinæ , quam judicii , Goropius Becanus . Quem abunde refellit justus Lipsius Electorum lib. 11 cap. 11.

8. §. Porro sessio ad dexteram Patris tria hæc complectitur : omnimodam humilitatis , quam adsumserat in terris , depositionem : summa regalis , ac sacerdotialis potestatis usurpationem & declarationem : ac denique honoris debiti exhibitionem ab angelis pariter , & hominibus . Hæc gloria cum imperio conjuncta convenit Christo secundum utramque naturam , sed aliter , atque aliter . Divina enim natura secundum se divinam excellentiam & gloriam habuit ab aeterno . Humana natura si attendatur quatenus divine conjuncta est θεοτυπως , divinam habuit gloriam à primo incarnationis momento , et si occultaretur ex dispensatione voluntaria . Quamvis igitur humana secundum se erat imperfæcta in terris , divina tamen fuit perfecta , et si non manifesta .

Vt valde fallantur , qui propterea , quod humana Christi natura gloriam habeat divinam , putant , eam ubique præsentem . Recte coligerent , si humana hæc natura gloriam illam haberet secundum se per

per realem , ut loquuntur , transfusionem . Nunc aliter est , quia eam solum habuit in unitate personæ per gratiam unionis .

Quibus aliter videtur , contendunt , Christum , secundum humanitatem , sedisse ad dexteram Dei patris à primo nativitatis momento . Sed non difficulterii occurritur . Quippe alia ratione humana natura divinam habuit gloriam , cum Christus è Virgine nasceretur : aliter vero , quando post ascensum in cœlos sedere cœpit ad dexteram Patris . Quod variis Scripturæ locis comprobatur . Vt Marci xvi . 19 : Dominus igitur , postquam locutus esset eis , sursum receptus est in cælum , & sedet ad dexteram Dei . Luc . xxiv . 26 : Nonne hoc oportuit pati Christum , & introire in gloriam suam . Ioan . vi . 39 : Nondum erat Spiritus S. , quia Iesus nondum erat glorificatus . Hebr . 1 . 3 : Purificatione peccatorum nostrorum per se ipsum facta sedit ad dexteram majestatis illius in excelsissimū &c.

Quamobrem , si quæstio sit , quid Christus fuerit consecutus per Ascensionem in cœlos , dixero , humanam ejus naturam tum majori in gloria fuisse , partim quatenus , gloria divina quam ab incarnatione habuit , longe fuit manifestior : partim quatenus gloria naturæ humanæ secundum se considerata , cum hic imperfecta foret , ea perfectionem & complementum suum accepit in cœlis .

9. § . Exsecutis sumus pertinentia ad historiam ter trium apparitionum ; quem intra numerum nos continemus : quamquam B. Augustinus ex Euangeliis colligat denas . A quo summo antistite in tribus recedimus , veritate ita , ut arbitror , exposcente . Primum ille apparitionem mulieribus factam censem diversam ab ea , quæ contigit Mariæ Magdalena . Nobis cum eadem videatur , superius exposuimus . Præterea illam quidem Petro seorsum factam annumerat : at præterit illam , quæ seorsum itidem facta Iacobo . Denique illam , quæ nona est nobis , dividit in duas : quia existimat , Christum , è Galilæa redeuntem in Indeām , prius apparuisse discipulis in Hierusalem : hinc eos deduxisse in Bethaniam , seu montem Olivarum , unde conspectus sit in cœlos adscendens . Sed cum Scriptura dicat , Iesum , postquam se exhibuerat discipulis in Galilæa , eos eduxisse foras in Bethaniam :

non video, cur Hierosolymis potius, quam è Galilæa, ad Olivarum montem eductos credamus. Novenis vero his apparitionibus non id solum actum à Christo fuit, ut vere resurrexisse crederetur, sed etiam ut discipulos instrueret, interpretando iis, quæ de se scripta essent in Scripturis.

Ea quatuor potissimum erant. Primum quod Christus pati debet: ut clarissime omnium prædixerat Iesaias, & sacrificiorum typis fuerat adumbratum. Deinde quod tertia die esset resurrecturus: cuius rei typus in Iona præcessit. Hinc quod in nomine ejus cunctis gentibus prædicanda esset poenitentia ac remissio peccatorum. Unde Ies. LIII: *In scientia sua justificabit ipse servus meus multos.* Denique prædicationem eam inchoatum iri ab Hierusalem: secundum Ies. cap. II, nec non Michæam cap. IV, *De Sion exhibit lux, & verbum Domini de Hierusalem.* Itaque & discipulis illud in mandatis dedit, ut, postquam ab iis esset sublatus, Hierosolymam irent, atque ibi permanerent, donec juxta vaticinium Ioëlis effundatur in eos Spiritus S., eoque Spiritu induiti testes Iesu fiant per omnes gentes.

10. §. *Nostrī vero ratione, duplex ejus sessionis fructus fuit. Nam quia regis est, & benefacere domi, & defendere foris: etiam Christus rex, tum beneficiis nos spiritualibus ornavit ad bene vivendum, tum, ne succumbamus potestati inimicæ, nos suo spiritu contra eam tueir.*

Atque hæc de nona apparitione Christi à resurrectione, quando adscenderet in cœlum: cuius occasione etiam de adscensu ejus fine actum, qui erat sessio ad dextram Dei.

11. §. *Quamquam vero non denascum Augustino, sed novenas solum apparitiones Iesu memoravimus; fuere tamen & aliae. Sed solum locuti hactenus sumus de iis, quæ contigerunt, priusquam caperetur carnis. Cetera postea fuere; in quibus princeps facile locus debetur, quando B. Paulo appariuit Damascum eunti. Tum enim & audivit* clamarem, Saul, Saul, cur me persequeris? atque etiam confinxit, ut ostendunt illa Ananiæ verba: Ut videres il-*

* Act. 22.

14.

Imo & postea vidit; ut in carcere ἐν ὁργαστη, Act. xxiiii. 6: item cum tertium in cœlum raptus fuit, atque ἀπίστω audivit: in quibus citra dubium gloriosus Christi conspectus fuit.

12. §. *Multum etiam veritatem Resurrectionis confirmat, quod discipuli Christi tanta id constantia docuerint, ac sanguine etiam suo veritatem ejus rei obsignarint.*

Sane insolens est, ut aliquis pro opinione vera, sed unde nihil ad se redeat lucri, grande velit periculum subire. Et credamus, discipulos tam futuros insipientes, ut, si Iesum ipsi furto sustulissent, pro eo, à quo turpiter adeo sibi illusum scirent, à quo etiam nihil commodi sperarent, omnibus se offerre periculis, ipsam etiam obire mortem, vellent? Quam profecto hæc à sana ratione abhorrent!

13. §. *Atque hæc de Historia Resurrectionis Iesu Christi. Quam paucis consignabo triplici Resurrectionis hujus fructu. Primus est ratione justificationis: unde Apostolus Rom. iv vers. ult. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.*

Vt cunque enim Christus sua passione ac morte promeritus esset remissionem peccatorum nostrorum, & vitam aeternam: non ea tamen satisfactio applicari nobis potuisset, nisi resurrectione sua mortem devicisset.

14. §. *Alter est Sanctificatio: quem fructum significat Iohannes vii. 39: Nondum erat Spiritus Sanctus; quia Iesus nondum erat glorificatus. Et Christus ipse Ioa. xvii, 7: Si ego non abierto, Paracletus non veniet ad vos.*

Atqui abire in cœlos non poterat, si ipse morte fuisset detenus in sepulcro. Nisi igitur resurrexisset, nec potuisset mittere Spiritum sanctificantem. Huc etiam pertinet, quod Christi resurrectionis typus ejus resurrectionis, qua animæ nostræ in hac vita moriuntur delictis, & ad vitæ novitatem resurgent.

15. §. *Denique resurrectio Christi causa est glorificationis nostræ.*

Absurdum enim est, putare, cum Christus resurrexerit ad gloriam, non itidem nos ad eam resurrecturos: atque ubi est caput Ecclesiae mysticum, ibi & nos aliquando fore, qui ejus membra sumus. Hoc enim adversatur promissioni illi Christi Ioa. xiv. 3: Rursum veniam, & vos ad me assumam, ut, ubi ego sum, ibi & vos sitis. Est & Apostoli Rom. viii. 11: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.


F I N I S L I B R I T E R T I I .











R. M

